



HISTORIAE PATRIAE

MONVMENTA

EDICTA REGVM LANGOBARDORVM



HISTORIAE PATRIAE

MONVMENTA

EDITA IVSSV

REGIS CAROLI ALBERTI



EDICTA REGVM LANGOBARDORVM.

AVGVSTAE TAVRINORVM
EX OFFICINA REGIA
AN. M. DCCC. LV.

EDICTA

REGVM LANGOBARDORVM

EDITA AD FIDEM OPTIMORVM CODICVM

OPERA ET STVDIO

CAROLI BAVDI A VESME

EX CVRATORIBVS

HISTORIAE PATRIAE STVDIIS PROMOVENDIS



AVGVSTAE TAVRINORVM

EX OFFICINA REGIA

AN. M. DCCC. LV.

REGI VICTORIO EMMANVELI II

REGIS CAROLI ALBERTI FILIO

FORTISSIMAE INTER BARBAROS GENTIS

VETERVM LEGVM EXEMPLAR

AD PROPRIAM SINCERAM ET TANTVM SVI SIMILEM

LECTIONEM REDACTVM

CVRATORES HISTORIAE PATRIAE STVDIIS PROMOVENDIS

REGIA DEPVTAZIONE

SOVRA GLI STVDI

DI STORIA PATRIA

Presidente.

SCLOPIS DI SALERANO, S. E. il Conte Federigo, Senatore del Regno, Primo Presidente, membro della R. Accademia delle Scienze di Torino, Commendatore, ✱, Cav. e Consigliere dell'ordine civile di Savoia, ✠, Cav. della L. d'O. di F. e di S. G. di Toscana.

Vice Presidenti.

CIBRARIO Nobile Luigi, Senatore del Regno, Ministro Segretario di Stato per l'instruzione pubblica, Primo Segretario di S. M. pel Gran Magistero dell' ordine dei Ss. Maurizio e Lazzaro, membro della R. Accademia delle Scienze di Torino, Cavaliere di Gran Croce, decorato del Gran Cordone, ✱, Cav. dell'ordine civile di Savoia, ✠, G. Uff. della L. O. di F. ecc. ecc.

GAZZERA Abate Cav. Costanzo, Prefetto della biblioteca della R. Università di Torino, Consigliere ordinario della medesima R. Università, membro della R. Accad.ª delle Scienze di Torino, ✱, ✠.

Segretarii.

BAUDI DI VESME Cav. Carlo, Senatore del Regno, Consigliere ordinario nella R. Università di Torino, membro della R. Accademia delle Scienze di Torino, ✱, ✠.

FERRERO-PONZIGLIONE DI BORGO D'ALE Conte e Cavaliere Vincenzo, ✱.

Membri residenti in Torino.

MANNO S. E. Barone Giuseppe, Presidente del Senato del Regno, Primo Presidente del Magistrato d'Appello di Piemonte, membro della R. Accademia delle Scienze di Torino, Cav. di Gran Croce, decorato del Gran Cordone, ✱, Cav. e Consigliere onorario dell'ordine civile di Savoia, ✠.

SAULI D'IGLIANO Conte Ludovico, Senatore del Regno, Consigliere di Legazione, Commissario Generale de' Confini, membro della R. Accademia delle Scienze di Torino, Commendatore, ✱, Cav. e Consigliere dell'ordine civile di Savoia, ✠.

PEYRON Teologo Cav. Amedeo, Professore emerito di lingue orientali, membro della R. Accademia delle Scienze di Torino, ✱, Cav. e Consigliere dell'ordine civile di Savoia, ✠, Cav. della L. O. di F.

PROVANA DEL SABBIONE Cav. Luigi, Senatore del Regno, membro del Consiglio Superiore di pubblica instruzione, membro della R. Accademia delle Scienze di Torino, ✱, Cav. dell'ordine di S. Giovanni di Gerusalemme.

PROMIS Cav. Domenico, Bibliotecario di S. M., membro della R. Accademia delle Scienze di Torino, ✱.

MALASPINA - dei Marchesi - Abate Fabrizio, Commendatore, ✱.

BAUDI DI VESME Cav. Carlo, predetto.

RICOTTI Cav. Ercole, Capitano nel Genio Militare, Professore di storia moderna nella R. Università di Torino, membro della R. Accademia delle Scienze di Torino, ✠, ✱.

PROMIS Cav. Carlo, Regio Archeologo, Professore d'architettura civile nella Regia Università di Torino, membro della R. Accademia delle Scienze di Torino, ✠.

NOMIS DI COSSILLA Conte e Presidente D. Luigi, Commendatore, ✠.

VALLAURI Cav. Tommaso, Dottore Collegiato di Belle Lettere, Professore di eloquenza latina nella R. Università di Torino, ✠.

BONCOMPAGNI DI MOMBELLO Cav. Carlo, Consigliere di Stato, Presidente della Camera dei Deputati, membro della R. Accademia delle Scienze di Torino, Commendatore, ✠.

FERRERO-PONZIGLIONE DI BORGO D'ALE Conte e Cavaliere Vincenzo, predetto.

FERRERO DELLA MARMORA Conte Alberto, Senatore del Regno, Luogotenente Generale, Vice Presidente della Regia Accademia delle Scienze di Torino, Cav. di Gran Croce, decorato del Gran Cordone, ✠, Cav. e Consigliere onorario dell'ordine civile di Savoia, ✤.

SOMIS DI CHIAVRIE Conte e Cavaliere Ignazio, Intendente Generale, Primo Uffiziale nel Gran Magistero dell'Ordine de' Ss. Maurizio e Lazzaro, Commendatore, ✠.

CORDERO DI S. QUINTINO Cav. Giulio, membro della R. Accademia delle Scienze di Torino, ✠.

MANUEL DI S. GIOVANNI Barone Giuseppe.

FRANCHI-VERNEY Cavaliere Avv. Alessandro Domenico, Primo Sostituito nell'Uffizio del Procuratore Generale di S. M.

Membri non residenti.

MOLFINO Avvocato Matteo, residente a Genova.

RAGGIO Sacerdote e Professore Gio. Battista, a Genova.

MULETTI Carlo, ✠, a Verzuolo.

BILLIET Monsig. Alessio, Arcivescovo di Chambéry, Senatore del Regno, Gran Croce, decorato del Gran Cordone, ✠, membro della R. Accademia delle Scienze di Torino, a Chambéry.

DATTA Cav. Pietro, ✠, a Nizza di Mare.

GAL Cav. Antonio, Canonico della collegiata dei Ss. Pietro ed Orso in Aosta, ✠, ad Aosta.

MORENO Monsig. Luigi, Vescovo d' Ivrea, Commendatore, ✠, ad Ivrea.

MARTINI Cav. Pietro, Presidente della biblioteca della R. Università di Cagliari, ✠, a Cagliari.

TOLA Cav. Pasquale, Consigliere d'Appello nel Magistrato di Nizza, Deputato al Parlamento, ✠, a Nizza.

COSTA DI BEAUREGARD Marchese e Cavaliere Pantaleone, Deputato al Parlamento, ✠, a Chambéry.

CROSET-MOUCHET Canonico Giuseppe, Professore di teologia nel seminario vescovile di Pinerolo, ✠, a Pinerolo.

CHARVAZ Monsig. Andrea, Arcivescovo di Genova, Gran Croce, decorato del Gran Cordone, ✠, membro della R. Accademia delle Scienze di Torino, a Genova.

ADRIANI Padre D. Gio. Battista, Chierico Regolare Somasco, Professore di storia e geografia nel collegio militare di Racconigi, Socio corrispondente della R. Accademia delle Scienze di Torino, a Racconigi.

MENABREA Cav. Leone, Consigliere d'Appello, membro della R. Accademia delle Scienze di Torino, e Segretario dell'Accademia R. di Savoia, ✠, Cav. dell'ordine di Carlo III di Spagna, e di C. di Portogallo, a Chambéry.

Membro della R. Deputazione residente in Parigi.

THIERRY Agostino, Commendatore della Legion d'onore, membro dell'Instituto di Francia.

La Regia Deputazione ha inoltre varii corrispondenti Nazionali e Stranieri.

LECTORI

CAROLUS BAUDI A VESME

S.

Langobardorum Regum leges ad antiquissimorum et optimorum librorum fidem integriores quam ante nos prodierint edere aggredimur, et in pristinam ac genuinam, quantum fieri potuit, formam nunc primum restitutas. Qua quidem in re ultra spem nobis fortuna arrisit, quibus et antiquissimum Chronicon Edicto Langobardico praepositum, quo praecipuo fundamento nititur vetustior gentis historia, detegere et primos in lucem proferre datum fuit, et universi Edicti textum ita restituere, ut pro certo habeamus, ex iis qui in hanc diem innotuerunt codicibus has leges nec pleniores dari posse, nec multo emendatiores: tanta librorum, quos duces selegimus, antiquitas ac praestantia, tantaque eos fide ac religione secuti sumus.

Non modo qua late patuit in Italia Langobardorum regnum, sed, recentiore etiam aevo, per omnem ferme Italiam, quin alicubi extra ejus fines, valuisse Langobardicarum Legum auctoritatem, inter omnes constat; ita tamen ut jam primis postquam Langobardorum dominatio extincta est saeculis hae leges, multis omissis aut immutatis in usum fori, et in novum ordinem redactae, nonnisi imperfecte Langobardicum jus exhibuerint, pristinam et genuinam formam magna ex parte amiserint. Verum immutatio per gradus facta, ita ut antiquissima exemplaria sincerum Edicti Langobardici textum referant; alia paullulum, nec ferme nisi in ortographicis et grammaticis, a pristina forma discedant; in recentioribus, pristino quidem seu chronologico legum ordine adhuc servato, per gradus tamen non modo verborum forma et scriptura perpetuo immutata, et contextus, quantum in tanta styli barbarie fieri potuit, ad sincerioris grammaticae normam exactus, sed haud raro ipsa legum sententia accommodata ad recentioris

jurisprudentiae, ac potissimum ad Romani et Canonici juris, prout eo tempore viguit, principia; donec, exeunte, ut videtur, saeculo XI, ignotus auctor, quem Petrum Diaconum Cassinensem fuisse quidam falso arbitrantur, in Lombardia certe, usus recentioribus Legum Langobardicarum collectionibus, leges regum Langobardorum, et eorum qui post eos Italiae regnum tenuerunt, in tres Libros atque in certos titulos, argumenti, non chronologiae, habita ratione, distribuit; in singulis titulis, ad Justinianaei, ut videtur, Codicis exemplum, servato chronologico ordine, et singulis capitulis seu legibus adscripto legislatoris nomine.

Hinc librorum tum manuscriptorum, tum typis editorum, qui Leges Langobardicas continent, duplex genus ac velut familia: prior quidem eorum, qui chronologico ordine sunt digesti; altera eorum, in quibus Leges Langobardorum principum, et qui eos proxime subsecuti sunt Italiae regum, argumenti, non temporis quo editae sunt, habita ratione, in Libros et Titulos tribuuntur: cujusmodi collectionis, cui Lombarda nomen inditum, codices longe quidem frequentiores prostant, cum ejus et diutius et recentiore aevo steterit auctoritas. Jamdiu tamen fuerant, qui commodioris usus gratia Leges Langobardicas in certum ordinem, ex argumenti ratione, redigerent; nam et VIIII jam saeculo Lupus quidam, in usum Evrardi Forojuliensium ducis, Leges Langobardicas in LX Titulos digesserat[1], et qui codicem scripsit, unde Heroldi processit editio, leges item in Titulos distinxerat, et a chronologico ordine haud raro discesserat: nec tamen hae collectiones, quae tantummodo Langobardorum regum, non et posteriorum principum, leges complectebantur, passim in foro receptas, nec vulgatum earum usum fuisse, satis constat; quapropter eas, quae peculiarem omnino familiam constituunt, priori tamen, sinceriorem Langobardicarum Legum textum exhibenti, magis accensebimus.

Manuscriptorum prioris familiae, iis etiam adnumeratis quos nuper innuimus, qui non chronologico quidem ordine sunt digesti, sed solas complectuntur leges regum Langobardorum, satis magnus numerus innotuit. Cum tamen, ut initio monuimus, ipsas Langobardicas Leges, quantum per codices licuit, quales e legumlatorum manu primitus prodierunt edere propositum sit, non jus ac consuetudines recentiorum temporum: in statuendo Langobardicarum Legum textu ratio haberi haud potuit librorum, quos e recentiore jure interpolatos certo constabat; nec reliquorum etiam una omnium in re nostra auctoritas et utilitas. Qua de re ut clarius constet, tum de nostrae editionis consilio, et quibus ducti argumentis certos potissimum libros duces delegerimus in constituendo textu Edicti Langobardici, aliis rarius in subsidium vocatis, plerisque prorsus neglectis: pauca praefari juvat de variis classibus, in quas, tum ratione habita collectionis legum

(1) Sub titulo *Concordia de singulis causis*. Cf. infra notata ad codd. 11 et 12.

quam Edicto Langobardico adjungunt, tum ipsius Edicti contextus, distinguuntur codices Legum Langobardicarum prioris familiae, de quibus solis agendum nobis est, seu in quibus leges chronologico ordine digestae sunt (1).

Prior scilicet classis librorum est, qui solum ac sincerum Legum Langobardicarum textum complectuntur, aut si alia juridica sunt in idem volumen illata, ea a Langobardicis Legibus prorsus disjungunt; ita ut quinque Langobardorum regum Edicta, et si quae Langobardicae quamvis ab Edicto alienae leges in codicem receptae sunt, seu a recentiorum Italiae regum legibus omnino secernantur; textum etiam vel omnino genuinum exhibeant, vel leviter, nec ferme nisi in ortographicis, immutatum. Haec tamen primae classis manuscripta exemplaria, seu quae sincerum exhibent textum Edicti Langobardici, nec recentiorum Jurisconsultorum manu interpolatum, satis difficile est definire: cum Legum Langobardarum codices nonnulli quidem sinceri, alii levius interpolati, nec ferme nisi in grammaticis et orthographicis; in aliis praeterea glossae, quamvis rariores, in textum irrepserint, legis sententiam non raro corrumpentes; in aliis demum per gradus non modo multa adjecta sint, sed immutata etiam, praesertim ad Romani et Canonici Juris normam. Sangallensis et Vercellensis, stante adhuc Langobardorum dominatione scripti, genuinum ac pristinum Edicti textum exhibeant necesse est: reliquos eo pro sincerioribus habuimus, quo magis cum antiquioribus illis convenirent.

Altera classis est librorum, qui et recentiore plerumque orthographia conscripti, et textum e novo jure corruptum aliquando exhibent, vel etiam Langobardicis leges recentiorum principum continua serie conjunctas; sed nondum leges complectuntur usque ad Henricum II, in unum veluti corpus redactas, quale prostat in tertiae classis, de qua mox acturi sumus, libris, ac praecipue minus sunt glossatorum et jurisconsultorum manu infecti et interpolati.

Postremam classem constituit collectio chronologica, Papiae elaborata ante annum MXXXVII, legum quae a Regibus Langobardis prolatae sunt, et qui post eos superioris Italiae dominatum tenuerunt; quarum recentissima est Henrici VII, anni MXX. Huic collectioni, in qua Leges Langobardicae chronologica quidem, ut diximus, serie digestae, sed in unum veluti corpus conflatae, peculiare nomen inditum videtur, *Liber Legis Longobardorum* (2), qua appellatione et ipsi utemur; aliquando designatur

(1) Haec, quae jamdiu scripta erant, ex parte auximus et emendavimus postquam nuper in manus nostras pervenere quae Petrus Capei in Athenaeo Pisano Antecessor habet in *Archivio Storico Italiano; Appendice, Tomo IX; Firenze*, 1853, *pag.* 69–82, de opere Johannis Merkel Nurimbergensis, mox vero ipsa ejusdem Commentatio, *Die Geschichte des Langobardenrechts, eine Abhandlung von Johannes Merkel, als Beitrag zu Savignys Geschichte des Römischen Rechts im Mittelalter: Berlin*, 1850.

(2) Hunc titulum praeferunt nonnulli codices; in Veronensi (cf. Dolleonium apud Canciani, *Vol. II, pag.* 462) dicitur *Lex Lombarda*. Nos, clarioris usus gratia, in posterum collectionem in tres libros *Lombardae* nomine designabimus, quo jam indicatur in Libris Feudorum; appellatione autem *Libri Legis Longobardorum*, qua alias, tum in ipsis Notis Criticis ad hoc opus, fulti auctoritate Blumii *(Archiv der Gesellschaft, Bd. IV, S.* 369*)*, Lombardam significavimus, deinceps hanc unam designabimus recentissimam e chronologicis Legum Langobardicarum collectionem.

titulis *Leges Longobardorum*, aut *Lex Lombarda*. In ea plerique prologi et epilogi aliaque id genus omissa, itemque leges ad Edictum non pertinentes, et Aistulfi Edictum de anno I; textus, vetustiorum praecipue legum, non solum in orthographicis, et iis quae ad grammaticae rationes pertinent, prorsus innovatus, sed etiam ipsa sententia, quibusdam mutatis aut additis, ad eorum temporum jurisprudentiam accommodata; singulorum praeterea regum legibus versus quosdam in codicibus hujus classis praepositos videmus, de quibus mox agemus, et quorum indicio hi codices a ceteris primo intuitu distinguuntur. Ad tertiam hanc manuscriptorum classem pertinent Estensis et Veronensis, quibus usi sunt Muratorius et Cancianus, quos secuti sunt Georgisch et Walter; quo factum ut hujus classis, seu Libri Legum Longobardorum, codices, ceteris in hanc diem vulgo magis innotuerint. Hi magna plerumque glossarum, formularum, aliorumque id genus scriptorum mole onerantur; quorum multa Muratorius ex Estensi, Cancianus e Veronensi vulgavere; alia ex aliis codicibus edenda supersunt, et partim decimo, pleraque undecimo saeculo, e Papiensium praecipue jurisconsultorum manu prodierunt. Haec autem recentior chronologica collectio, seu Liber Legis Longobardorum, eo notatu dignior, quod inde, omissis glossis et formulis, et solo servato legum textu, desumpta sit *Lombarda* in Libros et Titulos distributa, cujus postea unius ad recentiora usque tempora in foro usus viguit, et cujus textum, imprudenti sane consilio, plerumque secutae sunt etiam chronologicae Legum Langobardicarum editiones hac nostra antiquiores.

Nuper innuimus, codices Libri Legum Longobardorum peculiari nota a reliquis distingui, quibusdam scilicet versibus qui singulorum regum legibus praescribuntur, quos, cum aliqua tamen varietate, exhibent omnes, ut videtur, hujus classis libri manuscripti, et Muratoriana atque eam secutae editiones recepere. Integrae praeterea collectioni hi praescripti sunt versus in codice Estensi, ex quo in editionem Muratorii et recentiores omnes transierunt:

Est error spretus, quo Langobarda juventus
Errabat. Verum loquitur nunc pagina sensum
Edicti, rectis quod strinxit Rothar habenis.
Walcausus meritus, quem laudat scriba disertus.
Nostrorum regum sunt hic exordia legum.

Singulorum vero Langobardorum Regum Edictis, nec non Karoli Magni et posteriorum principum legibus, monosticha praeponuntur, quae hic singula referre supervacaneum ducimus. Priora illa, quae, Prologo Rotharis subjecta, ad universum tamen Librum Legum Longobardorum referenda sunt (nam et Rotharis Edicto sua peculiaris inscriptio:

Rothar jura dedit, quae lector prima videbit),

quid sibi vellent, diu agitatum; quin et, cum a Muratorio, atque ex eo in posterioribus editionibus, falso essent distincta, parenthesi inclusis verbis *quod strinxit Rothar habenis Walcausus meritus*, non defuere qui vocem Walcausus ad Rotharim referrent, et stirpis aut honoris titulum existimaverit. Jam vero Walcauso (quem, nec immerito, Merkel eumdem esse autumatur ac Galgosium, cujus in historia reviviscentis Romanae Jurisprudentia celebre nomen), deberi hanc de qua agimus recentissimam e chronologicis legum collectionem Langobardorum et qui eos secuti sunt Italiae regum, jam ferme extra dubitationem est. Hunc autem Walcausum Merkel eumdem esse suspicatur, quem *judicem sacri palatii* videre est in placito habito in Comitatu Vicentino anno DCCCCXCIIII [1].

In codice autem Florentino pro verbis

rectis quod strinxit Rothar habenis.
Walcausa meritus etc.

ita legi monet Merkel

rectis quod strinxit rhetor habenis
Widolinus meritus etc.;

tum ad calcem Edictorum subscriptio adposita *WEDELE*. Hic Widolinus ex Edictis regum Langobardorum aliqua abscidisse Merkelio videtur, quae, in usum fori minus necessaria, a Walcauso tamen fuerant servata; at, in Karoli Magni saltem legibus, in Florentino codice aliqua legi constat, quae desunt in Estensi et in Veronensi. Sed de his aliisque id genus, tum de libris et fato Juris Langobardici saeculis X, XI et XII, certum ac tutum judicium proferri tum demum poterit, cum Italicae historiae et jurisprudentiae studiosis innotescent, quae de universa re summa constantia et studio collecta, nec minore perspicacia disposita, in lucem editurus est v. cl. Johannes Merkel.

Jam nos, qui haud ita magnum opus molimur, et quibus non juris Langobardici historiam prosequi, sed unum restituere propositum est pristinum ac sincerum textum Legum Langobardicarum, et subsidia recensere, quibus in hanc rem usi sumus: paucis his, sine quibus consilii nostri ratio intelligi non potuit, praemissis, enumerandos ac describendos aggredimur quotquot nobis innotuerunt Legum Langobardicarum, exceptis iis qui *Lombardam* continent, manuscriptos codices; ita tamen ut fusius de iis agentes, qui vel anti-

(1) *Muratori*, *Antichità Estensi* (*Modena*, 1717), *Parte I*, *pag.* 128, 129.

quitate vel alia de causa praestantiores videbantur, seu quibus potissimum usi sumus, reliquos brevius attingamus.

1) Omnium quotquot supersunt manuscriptorum librorum Edicti Langobardici antiquissimus est membranaceus Sangallensis, cujus pars nunc servatur in bibliotheca Turicensi [1]. Nec ille integer ad nos pervenit, sed sola ex eo supersunt folia sex supra quadraginta, quae olim in monasterio Sancti Galli in usum tegumenti aliis ejusdem monasterii voluminibus adglutinata, Sangallensia quidem sex et triginta a v. cl. Ildefonso von Arx, decem vero quae inde cum ipsis libris Turicum ablata fuerant, ab aliis doctis viris detracta sunt, atque in pristinum ordinem restituta. Folia Sangallensia Ildefonsus von Arx in volumen redegit, quod jam in bibliotheca Sangallensi servatur sub numero 730. Forte alia ejusdem libri folia Turici adhuc latent; nam ejusdem, procul dubio, codicis folium est quod Schrader vidit tegumento libri adhaerens in alia ejusdem urbis bibliotheca [2]; quin et Sancti Galli unum saltem ejusdem codicis folium superesse, praeter ea quae Ildefonsus von Arx in volumen collegit, auctor est Haenelius [3]. Codicis forma et amplitudo est quam vulgo *quartam* vocant; pulchra et subtilis membrana; lineae graphio finitae; singulae paginae habent versus viginti. Liber scriptus fuit charactere unciali, eoque satis nitido et eleganti (cf. Scripturae Specimen, Tab. I, num. 1); verba inter se cohaerent, uti mos est in antiquis id genus libris unciali charactere exaratis. Primus cujusque capituli versus minio descriptus est; singulorum capitulorum initialis littera reliquis major; ubi vero ad novam capitulorum veluti seriem fit transitus, argumento a superioribus distinctam, littera initialis maxima est, varietate colorum et picturis ornata: littera *S* tunc plerumque constat e quinque piscibus. Numeri capitulorum in margine, post scriptum demum, ut videtur, codicem, adjecti sunt. Scripturae compendia perpauca, et vulgata aut lectu facillima: $\overline{a}$ pro *aut*; $\overline{conp}$ pro *conponat*; $\overline{sold}$ pro *solidos*; *ꝑ* pro *per*; $\overline{noning}$ pro *noningentos*; $\overline{ssta}$ pro *suprascripta*. Summae paginae exhibuere inscriptionem minio depictam, quae tamen cum summa paginarum ora ita abscisa est, ut ejus vix aliqua supersint vestigia; dolendum tamen doctos viros, qui folia manibus tractavere, nihil plenius hac de re tradidisse: facile enim vel ex mutila scriptura dignosci potuit codicis inscriptio, utrum *Edictum Rotharis regis*, an brevius *Edictum*, an alia id genus. Ceteri etiam foliorum margines saepe resecti; unde effectum, ut nonnumquam perierint postremi paginae versus, plerumque autem primae litterae cujusque versus in pagina recta, postremae in pagina aversa.

(1) Cf. quae de hoc codice habent Pertzius et Wegelin, *Archiv der Gesellschaft*, *Bd. V*, *S.* 226 *folgg.; Bd. VI*, *S.* 481 *folgg.; Bd. VII*, *S.* 766, 767.

(2) *Archiv der Gesellschaft*, *Bd. IV*, *S.* 371, *Anm.* 2.

(3) Haenel, *Catalogi librorum manuscriptorum qui in bibliothecis Galliae*, *Helvetiae*, *Belgii*, *Britanniae M.*, *Hispaniae*, *Lusitaniae asservantur; Lipsiae*, 1830; *pag.* 713, ad cod. Sancti Galli numero 852: « *In operculo* (sic omnino legendum pro *opusculo*) *vestigia Legum Longobardicarum n.* 730. »

1. Codex Sangallensis

fol. VII b. (Roth. cap. LXVIIII–LXXIIII)

LXX Si quis aliquem pro culpa sua ... per doles excusserit conp. sol. sedecim

LXXI Si secundam dicitur ... de me excusserit conp. sol. sex

LXXII Si tertium dicitur ... excusserit conp. sol. tres ...

LXXIII Si quartum dicitur ... serui conp. sol. tres ...

LXXIIII Si quintum dicitur ... seruit conp. solo. duo

LXXV ... omnis ... ueritas ... peri ... ius scriptas quae inter homines liberos ... uenerint ... positione posuimus ... antiqua nostri ... est inimicitia postaccepta ... conpositione ... amplius non requiratur nec ... lus

2. Codex Eporediensis.

a) fol. 57 a (Rotharis Prologus.)

TOS IUDICES SUOS:

INCIP: PROLOGUS

Ego In dĩ nomine rothcari uir excell. rex. et septimo decimu regnum ... longobardoru annuente dõ propitiante ...

b) fol. 133 b, fin (Liutpr. VIII i)

rationem aut de estimatione aut como do pro ... dicere aut firmare. Liceat eum postea ... habere et possidere; ...

c) fol. 134 a princ.

fuerunt inter ... uel ubi mensura ... est ... et equal ... ecnnos mensura menime ...

d) fol. 93 b

e) fol. 116 b

Superstitibus codicis foliis continetur dimidia omnino pars Edicti Rotharis regis; nulla extat lex Grimowaldi, sive alterius e regibus, qui post Rotharim leges Edicto addiderunt: ut dubitari vix possit, quin integer olim codex solum complexus fuerit Rotharis Edictum, nec modo ante Liutprandi sed et ante Grimowaldi tempora exaratus. Foliorum sex et triginta Sangallensium accuratum indicem exhibuimus in Notis Criticis, tum suis locis indicationem foliorum decem Turicensium. De quaternionum ordine, et foliorum inter se nexu in antiquissimo libro, nihil tradidere qui folia ipsa manibus tractaverunt; nisi quod Pertzius refert (1), folia decem Turicensia constare e tribus foliorum paribus, et quattuor singulis foliis. Inter membranas Sangallenses quae aut quot sint foliorum paria non est traditum, quamvis plura procul dubio supersint; nec utrum sive in Sangallensibus sive in Turicensibus membranis aliqua adscripta sit quaternionis nota, quod magni sane momenti foret tum ad universi codicis indolem et ambitum cognoscendum, tum praecipue ut constaret utrum quid perierit initio codicis, an, quod mihi veri similius, neque capitulorum indicem neque Rotharis Prologum praemiserit qui hoc Rothariani Edicti exemplar confecit. His destituti subsidiis, oculis tamen subjicimus, prout e superstitum foliorum ambitu et ordine et e lacunarum spatio conjectura assequi potuimus, quinam pristinus foliorum et quaternionum ordo et numerus in integro olim codice fuisse videatur; pleniora et procul dubio emendatiora ab iis exposcentes, quibus ipsas vetustissimas membranas evolvere, et coram manibus tractare datum est.

QUATERNIO I.

Fol. I (Sang. I)	II (Tur. I)	III (S. II)			IIII (S. III)	V (T. II)	VI (S. IIII)
Cap. I—VII (2)	VII—XII	XII—XIIII	*	*	XXV—XXXI	XXXI—XXXVI	XXXVI—XL

QUATERNIO II.

VII (S. V)	VIII (S. VI)		VIIII (S. VII)	X (S. VIII)		XI (S. VIIII)	XII (S. X)
XLI—XLVI	XLVI—LI	*	LXIII—LXXIIII	LXXIIII—LXXVIII	*	LXXXV—XCVI	XCVI—CV

QUATERNIO III.

XIII (S. XI)			XIIII (S. XII)	XV (S. XIII)			XVI (S. XIIII)
CV—CXII	*	*	CXXX—CXXXVIII	CXXXVIII—CXLII	*	*	CXLVII—CL

QUATERNIO IIII *deest*.

(1) *Archiv der Gesellschaft, Bd. VII, S. 767.*
(2) Numeros capitulorum adscribimus qui in editione nostra, non qui in codice Sangallensi.

QUATERNIO V.

XVII (S. XV) CLXXV—CLXXVIII	*	*	XVIII (S. XVI) CLXXXII-CLXXXIIII	*	*	XVIIII (S. XVII) CLXXXVIIII—CXCI	XX (S. XVIII) CXCI—CXCIIII

QUATERNIO VI.

XXI (S. XVIIII) CXCV—CXCVI	XXII (S. XX) CXCVI—CXCVII	XXIII (S. XXI) CXCVII—CXCVIII	XXIIII (S. XXII) CXCVIII—CCI	XXV (S. XXIII) CCI—CCVI	XXVI (S. XXIIII) CCVII- CCXII	XXVII (S. XXV) CCXIII—CCXVI	XXVIII (S. XXVI) CCXVI—CCXX

QUATERNIO VII.

XXVIIII (S. XXVII) CCXX—CCXXIII	XXX (S. XXVIII) CCXXIII—CCXXIIII	XXXI (S. XXVIIII) CCXXIIII—CCXXVIII	XXXII (S. XXX) CCXXVIII—CCXXXI	XXXIII (S. XXXI) CCXXXI—CCXXXII	*	*	*

QUATERNIONES VIII *et* VIIII *desunt.*

QUATERNIO X.

XXXIIII (T. III) CCCXVI—	XXXV (T. IIII)	XXXVI (T. V)	XXXVII (T. VI)	XXXVIII (T. VII) —CCCXXXVIII	*	XXXVIIII (T. VIII) CCCXLIII—	XL (T. VIIII)

QUATERNIO XI.

XLI (T. X) —CCCLI	*	*	XLII (S. XXXII) CCCLX—CCCLXI	XLIII (S. XXXIII) CCCLXI—CCCLXII	XLIIII (S. XXXIIII) CCCLXIII—CCCLXV	XLV (S. XXXV) CCCLXV - CCCLXVIII	XLVI (S. XXXVI) CCCLXVIII-CCCLXXI

Post folium codicis quadragesimum sextum, seu undecimi quaternionis postremum, desiderantur ad finem Edicti Rotharis folia circiter quinque.

Usi sumus foliorum Sangallensium collatione instituta sumptibus Academiae Historicae Nostrae in margine plagularum Edicti in hos usus impressarum: foliorum Turicensium collatio defuit.

2) Codici Sangallensi antiquitate aliquantum cedit, reliquis primum longe inter codices Legum Langobardicarum obtinet locum Vercellensis Archivii Capitularis [1], signatus N.° CLXXXVIII, a tergo inscriptionem praeferens a recentiore manu *Constitutiones civiles de tempore Longobardorum.* Liber, formae quam dicunt *quartam*, in membranis rudioribus scriptus est, charactere unciali, nitidiore ac codex Sangallensis. Integrum librum ab eodem amanuensi exaratum censet Blumius; ego et scripturae diversitate, et aliis ductus argumentis, in contrariam sententiam inclino. Habuit

(1) *Andres*, *Lettera sopra alcuni Codici delle Biblioteche Capitolari di Novara e Vercelli*, *Parma*, 1802, *pag.* 90-99; *Archiv der Gesellschaft*, *Bd. IV*, *S.* 371; *Bd. V*, *S.* 230-239. – Servatur in eadem bibliotheca antiquissimus, sed situ et vetustate pessime habitus, codex Capitularium Ansegisi Abbatis.

TAB. II.

1. Codex Vercellensis. CLXXVIII.

a) fol. 21 b. (Roth. cap. XVI.)

quirat culpam ipsam et acurte regis execat
xq De rahairaubus sic furis homines.
Ne. De mortuum in flumine aut
foris inuenerit. aut expoliauerit et mox uicinibus pate fecerit

b) fol. 78. a (Roth. cap. CCLXXIIII.)

Si quiscumque ... fugacem ... efficientem
...

c) fol. 96. a (Roth. cap. CCCLXVII.)

CCCLX qi De uuaregang omnes
uuaregang qui de exterras fi

d) fol. 163. b. (Liutpr. cap. CXXVIIII, CXXX.)

tem regi et medietatem ad ipsum puerol
INCP DE ANN XXI
Dr xq Si quis dixerit coniugis suae
malam licentiam dandum quia uadet cum
qum becum stalem hominem aut si dixerit ad hominem ueniet facum mu

Codex Matritensis. D. 117.

a) fol. 157. (Adelchis Capitulare.)

mipsi

c) fol. 16. b. Index; Liutpr. cap. CXXXVIIII-CXLI.)

... ne domino ditiam
... ubito omnus
... actores su
... scomis
... nt
... roc

f) fol. 138. b. fin. af (fiat)

g) fol. 164. b. fin. u fit (uerit)

h) fol. 150. b. fin. contionis (contentionis)

i) fol. 19. b. anstall ... pec q:

am consenguni;; b) fol. 16. (cf. Notas Criticas, pag. 280. sub finem.)

c) fol. 141. (Liutpr. cap. CLXIIII.)

Pnatus ... sol. ... ;

d) fol. 157. (Aistulfi cap. XXII.) deseruare & ...;

3. Codex Eporediensis. XXXIIII.

fol. 20. b. DE ALDIONIBUS PUBLICIS.

Aldius publicum pertinentes aldiones uel aldiane ecclesie uiuent in ... ... dominorum

DE ALDIONIBUS PUBLICIS 4. Codex Eporediensis XXXIII. fol. 92. b.

Aldius publicum pertinentes aldiones uel aldiane ea lege uiuant in italia in seruitute dominorum

olim codex quaterniones vigintiquattuor, litteris uncialibus distinctos in ora inferiore postremae paginae; periere quaterniones signati litteris *A* (primus), *S* (duodevicesimus), tum postremus seu vicesimus quartus; praeterea quaternionis *B* (secundi) alterum folium; quaternionis *C* (tertii) pars primi folii; quaternionis *L* (undecimi) folia postrema duo; demum quaternionis *R* (decimiseptimi) folium primum: quarum lacunarum partem, eas videlicet quas fecerant deperdita folia duo quaternionis undecimi, unus quaternionis decimiseptimi, et quaternio duodevicesimus, supplevit, insertis minoribus et rudioribus membranis, minutiore charactere conscriptis, manus saeculi decimi, quae etiam errata aut omissa a vetere amanuense passim restituit aut emendavit, et verba, quae in vetere scriptura, nullo interjecto spatio, inter se adhaerent, ab initio Edicti usque ad cap. cliii Rotharis, seu a folio 18b ad finem folii 43, punctis interpositis distinxit. Membranis quinque adnumeratis, quibus supplementa deperditorum veterum foliorum continentur, habet nunc codex folia 169. In quibusdam libri partibus, nec vero per universum codicem, versus graphio sunt definiti: sunt autem in unaquaque pagina in prioribus 37 foliis versus viginti; a folio 38 ad finem quaternionis *Q* (decimisexti) singulae paginae habent versus unum et viginti; proximi quaterniones duo, *R* (decimus septimus) et *T* (undevicesimus; periit enim, ut nuper monuimus, duodevicesimus quaternio) habent in singulis paginis versus viginti duos; in tribus qui mox sequuntur quaternionibus sunt in quaque pagina versus viginti tres; in postremo demum e superstitibus quaternione (vicesimo tertio) versus viginti quattuor. In ima pagina et scripturae compendiis frequentius utitur amanuensis, et litteras aliquot aut verba adjicit in inferiore margine, ultra consuetum versuum numerum; saepe e converso, vel in medio capitulo, postremus versus, plurium litterarum spatio vacuo relicto, ad finem non perducitur (1); ut conjicere subeat, codicem hunc non continua serie descriptum, sed, definito per aliquot quaterniones ambitu singularum hujus libri paginarum in exemplari unde noster liber derivatus est, paginas ordine posteriores saepe, maturandi operis causa, scriptas esse, ab alio fortasse amanuense, antequam prior libri pars ad finem esset perducta. Saepe etiam folia quaedam ipse amanuensis abscidit, quod forte in iis aliquid a se erratum animadverteret; aliis tamen foliis in eorum locum substitutis, ut nullus inde ortus sit defectus sive in ipso contextu, sive in numero foliorum in singulis quaternionibus.

Codicis folium e superstitibus primum, seu folium primum secundi qua-

(1) Sic in medio Liutprandi cap. cxxi, in fine folii 159b, vacuum a scriptura superest sex litterarum spatium; in medio Roth. cap. cxcvi, in extremo folio 57b, superest spatium septem litterarum, et quae proxime praecedunt scripta sunt solito majoribus et magis inter se dissitis litteris; septem item litterarum spatium superest in fine folii 158b, quod incidit in Liutpr. cap. cxviii med.; in fine foliorum 42a, 44b, et 169b, quae incidunt in media Roth. capp. cl, clviii, et Liutpr. cap. cxxxviii (cf. Notas Criticas ad fol. 145, vers. 11), est spatium litterarum octo; in fine folii 167b, in medio Liutpr. cap. cxxxvi, a scriptura vacat spatium undecim litterarum.

ternionis, incipit a capitulo CLXXXIII indicis capitulorum Edicti Rotharis regis. In priore folii pagina capitulorum numeri, rubrica scripti, maximam partem evanidi sunt; quae forte erroris causa Blumio fuit, asserenti, indicem superesse in Vercellensi codice inde a XXVI Rotharis capitulo. Pars indicis quae initio codicis periit respondet libri Vercellensis foliis sex; priora duo folia explevisse dicendus est Rotharis prologus; Chronicon numquam fuisse in hoc codice, lacunae spatium certo argumento evincit. Cum altero secundi quaternionis folio periere rubricae capitulorum CCXVII-CCXLVII; subsequitur reliqua pars indicis capitulorum Edicti regum Rotharis, Grimowaldi et Liutprandi, nullo inter singulorum Edictorum capitula relicto spatio aut adposita inscriptione, sed tantum majore et ornatiore littera initiali prioris rubricae ex Edicto Grimowaldi (fol. 6a, versu 13), itemque prioris rubricae ex Edicto Liutprandi (fol. 6b, versu 4). Capitula tum in indice tum in ipso contextu denotantur continuis numeris, non adnumeratis prologis, nec etiam in Liutprandi Edicto epilogis: in quo tamen librarius sibi haud satis constitit, cum semel epilogum (Liutpr. De anno V) numero distinxerit, saepius superiori capitulo omnino conjunxerit, semel (Liutpr. De anno XV) a superiore capitulo distinxerit, nullo tamen adposito numero. In hac continua capitulorum serie primum Grimowaldi capitulum signatur numero *CCCLXXXVIIII*, primum Liutprandi capitulum numero *CCCXCVIII*, postremum numero *DLII*. Cum angulo inferiore folii 16, seu folii primi quaternionis quarti, excidere nonnullae sive rubricae sive rubricarum partes (cf. Scripturae Specimen, Tab. II, num. 1, e). Index capitulorum desinit in versu decimo nono paginae rectae folii tertii quaternionis quarti (fol. 18a); vicesimus versus a scriptura vacat. Superiorem dimidiam ferme aversae paginae partem occupant rudiores ornatus, atramento descripti, depicti fulvo, viridi et rubro colore, cum inscriptione *EXPLC CPLA INCP CAUSAS;* tum incipit Edictum Rotharianum, cujus priores versus majoribus litteris scripti sunt. In Edicti Rotharis capp. CCLXXIIII-CCLXXX incidit lacuna duorum foliorum quaternionis undecimi; quae perierant, recentior manus restituit minutiore charactere, ut jam membranae in hunc finem hoc loco adsutae nonnisi priorem paginam expleant. In pagina aversa folii postremi quaternionis tertiidecimi (fol. 102b), versu 3, explicit Edictum Rotharis, nulla adjecta subscriptione; post versum a scriptura vacuum incipit, nulla item praeposita inscriptione, prologus Grimowaldi regis, tum ejusdem capitula, usque ad folii quarti quaternionis decimi quarti paginam aversam (fol. 106b), versu 5; post quae incipit, nulla hic etiam inscriptione praeposita, prologus Liutprandi De anno I, cujus priores duo versus majoribus litteris depicti sunt, plurium versuum spatium occupantibus, et vario colore ornatis. Simili modo litteris majoribus descripta sunt verba, quibus singulorum annorum Liutprandi Edicta seu volumina distinguuntur. De duobus lacunis veteris scripturae in Edicto Liutprandi, quas

recentior manus supplevit, locuti sumus in Notis Criticis. Ultimum folium quaternionis vicesimi tertii, seu folium 169 et postremum in mutilo codice, quod incidit in Liutprandi capp. cxxxviii et cxxxviiii, adglutinatum fuerat ligneo codicis tegumento; unde quamvis summa cura Blumius detraxerit, fieri non potuit quin in aversa parte, quae tegumento adhaesit, scriptura et olim glutine, et deinceps dum a ligno avellitur, aliquid detrimenti pateretur: non ita tamen, ut quidpiam supersit quod legi non potuerit, praeter quaternionis notam *Z*, quae procul dubio fuit in inferiore paginae ora (1). Quae in fine codicis exciderant ex Edicto Liutprandi respondent paginis codicis ferme tredecim, seu foliis sex cum dimidio. Edicta regum Rachis et Aistulfi numquam fuisse in hoc codice, certo argumento evincit capitulorum index, in quo sola recensentur priorum regum Edicta, quamvis indicem legum Liutprandi jam non habuerit liber, unde noster descriptus est; quo effectum, ut rubricarum loco in Edicto Liutprandi amanuensis priora singulorum capitulorum verba exscripserit.

Scripturae specimen damus, et vetustioris, e variis codicis partibus desumptum, et recentioris, qua codex passim emendavit et ejus lacunae suppletae (Tab. II, num. 1). Nexus litterarum satis infrequentes sunt, nec alii ferme, quam qui in reliquis codicibus unciali charactere scriptis vulgo usuveniunt; nec alibi iis uti solet librarius nisi in extremo versu, ac potissimum in extrema pagina. Rarioribus litterarum nexibus accensendi quos exhibemus Tab. II, num. 1, f. g. h. Notatu dignum etiam, tum in hoc, tum in Sangallensi libro perrara esse scripturae compendia; quod forte eorumdem usum in hujusmodi libris leges non ferrent, aut certe consuetudo e Romanis legibus derivata. Praeter lineolam ¯ sive in extrema sive etiam in media voce vocali superpositam ad significandam litteram *m*, nonnumquam vero litteram *n*, scripturae compendia haec ferme occurrunt in antiqua scriptura codicis Vercellensis.

caual pro *cauallo* (semel, Roth. cap. CCCXLI).
clrs pro *clericus* (semel, in indice, Liutpr. cap. CLV).
conp, *conpo*, *conpn* pro *conponat* vel *conponant*.
conp, *conptur* pro *conponatur* vel *conponantur*.
ds, *di*, *do*, pro *Deus*, *Dei*, *Deo*.
eps pro *episcopus*.

(1) Minus plene et in nonnullis minus vere scripturam codicis expressit Blumius in apographo duarum postremarum paginarum Vercellensis codicis, quod eidem codici adjunctum etiamnum servatur, hac ejusdem Blumii manu adjecta adnotatione:

Tota hoc Langobardorum edicti volumine perlustrato, ultimum inter ea quae extant folia, temporis injuria male adfectum, adhibitis etiam ut legi posset chemicis remediis, denuo descripsit Fridericus Blume Ictus Hamburgensis.

Scripsit in memoriam accepti beneficii, quod libera hunc aliosque codices evolvendi potestas a venerabili Canonicorum collegio concessa fuerat: gratias agens praesertim viris reverendissimis et Canonicis Francisco Azimonti, hujus tabularii praefecto, nec non Paulo Emilio Rinaldi et Eusebio Balloco, quibus secundae in regendo tabulario partes commissae erant. Omnium autem maxime, et plus quam dictu facile esset, eidem viro rev. Eusebio Balloco se devinctum fatetur, eo quod per viginti fere dies adstando, legendo, monendo, gratiorem sibi, multoque faciliorem ac breviorem laborem fecerat.

Scribebam Vercellis, die XIX mensis novembris, anni MDCCCXXII.

excell' pro *excellentissimus.*
expl pro *explicit* (in Edictorum inscriptionibus).
FF pro *fratrem* vel *fratres.*
glm, *glom* pro *gloriosae memoriae*, vel pro *gloriosissimus*[1].
Iho pro *Iheso* (Liutpr. prol. De anno XI).
incp pro *incipit* (in Edictorum inscriptionibus).
indic pro *indictione.*
it. pro *item* (Roth. cap. CCXXIIII).
kal' pro *kalendarum* (Liutpr. prol. De anno I).
kapi pro *kapitulo* (Roth. cap. CCXXIII: Liutpr. cap. XXX).
L pro *le* (Roth. cap. CXXX).
L pro *lum* (Liutpr. capp. XV, CXXVIII).
med pro *medici* (Roth. cap. CXVIII).
n pro *non* (Roth. cap. CCCL).
n vel *no* pro *numero* (Liutpr. capp. XXV, XXVI, XXXI).
omnp pro *omnipotentis* (Liutpr. prol. De anno VIIII).
p pro *per.*
peri pro *periculum* (Roth. cap. CCLIII).
q pro *quas* (*seliquas*, Roth. cap. CCLIII).
q pro *quam* (aut *quem?*) (Roth. cap. XXVII).
q: vel *q:* pro *que.*
q: pro *quem* (Liutpr. cap. CXXX).
q' pro *qui.*
qnm pro *quoniam.*
sca, *sce* pro *sancta*, *sanctae.*
sol vel *sold* pro *solidos.*
sstae, *sstarum*, *sstas*, *sstis*, *ssto*, *sstum* pro *suprascriptae*, *suprascriptarum*, *suprascriptas*, *suprascriptis*, *suprascripto*, *suprascriptum.*
xpianus pro *Christianus.*
xpo pro *Christo.*

Qui saeculo decimo veteris codicis lacunas supplevit librarius, perpetuis utitur scripturae compendiis; in ortographicis autem, praeter eas a vetustiore textu diversitates, quae omnibus recentioribus libris manuscriptis communes sunt, notanda praecipue venit frequens omissio litterae *h*, tum permutatio litterarum *t* et *d*. Ceterum et hic amanuensis bonae notae exemplari usus est, diverso tamen ab illo, unde antiquior amanuensis integrum olim codicem Vercellensem descripserat.

3) Codicem Eporediensem Archivii Capitularis, signatum numero XXXIIII, item membranaceum, detexit anno MDCCCXLIII v. cl. AMEDEUS PEYRON, ob insignia in omne genus litterarum merita per universam Europam cele-

(1) De hoc scripturae compendio vide quae infra disserimus.

bratus; qui eodem anno de Archivio Capituli Eporediensis brevem commentationem edidit, ubi et de hoc Legum Langobardicarum codice paucis disseruit [1]. Codex, formae quam dicunt quartam, habet folia 167 a recenti manu numerata; priora 56 constant e fasciculis octo, vario constantibus foliorum numero; ex his fasciculis sextus et septimus signantur uterque nota *u*, et inverso ordine adsuti sunt in codice. Hac libri parte continentur capitularia Pippini, Karoli Magni, Hludowici et Hlotarii, quorum indicem exhibemus exactum ad editionem Pertzii.

Codicis fol. 1a. — Capitulare 21; ed. Pertzii, pag. 36-39.

Codicis fol. 3a. — Capitulare 30; ed. pag. 53-67.

Codicis fol. 13a. — Capitulare 31; ed. pag. 67-68.

Codicis fol. 13b. — Capitulare 32; ed. pag. 68-69.

Codicis fol. 14b. — Capitulare 26; ed. pag. 46-47.

Codicis fol. 16a. — Capitulare 33; ed. pag. 70-71.

Codicis fol. 18a. — Capitulare 22; ed. pag. 39-40.

Codicis fol. 18b. — Capitulare 38; ed. pag. 81.

Codicis fol. 19a. — Capitularis 40 capp. 1-7; ed. pag. 83, 84.

Codicis fol. 21a. — Capitularis 40 cap. 24 (praecedentibus in codice subjunctum, sed sine numero); ed. pag. 86.

Codicis fol. 21a. — Capitulare 53; ed. pag. 113-114.

Codicis fol. 22b. — Capitularis 54 capp. 1-29; ed. pag. 114-115.

Codicis fol. 23b. — Capitulare 55; ed. pag. 117-118.

Codicis fol. 25a. — Capitularis 71 capp. 1-16; ed. pag. 131.

Codicis fol. 25b. — Capitularis 40 cap. 8 (etiam in codice litteris uncialibus inscriptum *capitulum viii*); ed. pag. 84.

Codicis fol. 25b. — Capitulare 83; ed. pag. 151.

Codicis fol. 26b. — Capitulare ineditum (editionis nostrae pag. 197-199, seu Appendix IIII; cf. etiam ad eum locum Notas Criticas).

Codicis fol. 27b. — Capitularis 21 capp. 10 et 11 (inscripta in codice numeris *xuiiii* et *xx*, nulla praeposita inscriptione); ed. Pertzii pag. 36-37.

Codicis fol. 27b. — Capitularis 71 capp. 1-22 *Ad omnes generaliter*; ed. pag. 132-135.

Codicis fol. 30b. — Capitularis 36 capp. 13, 14 et 15 (in codice signata numeris *v*, *xxvii* et *xv*); ed. pag. 78.

Codicis folio 31a. — Capitulare 129; Pertzii ed. pag. 241 (sed in codice nostro capitulo uno auctius; cf. ed. nostrae pag. 200, et ad eum locum Notas Criticas).

Codicis fol. 32b. — Capitulare 106, ea forma quam habent codices Chisianus et Cavensis, tum alter Eporediensis; Pertzii ed. pag. 84, 85, 195, 196 [2].

(1) *Notizia dell'Archivio del reverendissimo Capitolo d'Ivrea*, del cav. Amedeo Peyron. *Torino*, *dalla Stamperia Reale*, 1843, *pag.* 22-27.

(2) Ex hoc codicum Chisiani, Cavensis, et utriusque Eporediensis consensu, patet, non ea sola quae habet codex Gudianus, sed tria etiam capitula e capitulari Karoli Magni repetita, esse adnumeranda huic Hludowici capitulari, quod Pertzius incertus haeret utrum anno DCCCXVI (pag. 195) an DCCCXVII (pag. 84, vers. 49-50) sit adsignandum.

Codicis fol. 34a. — Capitularis 113 capp. 1-8; ed. pag. 214-215.

Codicis fol. 36a. — Capitularis 114 capp. 1-29; ed. pag. 216-219.

Codicis fol. 45a. — Capitulare 111; ed. pag. 206-209.

Codicis fol. 50b. — Capitulare 112; ed. pag. 210-213.

Codicis fol. 43a. — Capitularis 125 capp. 1-6; ed. pag. 235-236.

Codicis fol. 52a. — Capitulare 135; ed. pag. 251-252.

Codicis fol. 53b. — Capitularis 134 capp. 1-7 (consentit Eporediensis codex cum Blankenburgensi); ed. pag. 250.

Codicis fol. 54a-55a. — Capitularis 133 capp. 1-10; ed. pag. 248-249.

Atque hic, post constitutiones Olonae editas anno DCCCXXV, finis olim fuit prioris partis codicis, qua Capitularia continebantur; folia 55b, et 56 a scriptura vacabant. Postmodum recentior manus subjecit in postremo folio 56 vacuo capitulum, quod, jam inter Karoli Magni leges prostans, Pertzius denuo edidit ut cap. 11 ejusdem capitularis 133 (Hlotharii); ed. pag. 249, 250. In codice nostro per se positum, alteri capitulari non adhaeret. Desinit hoc capitulum in fol. 56b med.; reliqua paginae pars ultra dimidiam a scriptura vacat.

In capitularibus 21 et 26, quae Pertzius (pag. 35-39 et 45-47) ex duplici recensione exhibet, quarum priorem *Francicae*, alteram *Langobardicae* nomine designat, tam noster, quam alter Eporediensis codex signatus numero XXXIII, quem descripsit et ex quo inedita et varietatem lectionis protulit Amedeus Peyron [1], magis conveniunt cum recensione quam Pertzius *Francicam* appellat. Nos horum capitularium duplicem hujusmodi recensionem omnino negamus [2].

A folio codicis 57 nova incipit quaternionum series; alia denuo ab Edicto Grimowaldi: sed multi quaterniones nota carent, aliis falso adscripta. Priore pagina folii 57 continetur inscriptio et initium prologi Rotharis regis (cf. Scripturae Specimen, Tab. I. N° 2, a); quem, in medio fol. 58a, subsequitur capitulorum Rotharis index, tum, fol. 66a, ipse textus, usque ad fol. 104b. Cum fol. 105 incipit, omisso rubricarum indice, Edictum Grimowaldi regis, idque desinit in extremo fol. 107a; initio folii 107b habetur *Item Memoratorio de mercedes Commacinorum*. Post Memoratorium, sub folii 108b initium, incipit, nullo vacuo interposito spatio, prologus Liutprandi De anno I, cujus prior versus uncialibus et rubricatis litteris scriptus est. Prologum, praemissa inscriptione *Incip capitulare huius edicti aliut prca℞*, excipit index rubricarum Edicti Liutprandi per annos distinctus; tum, fol. 114a, ipsa capitula. Edictum Liutprandi desinit in fol. 159b, idque statim subsequitur Edictum Rachis regis, omisso prologo; tum,

(1) *Legum Barbarorum Fragmenta inedita et variantes lectiones ex codice Eporediensi collegit* Amedeus Peyron, in Actis Academiae Taurinensis, *Seriei II Vol. VIII*, *Par. II*, *pag.* 129 *seqq.*

(2) *Dell'edizione delle Leggi Langobardiche publicata per cura della R. Deputazione di Storia Patria .... Al sig.* Giovanni Merkel *di Norimberga Lettera di* Carlo Baudi di Vesme. Torino, 1847, *pag.* 38, *not.* 1.

fol. 162a, sub finem, omisso item prologo, Edictum Aistulfi De Anno V; cujus finis in versu quarto paginae aversae folii 166. Versu statim insequenti paulo post adjectum Capitulare Hlotharii Papiense anni DCCCXXXII [1]; reliqua ejus folii, et folii 167 seu postremi partem utramque explent capitula priora decem ejusdem capitularis; vix tamen codicem fine mutilum crediderim, sed solam periisse membranam libri custodem (*foglio di guardia*), in qua forte amanuensis reliquam capitularis partem conscripserat.

His collatis dicendum, scriptum esse codicem inter annum DCCCXXV, quo capitularia Hlotharii Olonae edita sunt, quae priore libri parte continentur, et annum DCCCXXXII, quo editum est capitulare ejusdem Hlotharii Papiense, quod, reliqua libri parte ad finem perducta, amanuensis extra sedem subjecit. Peyronus quidem codicem Eporediensem XXXIII saeculo X tribuit [2], hunc vero nostrum saeculo XI [3]. Sed postremum hoc operarum mendo fere est ut tribuam; primo enim intuitu facile apparet, codicem quo leges Langobardicae continentur esse altero antiquiorem; cf. comparata Scripturae Specimina, Tab. II, N° 3 et 4. Glossas et emendationes a secunda manu, ipsa codicis scriptura integro saltem saeculo recentiores, satis constat vix esse infra decimi saeculi finem retrahendas; earum etiam scriptura maxime convenit cum ea, qua exarata sunt supplementa codicis Vercellensis. Vetustior autem codicis Eporediensis scriptura ita Carolingici aevi propria est, ut, quamvis alia deficerent argumenta, quae ex ipsis scriptis codice comprehensis nuper attulimus, de libri aetate vix ulla esse posset dubitatio. Sane Vaticanum codicem saeculo VIIII exeunti tribuunt aut X ineunti; jam vero, sive scripturae formam spectes sive orthographiam, Eporediensem Vaticano antiquiorem nemo non dixerit.

Characteres quo codex exaratus est cursivi sunt (cf. Scripturae Specimen, Tab. I, N° 1, et Tab. II, N° 3), diversorum, ut videtur, amanuensium (cf. in Tab. I, N° 1b, finem folii 133b et initium sequentis folii 134a); scriptura ubique clara est; pauca scripturae compendia, quae nempe habent plerique ejus aetatis libri; inscriptiones haud raro uncialibus litteris exaratae sunt. Ab imperito sed accurato amanuensi librum descriptum patet, qui ne in minimis quidem textum ex arbitrio immutare aggressus sit. In orthographicis codex maxime convenit cum optimo Vercellensi; nonnulla tamen sunt, in quibus latina magis scriptura restituta est, ubi Vercellensis formas a vulgo frequentatas exhibet, et italicae linguae primordia magis prodit. Sic Eporediensis fere semper habet *liceat*, *probare*, *debeat*, *caballus*, cum in Vercellensi ferme constans scriptura sit, rarior autem in Eporediensi, *leceat*, *provare*, *deveat*, *cavallus*.

(1) *Monumenta Germaniae Historica*, *Legum T. I*, *pag.* 360–362. Quae Pertzius addit sub inscriptione *Item alia capitula* non esse huic Capitulari accensenda demonstravimus in Notis Criticis, pag. 445, fusius vero in nuper citatis Litteris ad Johannem Merkel, pag. 48–57.

(2) *Legum Barbarorum Fragmenta etc.*, sub initium.

(3) *Notizia dell'Archivio del Reverendissimo Capitolo d'Ivrea*, *pag.* 22 *fin.*

Textum, exemplari adhibito alio ab eo unde codex descriptus est, emendavit manus saeculi X exeuntis, quae eadem glossas sive interlineares, sive in codicis margine, passim adscripsit; cf. Scripturae Specimen, Tab. I, N° 2, c, d. Hasce porro codicis Eporediensis glossas, reliquis quae supersunt ad leges Langobardicas glossis antiquiores, damus in Appendice VII. Qui glossas scripsit, nonnumquam rudiore ac saepe difficili scriptura usus est; multa in ipso contextu sunt intricata, quae sensum vix praebeant. In orthographicis notanda, ut in Vaticano Legum Langobardicarum codice, frequens omissio litterae *t* finalis in conjugationibus verborum. In hasce glossas quaedam irrepsere e jure Romano, quin et semel citantur Justiniani Institutiones, quarum usum inde apparet jam saeculo decimo vel in nostris Subalpinis regionibus iterum invaluisse.

Ex altero Eporediensi volumine, de quo supra locuti sumus, duodecim capitula Peyronus edidit [1], quae in eo codice Pacto Legis Salicae subjiciuntur. Ad quintum ex hisce capitulis ita Peyronus: « Haec non est lex, « sed adnotatio Itali jurisprudentis, qui discrimen inter jus Salicum atque « Italicum circa juratores exponere voluerat. » Ego omnibus hisce capitulis non leges contineri jamdiu contendi, sed glossas, aut alia hujusmodi scripta in foro enata, et jurisperitis tribuenda [2]; cujus rei argumento mihi erant horum ipsorum capitulorum forma et argumentum, et quod, cum nonnulla ex his capitulis manifesto glossis essent accensenda, pronum erat statuere idem de omnibus ferendum esse judicium. Haud infrequentia sane sunt in codicibus hujusmodi librariorum additamenta: quale et reperimus, ab eadem manu quae codicem scripsit, in manuscripto Legum Langobardicarum Matritensi [3], et saepe occurrunt in codicibus capitularium quibus usus est Pertzius [4]. Nunc, inspecto nuper ipso codice Eporediensi, quod olim conjiciendo suspicabar, id mihi in certitudinem versum est. Nec enim ea capitula ab eadem manu scripta sunt, cui debentur *Lex Salica* quae praecedit, et quae subsequitur *Lex Alamannorum*. Lex Salica explicit in folii pagina recta; in sequentis folii pagina aversa incipit ab eadem manu Lex Alemannorum: ut sic inter utramque legem duae olim paginae a scriptura vacaverint, sive quod amanuensis bina simul folia ex incuria revolvens ab uno ad alterum transilierit, sive quae demum rei fuerit causa. Jamvero binas hasce paginas, duodecim de quibus agimus capitulis explevit posterior manus, minutiore charactere; ut in his additamentum recentioris aevi primo intuitu agnoscere liceat.

(1) *Legum Barbarorum Fragmenta etc.*, *pag.* 130-137.

(2) *Dell'edizione delle Leggi Langobardiche pubblicata per cura della R. Deputazione di Storia Patria... Al sig.* Giovanni Merkel *di Norimberga Lettera di* Carlo Baudi di Vesme. Torino, 1847, *pag.* 71.

(3) Cf. Notas Criticas, pag. 280.

(4) Quorum aliqua Pertzius pro legibus in textum recepit (ex. gr. pag. 371, vers. 3-8 et 36-38): alia rectius ut spuria in Notas rejecit (ex. gr. pag. 195, vers. 32-38; pag. 228, vers. 24 seqq.). Etiam Merkel (*Die Geschichte des Langobardenrechts*, *S.* 50, *Anm.* 24) quorumdam quae Pertzius edidit fragmentorum sinceritatem in dubium revocat.

Initio codicis adsuta fuit membrana libri custos, in cujus utraque pagina a recentiore manu, partim decimi partim undecimi saeculi, nonnulla continentur, quae hoc loco recensere non abs re erit. Primum scilicet in superiore folii margine, evanidis jam litteris, scriptum est *LEGES RO....*; titulus forte olim seu inscriptio codicis Eporediensis. Reliquam paginam, manu saeculi XI ineuntis explent duae formulae, non uno titulo notatu dignissimae, quas ideo hoc loco exhibere non abs re erit.

1. *Presencia bonorum ominum ex..... francorum et langobardorum, quorum nomina supter leguntur, conjunserunt se illa filia quondam lui, que profitetur se ex nacione sua lege vivere romana, et ille filius lui. Ipso namque ill' ibi ..... et eidem lui filio suo consenciente tt ibi locum presencia eorumdem bonorum ominum conjunct.s ipsa illa suis manibus et ejusdem lui a legitimum sibi ad uxorem abendum se tra(di)dit, quorum ipse ille ad illam adduxorem sibi abendam suscepi, quidem et dedit ipse ille lui et lui germanis ipsius qui ibi aderant cronas una valente so argentum dn bonos so..titos, tam pro mundium eidem lei conjus sua, quamque communia que e legibus pertinet ad abendum .... ille .... modo easdem crona suscepit. eoque se ille et ille germanis per easdem crona quod pro mundium susceperunt eadem illa germ et mundoalda eorum eidem lui super mundium miserunt communiaque e legibus pertinet et easdem crona simul cum praedictum mundium eidem lui ad proprium tradiderunt, et susceperunt ab eo exinde launechitta . factum est oc.*

2. *Deus Dei notarius ex castro Lomello in caminata majore sale domni Ottoni comiti palacii et comitis ipsius comitatu Lomellensis, ubi ipse in judicio adeset justitiam faciendum ac deliberandum, adesent cum eo illi ac illi judicis sacri palacii et reliqui plures. ibique eorum veniens presencia domno illo aba monesterio sancti illi situm in loco illo, cepit dicere. volo eliere ille et ille judex, et vocat' mihi ad pars ipsius monasterio in placitas peragendum, alii conpellandum, responsum dandum, finem faciendum et recipiendum ac per legem querendum et eqciendum* (excuciendum?) *tamquam ..... fecisset. et taliter ibi presens omum predictus illo abate ex eodem illo judicem suum et ipsius monesterii advocatorem elexit qualiter supra declaratum est ex ac noticia qualiter acta est causa fieri amonuerunt ..... e et ille ego notarius sacri palacii ex uxione* (iussione) *ipsorum comiti et judicum amonusione scipsi anno imperii domn etricici imperatoris deo propicio quinto, quarto die mensis decembris, indicione secunda* (Anno Domini MXVIII).

In altera folii pagina primum est, ab eadem, ut videtur, manu quae glossas scripsit, Liutprandi cap. CXL, nulla inscriptione aut numero praeposito; cf. quae ad eum locum notamus in Notis Criticis. Post hoc, paullo

8

infra: « *Item enim abetur in eodem concilio ut eorum qui addordinarii diveniunt, fides et vita prius ab episcopo dilienter desscuciatur, et sic ordinentur; litere in eodem concilio nec non et anteoceno simul et calcidonense ut fugivi clerici et pregrini ad nullo recipiatur nec ordinentur sine comendaticiis literis et sui episcopi sive abatis licenciam.* »

Hujus codicis, cujus usum domesticum Eporediensis ecclesiae canonici liberaliter concesserunt, varietatem lectionis diligentissime adnotavimus.

4) Codex Vaticanus, signatus numero VMCCCLVIIII [1], saeculo VIIII exeunte aut verius X ineunte a pluribus scriptus amanuensibus, constat foliis 146: fuere scilicet quaterniones duodeviginti, et ternio unus, seu folia 150, e quibus periere folium primum quaternionis septimi (Roth. cap. CCLVII-CCLXI); folium quintum quaternionis quintidecimi (errat procul dubio Pertzius, dum tradit hoc loco excidisse Liutprandi, ex Muratoriana numerandi ratione, Lib VI, cap. CII-CVI; excidisse puto Liutprandi De anno XVII capp. I-V, in quorum postremo occurrunt verba *custodiat eum*, quibus finiri lacunam idem Pertzius testatur); demum duo folia in ultimo ternione. Singulae codicis paginae habent versus ab undeviginti ad unum et viginti. Recenti manu in prima pagina scriptum est *Iste liber est Theodori a Malsen, Ultrajectini.* Edicta Regum Langobardorum explent quaterniones octodecim; postremus ternio, quem serius adjectum suspicatur Pertzius, habet a varia manu Capitularia aliquot Hlotharii imperatoris et Italiae regis [2]. Liber a variis amanuensibus scriptus est; scripturae specimen, a Theodoro Heyse Magdeburgensi in usus nostros confectum, damus e Rachis *Capitulis in brevi* (Tab. III, num. 3). Non modo inscriptiones plerumque unciali, quamvis saepe corrupto, charactere sunt exaratae, sed vel in ipso contextu uncialium litterarum multa vestigia; paucae ac rudes in litteris initialibus picturae. Emendationum pars est a longe posteriore manu. Edictorum prologis plerumque praescribitur vox *Argumentum.* In orthographicis nonnumquam veterem quidem ac genuinam servat formam, plerumque tamen ab ea recedit, modo formis receptis, quae ejusdem aetatis libris ferme communes sunt, modo variis scripturam mendis corrumpens; universus enim liber a negligentibus atque imperitis librariis descriptus. Sic fere semper codex habet *tingare* pro *thingare*, et *contennit* ubi Vercellensis et Eporediensis *contenit;* saepe, ut ferme in iis quae a secunda manu addita vel emendata sunt in Eporediensi, omittitur littera *t* finalis verborum, praesertim in singulari conjunctivi modi; in vocibus *habere* et *heredes* plerumque omittitur *h* littera; videre est etiam numericas formulas *quattur* pro *quattuor*, tum ferme italicas *quaranta* et *octonta*; *retdere* pro *reddere*; *ide est* vel *idee est* pro *id est*; raro, aliquando tamen, pro *conpositio*, *conponat*, etc.,

(1) *Archiv der Gesellschaft*, *Bd. IV*, *S.* 352, *ff.; Bd. V*, *S.* 239-247; *Monumenta Germaniae Historica*, *Legum T. I*, *in Praef.*, *pag.* XXVI.

(2) Quorum indicem exhibet Pertzius, *Monumenta Germaniae Historica*, *Legum T. I*, *in Praef.*, *pag.* XXVI.

1. Codex Parisiensis 4614.
fol. 5 a (Roth. cap. XI.)

XI De consilio mortis. Si homines liberi inter se in morte alterius consiliauerint

2. Codex Parisiensis 4613.
fol. 5 a. (Roth. cap. CCCXXVI.)

Si cauallus cum pede si boues cum cornu : CXLI
si porcus cum dente hominem intr) cauerit aut sica

3. Codex Vaticanus 5359.
fol. 37 a (Rachis cap. XII e XIII.)

de rebo num opera aut d transolare. hon on ficari erag; supe
i cus tene un tempus bede am sabaud & sta capralada
derub ais hi breue p uchios s traue e ueros cat nros xpo
custo docet sic cum ante fatior dinatas & urgilectas cte
l uum aniz & ztates nris apossit p eas sed ca nec e m nullis
au fugacis & anter sas picare Set. III homo pe ho haro
io epossit in cligno aut epistola regi prope adiuas q;

4. Codex Cavensis
fol. 155. b. (Rachis cap. XIII)

Plagus ista que super
Hus scripta retenentur in edictis serbantur. & ista haec
cap desubtu in breui p uidimus: ista tute
hoc aut ista causa p uidimus; uia maior
cas in stas xpo custodientes sic debeat
esse hodiernis & uigilactas uel nimi
cum. ut generis nre non possint pecas scul
cos in iactare. ut fugaces exientes susci
pere. sed nullus homo per eas in ca... possit
sine lussione. aut epistola regis. praeter eoc

5. Codex Guelpherbytanus.

XVIII Octauo decimo ut nullus ordinatus siue ordinandus migret de sua parro
echia ad aliam nec ad limina apostolorum causa orationis et ecclesia sua cura derelicta

6. Codex Gothanus
(Rotharis cap. CCCLI)

uerres in grege expugnat & uincet. tamen in
uno grege quamuis multitudo porcorum fuerit
unus computetur sonopair. nam si minor grex de
triginta capita fuerit non reputetur sonopair

per *m* scriptum *comp-*; pro litteris *ti*, quas vocalis subsequatur, fere semper scriptum est *ci*; nonnumquam *dampnum* pro *damnum*, *nichil* vel *nicil* pro *nihil*: quae omnia, in Eporediensi numquam obvia, Vaticanum, uti longe corruptiorem, ita etiam recentiorem manifesto evincunt. Notatu praeterea dignus frequens error *interiore* pro *in anteriore* (quod tamen recentior manus aliquotiens emendavit); tum *relionis* pro *religionis*; praeterea disjunctio verborum, interposita praepositione, ut *quem perlibet*, *qua procumque*, et alia id genus. In Edictis Rachis et Aistulfi pro *Langobardus* codex *Langubardus*; in Edicto Aistulfi *adque*, cum in reliqua operis parte fere semper scriptum sit *atque*: cujusmodi diversitates varietati amanuensium, a quibus codex exaratus est, tribuendas existimo. Rotharis omissa sunt capitula XXII, CCLXXVIIII, CCCLXII (recensentur tamen in rubricarum indice), et a medio Liutpr. cap. LVIIII ad medium cap. LXI, quae lacuna, oscitantiae librarii procul dubio tribuenda, incidit inter fol. 101a et 101b. Codicis folia priora centum octodecim, tum folium undequadragesimum, sunt rescripta; vetustior scriptura exhibet Psalmorum latinam versionem, unciali charactere, nec tamen valde antiquo.

5) Codex Parisiensis 4613, olim Regius 5192ª, dein Colbertinus 1385; in folio, saeculi decimi [1]. Supersunt in mutilo codice folia 100; periere, antequam codex in volumen, prout nunc se habet, redigeretur, priores quinque quaterniones; sextus incipit a verbis ...*minus eum invenerit* (Roth. cap. CCLXXIII). Numeri capitulorum in Edicto Rotharis corrupti sunt, et ipse etiam capitulorum ordo perturbatus. In folio 13 explicit Edictum Rotharis, incipit Edictum Grimowaldi: prologus capitulis adnumeratur, ut sic x recenseantur Grimowaldi capitula; index rubricarum deest. In folio 15a, cujus pars abscisa est, incipit index rubricarum Edicti Liutprandi regis; in folio 18a capitulorum textus, praeposita inscriptione *Incp causas*. Foliis abscisis desunt Liutprandi capp. LXXXIII a verbis *revertitur. Sculdahis vero* usque ad verba cap. LXXXV *foris provincia eos vindendi et*; mox a cap. XCV verbis *munditiae causa* ad cap. XCVIII verba *doloso animo libertaverit et ser-*. Liutprandi Edictum explicit in fol. 53a; Rachis regis legibus inscriptio praeponitur *Incp a domo Rachis rege serenissimo august*. Adsunt primum Notitia, tum Capitula ex Edicto; Capitula in Brevi desiderantur. Rachis leges desinunt in folio 59a; tum, inferiore folii parte resecta, deest in pagina folii recta pars inscriptionis legum Aistulfi, et initium prologi *De Anno I*; posterior pagina habet reliquam prologi partem, tum capitulum I, et initium capituli II; reliqua ejusdem capituli et initium sequentis, ob eumdem dimidiati folii defectum, in pagina aversa perierunt. In folii 64b versu 9 desinit Aistulfi cap. XXII et postremum, cui in sequenti versu, praeposito signo §, subjungitur, nulla inscriptione aut numero praeposito, fragmentum,

(1) *Archiv der Gesellschaft*, *Bd. VII*, *S.* 773-777; *Monumenta Germaniae Historica*, *Legum T. I. in Praef.*, *pag.* XXVII.

quod edidimus pag. 196 versu 37 seqq.; post quae *EXPLICIT*. Subsequuntur capitularia italica regum Francorum, quorum indicem videre est apud Pertzium, *Monumenta Germaniae Historica*, *Legum Tom. I*, in Praef., pag. XXVII. Scriptura (cujus breve specimen damus Tab. III, num. 2; amplius dedit Pertzius, *loc. cit.*, Tabula III, num. 2) satis pulchra nec lectu difficilis; initiales litterae coloribus ornatae, nonnumquam, Edictorum initio, elegantiores: quarum desiderio pleraeque e lacunis hujus codicis videntur tribuendae. Usus sum exemplis et collatione, quam liberaliter misit vir humanissimus CHAMPOLLON FIGEAC Junior.

6) Codex Parisiensis 4614, olim Regius 4898.4, Thuaneus, dein Colbertinus 777 [(1)], constat e duobus libris in unum volumen compactis. Prior, ab uno amanuense, pulcherrimo charactere, saeculo X exeunte aut verius ineunte XI duabus columnis conscriptus (cf. Scripturae Specimen, Tab. III, num. 1), continet Edicta regum Langobardorum, legem Alamannorum (cf. Merkel, Monumenta Germaniae Historica, Legum Tom. III, pag. 8), tum legem Bajuwariorum; posterior, saeculi XIII, habet Lombardam, in IV Libros distinctam. Prior codicis pars incipit a Rotharis prologo, qui duas, post quem index capitulorum, qui duodecim columnas explet; dein Rothariani Edicti contextus. Subsequitur, praeposita inscriptione *Item incipiunt capitula quas addidit domnus Crimuald rex*, index capitulorum Grimowaldi; tum, inscriptione praeposita *Item quod gloriosissimus Crimuald rex addidit dicens*, ejusdem regis prologus, post quem ipsa Edicti capitula. Liutprandi Edicto praescripta inscriptio est *Item capitula quod addidit domnus Liutprant rex*; tum index capitulorum quinque priorum voluminum, seu De annis I, V, VIII, VIIII, XI, integro singulis annis suo praeposito prologo. Post hunc rubricarum indicem legitur: *Expliciunt capitula. Incipiunt causae quas addidit domnus Liutprant rex primo anno regni sui*; tum textus capitulorum De anno I. Dein *Incipiunt capitula quod addidit in quinto anno*, subjectis ejusdem anni capitulis; post quae, praepositis ante capitula singulorum annorum rubricis *Incipit de anno octavo*; *Incipit de anno nono*; *Incipit de anno XI*, horum trium annorum capitula; cap. XI De anno VIIII in hoc etiam codice desideratur. Post cap. XXIIII De anno XI codex habet *EXPLICIT*. Ex quo, cum praecipue etiam in indice nonnisi capitula priorum quinque Liutprandi Voluminum recenseantur, pronum est conjicere, superiorem codicis, aut saltem Edicti Liutprandei, partem, descriptam esse aut derivatam e libro conscripto ante annum duodecimum Liutprandi regis. Inde vero ab anno duodecimo habentur singulorum annorum primum prologi, dein rubricae, demum ipse capitulorum contextus: ita tamen ut prologus De anno XIIII numeretur pro sexto capitulo De anno XIII; desit autem prologus De anno XXI, quem nullus servat codex; adsunt tamen in hoc

(1) *Archiv der Gesellschaft*, *Bd. VII*, *S.* 767-770.

diei et indictionis nota. Praeterea trium postremorum Liutprandi voluminum tum rubricae tum capitula in unum conjuncta sunt, ita ut continua serie numerentur capitula viginti quattuor; adsunt tamen suis locis prologi De annis XXII et XXIII, et ipsae annorum notae. Capitula *de mercede Comacinorum* desiderantur. Quibus collatis, dicendum est, Edictum Liutprandi in hoc codice descriptum esse aut derivatum non e codice universa exhibente Liutprandi regis in unum collecta volumina, sed priora quidem, ut diximus, quinque volumina derivata esse e libro, qui sola haec, necdum sequentium annorum, volumina complectebatur; reliqua vero adjecta, partim ex alio recentiore codice, partim forte ex ipsis singulorum annorum voluminibus separatim editis. — Legibus Rachis regis rubrica praescripta est *Leges quas domnus Ratchis instituit princeps*; tum prologus, dein capitulorum rubricae, post quae ipsa Edicti capitula; Notitia et Capitula in Brevi desiderantur. Demum, post rubricam *Leges quas domnus aistulfus instituit princeps. Incipit Capitula*, adsunt primum rubricae capitulorum Edicti De anno V; tum *Expliciunt Capitula. Incipit Prologus*; post quae, capitula ejusdem anni, quae explent columnas octo: Edictum De anno I desideratur. Usus sum collatione codicis, quam me rogante liberaliter perficiendam curavit v. cl. Champollion Figeac.

7) Codex olim Ecclesiae cathedralis Augustanae, jam bibliothecae Guelpherbytanae inter Blancoburgenses 130 (1), saeculi X, in folio, continet Leges Langobardicas, tum capitularia complura Karoli Magni, Hludowici Pii, Hlotharii, et Hludowici II Imperatoris; dein leges Salicam, Burgundionum, Ripuariorum, Alamannorum, Bajuariorum; passim praeterea, teste Pertzio, « notitiae complures et chartae episcopatum Augustanum concernentes, et « juramenti Judaeorum formula, manibus diversis saec. X-XII libro inscri« ptae sunt. » Scripturae specimen Pertzius dedit (Monumenta Germaniae Historica, Legum Tom. I, Tab. III, Num. 3), nos ex eo partim repetimus (Tab. III, num. 4). Priorem folii primi paginam, olim vacuam relictam forte ut picturis ornaretur, jam explet charta anni DCCCCLXXXII, a re nostra prorsus aliena. Cum secunda prioris folii pagina incipit prologus Rotharis regis, hac praemissa inscriptione: *Incipit Edictum quem reno|vavit dom̄ Rothari rex Langobardorum una| cum suis optimatibus et judicibus. Item Prologus.* Prologus desinit folii 2a versu 6; tum *Explicit Prologus. Incipiunt capitula*, quae in indice recensentur cccxc, quot etiam habet textus Edicti Rotharis, qui incipit a fol. 7a, desinit in fol. 30b. Grimowaldi adsunt primum prologus et capitula viiii; tum praeposita inscriptione quam dedimus in Notis Criticis, sequitur Memoratorium de mercedibus Comacinorum. Post hoc, sub finem folii 32b, subscriptio, quam item exhibuimus in Notis Criticis; tum Liutprandi prologus De anno I, et Liutprandi capitula, reliquis

(1) *Archiv der Gesellschaft, Bd. VII, S. 777-879; Monumenta Germaniae Historica, Legum T. I, in Praef., pag.* XXVII–XXVIII.

prologis et epilogis omissis. Capitula continuo ordine numerantur; postremum est *CLIIII*, *Memoratorium de mercede Comacinorum*. Post hoc, folii 57b versu 5, *Expliciunt leges domni Liutprandi regis. Incipit prologus domni Ratchesi regis.* Folio 58a *EXPLICIT PROLOGUS. INCIPIUNT KAPITULA. I. Si quis — palam fecerit. FINIUNT CAP. INCIP. TEXTUS.* | *Qualiter etc.* Rachis leges desinunt folio 60b, hoc modo: *Opera autem dei revelare honorificum* | *est. Ista capitula qualiter superius scripta tenentur. in edicto scribantur.* | *FINIT DE RATCHISO REGE INCIPIT QUOD DOMNUS* | *AISTULFUS SUO TEMPORE ADIUNCXIT.* | *Qm prophetica nos vaticinatio admonet etc.*; adsunt scilicet Rachis regis Notitia, Capitula ex Edicto, et pars prologi Capitulorum in Brevi. Edictum Aistulfi de anno I desideratur. Post capitulum decimumtertium et postremum de anno V adjectum est spurium capitulum, quod hinc edidimus fol. 196, vers. 24 seqq.; tum, litteris uncialibus rubris, clausula quam exhibuimus in Notis Criticis — In iis quae damus ex hoc codice usi sumus collatione, quam viri clarissimi Schoenemann et Haenelius in usus nostros propria manu confectam liberaliter transmisere.

8) Codex Monasterii Cavensis Sanctissimae Trinitatis prope Salernum [1], in folio, scriptus paulo post annum a Ch. N. MIIII, uti apparet ex iis quae habentur in fine brevis Chronici, quod idem codex exhibet fol. 176, atque inde editum est a Pertzio (Monumenta Germaniae Historica, Scriptorum Tomus III, pag. 515, 516) « Ardoynus. factus est rex in italia. et regnavit « anni non pleniter duo. Et pugnavit in italia cum exercitui henrici regis. « qui fuit dux de bajoaria. Iste henricus post discessum superscripti ottoni. « factus est [2] rex totonicorum. et post perditione exercitui ejus. ipse per « semedipsum venit in italia. et omnes lambardi mentiti sunt arduini regis. « et subdiderunt se henrici regis. Et ipse applicuit usque urbem papia. « et igne cremavit eam. et sic reversus est in totonicum regnum suum. » Atque hic Chronico finis. Jamvero Henricus, incensa Papia, in Germaniam est reversus anno MIIII. Cum vero iter italicum Heinrici et ejusdem coronatio non memorentur, patet codicem scriptum fuisse ante annum MXIIII. Scribit alibi amanuensis, Pandulfum Capodiferro se vidisse, Beneventi et Capuae principem, qui vita functus est anno DCCCCLXXXI [3]. Contra Merkel suspicatur, scriptum codicem in Cœnobio Montecassino, anno MXXIII, sub Abbate Theobaldo, fultus auctoritate catalogi codicum descriptorum ejusdem abbatis jussu, inter quos recensetur *Edictum Regum*, scilicet Langobardorum [4]. Sed nullum adest indicium, quo haec ad

(1) *Giannone, Storia Civile del Regno di Napoli (ed. 1723): Lib. V, princ.; Archiv der Gesellschaft, Bd. IV, S.* 372–373; *Bd. V, S.* 247–262; *Monumenta Germaniae Historica, Legum T. I, in Praef., pag.* XXVII; *Troya, Storia d'Italia del Medio Evo; Vol. IV: Codice Diplomatico Longobardo, Tomo II, pag.* 60–61, *ed altrove.*

(2) Ita in opere *Archiv der Gesellschaft, Bd. V, S.* 250, ubi haec Chronici particula primum edita; in *Monum. Germ. Hist.* deest vox *est*.

(3) Cf. Muratori, *Annali d'Italia*, ad hunc annum.

(4) *Storia della Badia di Montecassino, di D. Luigi Tosti Cassinese: Napoli*, 1842, *T. I, pag.* 287: « Anno Dominicae

exemplar Cavense referamus. Maxime vero probabilis conjectura Abbatis Blasii, quam his verbis exhibet in folio chartaceo, praemisso codici Cavensi: *Codex legum regum Langobardorum rarissimus. . . . Puto autem, nec immerito, a Cavensi Monasterio fuisse acquisitum anno 1263, quum dominus Eustasius Archipresbiter Casalis Rupti tradidit domino Goffrido Vestarario Cavensis Monasterii et domino Aldebrandino Armario (seu Archivistae) ejusdem, bona Ecclesiastica mobilia Ecclesiae S. Angeli de Casali Rupto ad opus et fidelitatem Monasterii Cavensis conservanda, die undecimo Februarii (1263) VI Indictione, uti legere est in Registro I Thomae Abbatis, fol. 23. Praeter alia enim suppellectilia extant plures libri, quorum unus notatur* Orago Langobardorum: *ubi legendum censeo* Origo. *Hic autem codex incipit: « In nomine domini nostri Jesu Christi incipit* origo *gentis nostrae Langobardorum, idest consuli qui dicitur Scandanan. » — Blasi, anno 1782.*

In priore pagina membranae, quae extra quaternionum seriem codici praeponitur, est ab antiqua manu breve scriptum de Germanorum populorum generatione, quod primum cum aliis nonnullis id genus scriptis a Pertzio[1], dein a Carolo Troya editum[2], hoc loco repetere non inopportunum duximus.

« Mulius rex tres filios habuit quorum nomina hec sunt. Armen. Tingus. Ostrus.

Singuli genuerunt quaternas generationes.

Armen genuit gothos. guandalos. brigidos. saxones.

Tingus genuit tuscos[3]. et langobardos. burgondiones. bajoarios.

Ostrus genuit romanos. brittones. francos. et alamannos. »

Post haec in eadem pagina, ab alia manu: *Istud codices habet quat XXXIII, et fol CCLXII.* Quum vero quaterniones XXXIII nonnisi foliis CCLXIIII respondeant, apparet, ipsam eam membranam, in qua haec scripta sunt, numero comprehendi. Ceterum, integro quaternione et octo insuper foliis deperditis, nunc supersunt folia CCXLVIIII, seu paginae quingentae, quarum nonnullae tamen scriptura vacant; singulae vero paginae habent versus ferme unum et viginti. Secundi folii, quod primum est primi quaternionis, prior pagina exhibet picturas, ad ea referendas, quae narrantur Chronici Rothariani capite II. FREA, eo ferme habitu induta, quo nostris temporibus Virgo Deipara pingi solet, recta manu collum amplexatur GODAN viri

Incarnationis 1023 Indictione VI. . . . Domnus Teobaldus reverendissimus abbas hunc librum de Expositione Salmorum scribere praecepit cum aliis XXII Codices. Hi sunt, ... Historia Romanorum (Eutropius), Historia Longobardorum (Paulus Diaconus), Edictum Regum. . . . »

(1) *Monumenta Germaniae Historica, Scriptorum T. VIII, pag.* 314, in Notis. Exemplar quod habemus Caroli Troya manu scriptum, prorsus convenit cum ed. Pertzii; in editionem Neapolitanam quaedam menda irrepsere.

(2) *Codice Diplomatico Longobardo, Tomo II, pag.* 453.

(3) Ita codex Cavensis, quod italam scribentis originem prodit; sed omnino legendum *Turingos*.

sui, promissa barba, in humili lecto cubantis; infra dextrorsum hastis et galeis armati UVINILES; sinistrorsum YBOR et AGIO, stantes, cum matre GAMBARA in subsellio sedente colloquuntur. Singulis prout ea exhibuimus nomina adscripta sunt. Cum pagina ejusdem folii aversa incipit Chronicon Rotharis regis *In nomine domini nostri jeisu christi etc.*; cf. Notas Criticas. Secundum quaternionis folium periit. Chronicon in priore pagina folii e superstitibus quinti desinit cum verbis *vertari rex*. Subsequitur Rotharis Prologus, post quem clausula *Et hoc generaliter etc.*; tum, sub folii septimi initium *Explicit prologus. Incipit capitula Rothari regis.* Capitulorum rubricae paginas occupant septemdecim; post quas, initio folii 15b, *Explicit Capitula. Incipit textus legis. quam dominus Rothari rex tempore suo instituit.* Reliquam paginae partem explet pictura, quae quidem valde differt ab ea, quam Edicto Rotharis regis praeponimus e codice Matritensi. ROTHARI REX, throno insidens, recta Armigerum [1] regium habet, laeva hominem lancea armatum, infra Stratorem [2]; dextra autem manu librum legis scribae tradit. Folium 16, seu postremum secundi quaternionis, a scriptura vacat; Pertzius recte animadvertit, duos priores quaterniones, quibus continentur Rotharis Chronicon, Prologus, et rubricarum index, scriptos videri post ipsum Edicti contextum. Prior item pagina folii 17 vacat a scriptura; cum altera ejusdem folii pagina incipiunt capitula Edicti Rotharis regis. Folium septimum tertii quaternionis periit, cum parte capituli XXXIII et sequentibus usque ad XXXVIII [3]. Octavus item quaternio periit, seu folia octo, in quibus fuit a medio capitulo CCXLVII ad medium capitulum CCCIII. Folium e superstitibus 69b incipit cum Rotharis capitulo CCCLXXXV; post hoc pictura, regem exhibens Grimowaldum, corona redimitum. Mensae cultrum et furculam superposita tradit Pertzius; forte sunt ensis, et lances seu trutina, justitiae symbola. Servus unus, eodem Pertzio teste, ferculum, alter poculum principi porrigit. In ima eadem pagina legitur: *CCCLXXXVI. Confirmatio legis qui supra Rothari regis*; tum sequens pagina incipit *Presentem vero dispositionis nostrae edictum etc.* Mox folio 70b *Explicit legem quod dominus rotharis rex renovavit cum primatos judices suos.* Sequuntur rubricae Edicti Grimowaldi, prologus, tum ipse Edicti contextus; intermixtis inter Grimowaldi capitula duobus postremis capitulis ex Edicto Rotharis regis; qua de re vide quae monuimus in Notis Criticis. Initio folii 74a, post extrema verba postremi capituli Grimowaldi regis, haec minio scripta sunt: *Explicit lege domini Grimualdi regis. In nomine domini incipit cap. edicti quas Liuprandus*

(1) Cf. *Pauli Diaconi Histor. Langob., Lib. II, cap.* XXVIII.
(2) *Ibid., Lib. II, cap.* VIIII.
(3) De hac lacuna nil Pertzius; nil etiam Troya in editione Edicti Rothariani ex codice Cavensi. Sed in apographo Cavensis codicis, de quo mox locuturi sumus, post verba Roth. cap. XXXIII *et si manus*, haec adnotantur in margine: *Mancando un foglio, si trascrive dall'edizione del Muratori quel che siegue.* Ad cap. XXXVI autem denuo adnotatur: *Questa legge trentasei fino alla legge* XXXVIII *inclusivamente non esistono nel codice Cavense, perchè manca un foglio. Il Blasi nella sua copia le supplì col testo del Muratori.* Forte ex hoc Blasii exemplari transierunt in ed. Caroli Troya, in opere *Codice Diplomatico Lombardo, Tomo II, pag.* 137-139.

rex tempore suo adjungere previdit tranquillo dum deo donante regnavit. Capitulorum Liutprandi index, per annos digestus, sed continua numerorum serie, superest usque ad capituli CXLVII rubricam *Si cujuscumque servus aldiam aut ancil||*; reliqua desunt, cum folio octavo undecimi quaternionis, in cujus altera scilicet pagina fuit pictura cum imagine Liutprandi regis. Folii e superstitibus septuagesimi noni initium hoc est: *INCIPIT PROLOGUS. Incip leges quas xpianus ac catholicus etc.* Est prologus Liutprandi De anno I, post quem ejus anni capitula; tum quinti et reliquorum annorum item prologi et capitula: nonnullis tamen prologis omissis, et perturbato, tam in textu quam in indice, ordine capitulorum De anno octavo et De anno nono; de cujus erroris probabili causa monuimus in Notis Criticis. Edictum Liutprandi explicit in extremo folio 147b; Memoratorium de mercede Comacinorum incipit initio folii 148a, desinit in medio folio 148b. Post Memoratorium ita in ipso folio pergit codex: *EXPLI LEGES QUAS DOM LIUPRANDUS REX INSTITUIT. INCP PLOG RACHISI REGIS QUE DEO JUUANTE ADDIDIT. Xpi Jhu et Salvatoris etc.* Est regis Rachis Prologus; post quem rubricarum index; tum, fol. 150b, pictura, exhibens regem Rachim, barbatum, sceptrum dextra manu tenentem; a dextra armiger, imberbis; a laeva duo viri adstant barbati. Mox in ipsa pagina inscriptio *Incipit textum legis Rachis*; post quam Rachis regis Notitia, Capitula ex Edicto, prologus Capitulorum in brevi, et pars primi capituli, eo ordine, de quo fusius in Notis Criticis. Dein, in folio 158a, *In omnipotentis dei nomine incip lex quas felicissimus atque precelsus aistolfus rex tempore suo in hanc volumine edicti instituit. Incip plog*; tum Aistulfi prologus De anno V, *Tantum prophetica nos vaticinatio etc.*, usque ad finem folii 158a. Folium 158b habet, nulla praeposita inscriptione et continua serie, integrum indicem seu rubricas capitulorum XXII Aistulfi regis. Periit sequens folium, seu quaternionis vicesimi primi folium primum, in quo fuit imago Aistulfi regis, prologus De anno Primo, capitulum primum, et initium secundi. Folium e superstitibus centesimum quinquagesimum nonum incipit a verbis capituli II *et stetit ut ille homo*; Aistulfi Edictum desinit in medio folio 166b, cum verbis *juxta legem non potuerit. deserviat et in antea.* Tum *Expl cap* *epla;* et sequuntur, usque ad fol. 167 med., spuriae epistolae duae, jamdiu editae, prior Karoli Magni ad Imperatorem Constantinopolitanum, altera Imperatoris ad Karolum Magnum. Reliqua ejusdem paginae, et sequentes usque ad medium fol. 171b, explet, nulla praeposita inscriptione, glossarium quod edidimus in Appendice VIII. Post hoc ad finem usque codicis brevia quaedam chronica, capitularia principum qui VIIII et X saeculo in meridionalibus Italiae regionibus dominationem tenuerunt, Capitularia Karoli Magni, Pippini, Hludowici Pii, Hlotharii, et alia quaedam a re nostra aliena; quae omnia accurate recenset

Pertzius [1]. Excidere folium primum quaternionis vicesimi septimi, in quo fuit effigies Karoli Magni, tum postrema tria codicis folia.

Scripturae codicis Specimen damus in Tab. III, num. 5; amplum aliud specimen, ex Roth. cap. CCCLXXXVI, tum imaginem Arechis principis, quae extat codicis fol. 182a, videre est in splendido opere cui titulus *Paléographie Universelle. Collection de fac-simile d'écritures etc. par M. Silvestre; accompagnée d'explications historiques et descriptives par M. Champoillon-Figeac et Aimé Champoillon Fils. Troisième Partie, Europe moderne, Region méridionale.* Paris, 1841, *Écriture lombarde brisée, XIe siècle. Code des lois lombardes.* — In ortographicis multa quidem servat codex ex antiquiore ac genuina scriptura quam habent Vercellensis et Eporediensis; verbis tamen et scriptura saepe ad latinam magis formam immutatis. Sunt etiam in quibus, a vetere forma recedens, consuetudini sui temporis indulgeat amanuensis, qui pro *conp* constanter scribit *comp*, itemque pro *uuidrigild*, *uuifare*, *uuadia*, *etc.*, plerumque *guidrigild*, *guiffare*, *guadia* pro *aut* saepe *aud*, et alia id genus.

Id vero prae ceteris notatu dignum, illi, qui Cavensem codicem scripsit, aut verius codicem unde Cavensis derivatus est, duos inter se valde diversos ad manus fuisse legum Langobardicarum libros: quorum unus idem fuit exemplar, aut desumptus ex eodem exemplari, ex quo fluxit Matritensis codex, de quo mox locuturi sumus; alter Vaticano similior. Ex primo descripsit Chronicon et prologum Rotharis regis, tum Edicta Liutprandi, Rachis et Aistulfi; ex altero Edictum Rotharis, Grimowaldi prologum et Edictum, ac praeterea ex eodem in Rachis et Aistulfi legibus ea supplevit, quae deerant in priore exemplari, scilicet Rachis Capitula in brevi (mutila tamen, prout, folii forte defectu, extabant in archetypo), et prologum De anno I Aistulfi regis; quae dum e binis codicibus consarcinat, supplementa nonnumquam extra genuinam sedem inseruit. Ex eadem duorum exemplarium collatione repetenda varietas lectionis, quae, in archetypo unde Cavensis liber derivatus est in margine aut inter lineas adjecta, in Cavensi adjuncta est veteri scripturae et in textum recepta. Alter ille codex, quem Vaticano similem diximus, longe tamen melioris notae fuit, ut patet conferenti cum Vaticano codice eas Cavensis partes, quae ex hoc deperdito exemplari depromtae sunt; aderat etiam Aistulfi prologus De anno V, ex quo in Vaticano sola anni nota recepta est.

Cavensem codicem multi clarissimi viri et olim et recentiore tempore manibus tractavere [2], quorum nonnulli ex eo inedita scripta in lucem protulerunt. Sed Langobardicas leges pleniores in Cavensi libro manuscripto

(1) *Archiv der Gesellschaft*, *Bd.* V, S. 255-258. Eorum index adest etiam in Caroli Troya apographo legum Langobardicarum e codice Cavensi.
(2) Cf. *Troya*, *Codice Diplomatico Longobardo*, *Tomo II*, *pag.* 60, 61.

continineri quam in editis unus ferme monuerat Giannone [1]: donec, alter alterius ignari, Pertzius, anno hujus saeculi vicesimo quarto, codicis a se pertractati, et maxima ex parte exscripti aut cum impressis collati, accuratam edidit descriptionem in Annalibus Societatis Historicae Germanicae; et octennio post Carolus Troya, vir ob praeclara scripta de rebus italicis medii aevi per omnium ora celebratus, ineditas Rachis et Aistulfi leges primus in lucem protulit, quamvis e minus accurato Cavensis codicis apographo [2]. Sed de hac et eam secutis editionibus, tum de recentissima, quam omnium Langobardicarum legum idem Troya curat ex eodem codice, infra aptior erit disserendi locus.

Plura extant Cavensis codicis recentiora apographa, sed ea minus accurata: unum quidem in ipso archivio Cavensi [3]; alterum in R. Archivio Neapolitano [4]; tertium Parisiis in Bibliotheca Regia, *Résidu St Germain*, *carton* 157 [5]. Cum vero jamdiu idem v. cl. Carolus Troya Leges Langobardicas, ad illustrandam italicam sub Langobardis historiam, integras ex Cavensi codice edere constituisset, anno MDCCCXXXV, altero collega adjutus, Leges Langobardicas et Glossarium ex eodem codice accuratissime exscripsit. Hoc apographum, quod idem Troya post aliquot annos Academiae Historicae nostrae dono dedit, constat e sex fasciculis, partim ipsius Troya partim collegae ejus Gamboa manu exaratis. Initio primi fasciculi ejusdem Troya manu scriptum legitur: *Cominciato a copiare il* 2 *giugno* 1835 *da Gamboa e da me. C. Troya;* extremae fasciculi paginae *Verificato da Gamboa e da me sul testo Cavense oggi in Cava* 15 *giugno. C. Troya.* Huic similis subscriptio ejusdem diei 15 adscripta est fasciculo secundo; dierum 16, 17 et 20 fasciculis tertio, quarto et quinto; sexto autem seu postremo *Terminato di copiare il* 19 *giugno, e verificato sul testo Cavense da Gamboa e da me oggi* 20 *giugno. C. Troya;* Margini raras quasdam notulas Troya adscripsit, uti ad verba initio Chronici *idest consuli qui dicitur Scandavan* hanc: « *Il buon copista del codice voleva dire:* idest *insulae* quae dicitur *Scandinavia.* » — Hoc vero uno, cujus fidem multis cognovi argumentis, exemplari utor, quotiens ad Cavensis codicis auctoritatem provoco.

9) Codicem Bibliothecae Regiae Matritensis, signatum litteris D. 117 [6], primus detexit Haenelius, qui eum recenset in Catalogo Manuscriptorum ejusdem Bibliothecae [7]. Est foliorum 162, in quarto, saeculi XI ineuntis; cf. Scripturae Specimen, Tab. II, num. 2. Pertzius [8] suspicatur, esse partem olim

(1) *Storia Civile del Regno di Napoli, Lib. V, princ. Napoli*, 1723.
(2) In Ephemeridibus, quibus titulus *Il progresso delle scienze, delle lettere e delle arti, opera periodica compilata per cura di G(iuseppe) R(icciardi); Napoli*, 1832, *pag.* 104–118.
(3) *Pertz, Archiv der Gesellschaft, Bd. IV, S.* 372.
(4) *Troya, Storia d'Italia: Codice Diplomatico Longobardo, T. II, pag.* 458, *ed altrove.*
(5) *Dr. Bethmann, Archiv der Gesellschaft, Bd. X, S.* 359.
(6) Cf. de hoc codice *Archiv der Gesellschaft, Bd. VII, S.* 770–772.
(7) *Catalogi librorum manuscriptorum etc., pag.* 971 : « *D.* 117. *Codex legum Langobardorum; saec. XI. membr.* 4. »
(8) *Monumenta Germaniae Historica, Legum T. I, in Praef., pag.* XXVI; *Archiv der Gesellschaft, Bd. VII, S.* 771.

avulsam e codice bibliothecae Chisianae, qui Karoli Magni et sequentium Francorum principum Capitularia Italica complectitur. Sed imaginem scripturae codicis Chisiani, quem ille saeculo X tribuit, Pertzius suae Capitularium editioni non adjunxit; quin et nisi utroque inspecto libro, et comparata forma, scriptura, quaternionum notis, quaestio probabili saltem judicio definiri vix poterit. Mihi pro certo est, Matritensem codicem non esse Cavensi antiquiorem.

Primum in codice locum, fol. 1a, tenet Rotharis Chronicon, tum, fol. 5, Rotharis Prologus: utrumque ex eodem manuscripto derivata, unde haec eadem fluxere in codicem Cavensem. Subsequitur index capitulorum Rotharis, post quem adhortatio ad judices, quam vide in Notis Criticis, pag. 280. Post hanc, fol. 16a, est imago Rotharis regis, quam ex hoc codice repetimus; tum Edictum Rotharis; dein, fol. 62b, index capitulorum Grimowaldi, quem (folio absciso, in quo fuit imago Grimowaldi, prologus, et pars capituli 1) subsequitur reliqua pars Edicti Grimowaldi regis. Utrumque Edictum, Rotharis et Grimowaldi, non ex eodem codice derivata sunt ac in manuscripto Cavensi. Folio 75 incipit, ut in Cavensi, index capitulorum Liutprandi per annos digestus, et capitulis continua serie numeratis; rubricae inde a cap. CXLVIII et imago Liutprandi regis, absciso altero folio, desiderantur. Edictum Liutprandi derivatum est ex eodem codice unde haec pars descripta est in Cavensi, uti constat tum aliis argumentis, tum potissimum e transpositis simili modo Edictis annorum VIII et VIIII. Memoratorium de mercede Comacinorum adest, conjunctum Liutprandi Edicto, cujus est caput CLIIII et postremum. Folio 141 est Rachis regis imago, tum, capitulorum indice omisso, ejusdem Notitia, prologus et capitula ex Edicto; desunt capitula in brevi, quae scriptorem libri unde Cavensis derivatus est ex altero codice supplevisse, supra tradidimus. Fol. 148b est, omisso hic etiam Rubricarum indice, imago Aistulfi coloribus depicta, post quam prologus De anno I, tum continua serie capitula XXII Edicti Aistulfi regis. In ipsa pag. 157, in qua explicit Edictum Aistulfi regis, est pictura cum inscriptione *ARECHIS DUX*; sed capitulare quod subsequitur, quodque ipsi edimus in Appendice V, Adelchi tribuitur in codice Cavensi, adstipulante ipso prologo inedito in codice Matritensi. Demum fol. 161 est breve Glossarium, quod primi edimus in Appendice VIIII; in quo medio desinit mutilus codex.

Libri scriptura ubique clara est; compendia ea ferme quae in Cavensi et aliis ejusdem aevi codicibus; numerorum notae vix umquam integris litteris signantur, etiam ubi notis voces substituimus, fulti Vercellensis aliorumque manuscriptorum auctoritate. Vox *solidos* ita constanter breviatur *sol'j*. Ortographia similis plerumque ei quam exhibet Cavensis, sed magis ab antiqua forma recedens. Codicis autem collatione utor instituta Academiae Historicae nostrae sumptibus ad marginem exemplaris Edicti Lan-

gobardici in hos ipsos usus impressi. Huic manuscripto bina foliorum paria adjecta, in quibus Adelchis Capitulare, et Glossarium descripta sunt: post quae, ejusdem docti viri manu qui collationem instituit, haec leguntur: « *Don Tomas de Sancha, Doctor de la Universidad de Madrid y abogado* « *del Colegio de los de esta Corte, Caballero de la R. y distinguida Orden* « *Americana de Isabel la Catolica, Catedratico de idioma Griego en el* « *Instituto Español, y empleado de la Biblioteca Nacional e individuo de* « *la Real Academia de la Historia.*

« *Certifico que el Codice de la Biblioteca Nacional de Madrid* Leti « D. num. 117 *acaba con la palabra* adjungat, *que està inmediatamente* « *ante que este certificado; y que todas las variantes que se han anotado* « *en las margenes de las pruebas han sido sacadas con la mayor escru-* « *pulosidad de dicho Codice; y que para este tan delicado trabajo que* « *se me encargò por la R. Academia de la Historia he puesto quanto* « *estaba de mi parte para que resulten todas las variantes con la mayor* « *exactitud; y aun no satisfecho con lo que yo pudiera hacer, me he valido* « *de los auxilios que me podian prestar algunas otras personas inteligentes* « *asì en la lectura de los codices, como en el lenguage y costumbres* « *de la media edad. Y para que conste, doy la presente en la parte que* « *baste. Madrid, 8 de Junio de 1842.* *Tomas de Sancha.* »

10) Codex Gothanus ita describitur a Pertzio [1]: « Codex ducalis Go- « thanus, olim S. Martini Moguntinensis, s. XI ineuntis, in folio maximo « duabus columnis per paginam exaratus, quattuor partibus constat: quo- « rum prior, foll. 1—146, imagine legislatoris praefixa, Ansegisi et Bene- « dicti collectiones Capitularium, adjectis Ottonis M. capitulari Franco- « fordiensi, et capitulari spurio anni 822 apud Theodonis villam; secunda, « foll. 147—223, successiones imperatorum usque Hludowicum I, praefa- « tiones *Moyses gentis Judaeorum* et *Gens Francorum inclita*, legislatorum « imagines, leges Salicam, Ribuariorum, *Capitula legis Langobardorum* « *seu Concordia de singulis causis, quas Rothari, Grimuald, Liutprant,* « *Ratgis, Aistulf constituerunt, omnes insimul adunatae et concordatae,* « in sexaginta capitula distributa, tribus tamen foliis excisis, leges Ala- « mannorum et Bajoariorum, et capitularia Karoli M. et Pippini. « Tertiam partem, foll. 224—337, codex Theodosianus et brevis Lango- « bardorum historia explent. Quarta parte, foll. 338—413, edicta regum « Langobardorum, altera vice Ansegisi capitularia, » ac praeterea quaedam capitularia Hludovici I, Hlotharii, et Hludovici II. Simili ferme modo idem codex describitur ab Haenelio [2]. Ubi autem Codicem Theodosianum hoc

(1) *Monumenta Germaniae Historica, Legum T. I, in Praef., pag.* XXVIII.

(2) *Lex Romana Wisigothorum. Ad* LXXVI *Librorum manu scriptorum fidem recognovit, septem ejus antiquis epitomis, quae praeter duas adhuc ineditae sunt, titulorum explanatione auxit, annotatione, appendicibus, prolegomenis instruxit* Gustavus Haenel Lipsiensis. *Editio post Sichardum prima. Lipsiae, MDCCCXLVIIII;* in Prolegomenis, pag. XLVI.

libro contineri tradit Pertzius, Breviarium, quod vocant, Alarici, seu Legem Romanam Wisigothorum, nonnullis tamen foliis mutilam, haberi, inter omnes constat. Historiam Langobardorum, quae est codicis fol. 335 seqq., magis cum Bethmann [1] ad quartam, quam cum Pertzio et Haenelio ad tertiam codicis partem retulerim.

Hinc patet, his in Gothano codice haberi Leges Langobardicas. Secundo loco, seu foliis 338 seqq., eae chronologico ordine dispositae sunt; praemisso brevi Chronico, quod ex Rittero (qui tamen, teste Bethmann, satis inaccurate officio functus est) repetitum edidimus in Appendice I. Quid in hac codicis parte adsit, quid desit, quinam sit legum ordo, quae libri auctoritas, mihi non constat; sed e fragmento capituli Rhotaris CCCLI, ex quo specimen scripturae codicis desumpsit Pertzius [2], autumari licet, in iis partibus quas ceteri plerique legum Langobardicarum codices exhibent, nullius ferme subsidii esse Gothanum codicem in genuino ac pristino Edicti textu restituendo. Fragmentum a Pertzio allatum ita se habet: *verres in grege expugnat* (ita solus Goth.; reliqui tum impressi tum manuscripti atque ipsa Lombarda *battit*) *et vincet* (a secunda manu *vincit*). *tamen in uno grege quamvis multitudo porcorum fuerit. unus conputetur sonopair. nam si minor grex de triginta capitum fuerit. non reputetur sonopair.* Sed in eo codice adest praeterea Memoratorium de mercede Comacinorum, subjectum, ut videtur, Edicto Liutprandi De anno XVII [3]; ut, si huic codici fides, hae leges ad annum DCCXXVIIII sint referendae. De quo tamen nil certi statui potest, donec de Gothani codicis ordine, contentis, auctoritate certius constet; praesertim cum ab ipso Liutprando bis promulgatae videantur hae leges, et secundo quidem duobus capitulis auctiores, et in nonnullis forte immutatas. Sed de his alias. Contineri autem suspicor eo codice etiam quasdam Rachis leges ab Edicto alienas, non vero Edictum Aistulfi De Anno I. — Pro ea parte qua Legem Romanam Wisigothorum complectitur, fuse de hoc libro disseruerunt Ritterus [4] et Haenelius [5].

Hi codices prostant, genuinum Edicti Langobardici textum exhibentes. His proxime accedunt alii duo, in quibus leges regum Langobardorum, chronologico ordine neglecto, in novum ordinem, habita argumenti ratione, digestae sunt a Lupo quodam, uti edocemur duobus monitis metrice

(1) *Archiv der Gesellschaft, Bd. X, S.* 363.

(2) *Monumenta Germaniae Historica, Legum T. I, Tab. III, N.* 5, ex quo repetitum in scripturae codicum specimine editionis nostrae, Tab. III, num. 5.

(3) « Ausserhalb des Edictes stand Liutprands Verordnung über das Bauwesen, Memoratorium de mercedes Comacinorum, welche in Jahre 729 erlassen und an das eilfte Buch der Gesetze angehängt worden ist. » *Johannes Merkel, die Geschicthe des Langobardenrechts, S.* 18. Jamvero haec ad nullum nisi ad Gothanum codicem referri possunt; cf. ad Memoratorium Notas Criticas nostras.

(4) In praefatione secundi voluminis Codicis Theodosiani; *Lipsiae*, 1737; *Mantuae*, 1740.

(5) *Lex Romana Wisigothorum, Lipsiae*, 1849, *pag.* XLVI: tum passim in Notis *Codicis Theodosiani* et *Novellarum* ex editione nupera Lipsiensi in *Corpore Juris Antejustiniani*.

exaratis, quae leguntur in codice de quo mox loquemur Cathedralis Mutinensis. Primum hoc est:

Carmen heroicum de totius speculatione
hujus praeclari voluminis.

Hunc heros librum legum conscribere fecit.
Evrardus prudens prudentibus omnia vexit.
Quisquis amat cunctas legum cognoscere causas.
Arbiter et clarus vult omnibus ipse videri.
Hunc avidus cupiens oculis animoque (cod. *amoque*) *requirat.*
Depictos Salicos Francos in fronte videbit.
Post legem quorum conscriptam cernet et ipsam.
Cognoscet libro Ribuenses tamque sequenti.
Consequitur quorum lex (cod. *lex lex*) *crimina multa perartans.*
Effigies jam Langobardorum tercius ornat.
Collectam legem cernes (a prima manu *cernens*) *mirabile visu.*
Post pictos multos Alamannos ipse videbis.
Et legem quorum cernes jam jamque sequentem.
Ast Bajoaria lex quintum tenet ipsa libellum.
Quam pulchras poteris si velis forte videri.
Effigies lector Francorum scena per evum.
En Carolus cum Pippino quam fulget in uultu.
En Hludowicus cesar quamque Hlotharius heros.
Ipsorum quantum et leges per cuncta tonantes.
Nunc fulgent fulgebunt quod Deus addat et ultra.

Alterum vero ita se habet:

Carmen eleycum cui supra.

Hos tibi versiculos prudens Evrarde benivolos.
Descripsi paucis infimus ecce Lupus.
Si Deus eternus vitae superadderit annos.
Nunc majora reor dignius ipse canam.
Te Pater atque Patris Prolis te Spiritus almus.
Protegat exaltet salvet honoret amet.

Quis Lupus hic fuerit, prorsus in incerto est; quo autem tempore opus suum confecerit, satis certo argumento cognoscimus (1). Muratorius, cum in

(1) Cf. Muratori, *Rerum Italicarum Scriptores*, *T. I*, *P. II*, *pag.* 9, 10; et Merkel, in *Monumenta Germaniae Historica*, *Legum T. III*, *pag.* 3, 4.

hisce carminibus nonnisi Karolus, Pippinus, Hludovicus, Hlotharius in Italia reges memorentur, scripsisse Lupum censet circa annum DCCCLX, regnante Hludowico II. Merkel scripsisse monet vivente Hlothario, seu ante annum DCCCLV. Mihi vero ex eo quod ait poëta *nunc fulgent fulgebunt*, scripsisse Lupum censeo utroque principe, Hludowico et Hlotario, adhuc viventibus, seu post annum DCCCXVII, verum ante annum DCCCXL [1]. Quidquid de his sit, hoc non ambigitur, opus a Lupo esse confectum circa medium saeculum VIIII. *Evrardus heros* autem, in cujus usus codicem Lupus conscripsit, ille est, ut post Muratorium omnes consentiunt, comes Raetiensis, Forojuliensium dux et marchio, Berengarii pater, postea Italiae regis et imperatoris. Quin et hic Evrardus, ut Merkel animadvertit, testamento anno DCCCLXVII confecto (Miraeus, Opp. diplom. I, cap. XV, pag. 19 seqq.; D'Achery, Spicileg., II, 877) *librum de lege Francorum et Ripuariorum et Langobardorum et Alamannorum et Bajovariorum* alteri filio suo Unrocho legavit: qui procul dubio idem ille fuit liber, quem in ejus usus Lupus conscripserat. Nec tamen omnes Edicti Langobardici partes, eodem Merkel teste, nec satis fide, in hanc a Lupo in LX titulos digestam collectionem illatae sunt [2]. Codex a Lupo conscriptus periit; ex eo derivata supersunt exemplaria duo, scilicet:

11) Codex Ecclesiae Cathedralis Mutinensis, scriptus, ut videtur, anno DCCCCXCI [3], quem detexit ac primus descripsit Muratorius [4], qui eo usus est in sua Legum Langobardicarum editione adornanda; nuper autem denuo contulere Blumius et Merkel [5]. Codicem ita describit Pertzius: « Praemissis excerptis Isidori et institutionum juris Romani, et historia « Francorum et Langobardorum, prologum *Moysis*, leges Salicam, Ribua- « riorum, *Capitula legis Langobardorum, seu Concordia de singulis causis* « *quam Rotharl, Grimuald, Liutprand, Ratchis, Aistulf constituerunt,* « *omnes insimul adunatae et concordatae,* » (codex addit *ut legem querentibus facilius invenire queant quod cupiunt*) « ut in Gothano codice « in LX titulos distributa, leges Alamannorum et Bajoariorum, capitularia « Karoli Magni, Pippini, Hlotharii I et Hludovici II habet, quorum « partem ineditam Muratorius . . . . . . exscripsit [6]. » Leges Langobardicas praecedit Chronicon et posterior pars prologi Rotharis regis, omissa scilicet priore parte, cujus, chronologico Edicti ordine posthabito, et legibus ex

(1) Sane et in Imperatorum Serie prologo Rothariano subjecta in hoc codice Hludovicus Karoli M. filius ultimus recensetur, annis imperii non adnotatis: ut ipso adhuc vivente haec a Lupo scripta dicenda sint. Cf. Notas Criticas ad Rotharis Chron. cap. XIII.

(2) *Geschichte des Langobardenrechts*. *S.* 19: « Diese eigenthumliche, ihrem Originale aber nicht durchaus treu gebliebene und keineswegs alle Theile des Edicts umfassende Redaction. »

(3) Ita, recte, meo quidem judicio, conjicit Merkel, *Monumenta Germaniae Histor. Legum T. III, pag.* 3, *vers.* 33, 43–46; quod ab eo anno initium ducatur tabulae chronologicae, quae quotidiano usui continua decemnovalis cycli serie ad annum usque MCLVII codici adscripta est. Cf. etiam Muratori, *loc. cit.*, *pag.* 10.

(4) *Loc. cit.*, *pag.* 9, 10.

(5) *Archiv der Gesellschaft*, *Bd. V, S.* 262, 263; *Archivio Storico di Firenze*, *Appendice*, *Vol. III*, *pag.* 784.

(6) *Monumenta Germaniae Historica*, *Legum T. I*, *in Praef.*, *pag.* XXIX.

argumenti ratione distributis, nulla jam significatio aut usus fuit. Utrumque, rogante Juliano Pieri Antecessore Romano, in usus meos manu propria descripsit vir celeberrimus Celestinus Cavedoni, Estensis bibliothecae praefectus; liberaliter favente Canonico Philippo Caula Medici, Archivio Capitulari praefecto. Codex in hac parte derivatus est ex eodem fonte ex quo Cavensis et Matritensis, sed et ipsa lectione plerumque postponendus, et in orthographicis longius a vetere forma discedit. In reliquis libri partibus raro, nonnumquam tamen, usi sumus varietate lectionis quam ex hoc codice protulit Muratorius.

12) In Gothano codice duplex esse Langobardicarum legum exemplar supra monuimus: alterum quidem, de quo locuti sumus, chronologico ordine dispositum, prius autem, ut in Mutinensi, in LX titulos distributum, sed tribus abscisis foliis mutilum. Utrum in hac operis parte alia desint in codice Gothano, mihi non constat; Merkel tradit, fragmenta tantum collectionis prostare in codice Gothano [1].

Reliquos legum Langobardicarum codices manuscriptos, in quibus chronologicus quidem servatur ordo, sed textus jam in usum fori corruptus et interpolatus, brevius recensebimus, eo servato ordine, quo eosdem enumerat et in classes distribuit Merkel, quo non alter codices Legum Langobardicarum aut diligentius inspexit, aut accuratius eorum naturam, affinitates et quodammodo familias definivit. In his nullae adsunt leges Langobardicae ab Edicto alienae; abest etiam Aistulfi Edictum De anno I.

13) Duo volumina manuscripta bibliothecae Ambrosianae Mediolanensis *O.* 53 et *O.* 55, saeculi XI ineuntis, habent Edicta regum Langobardorum, et capitularia principum qui eos subsecuti sunt usque ad Henricum I imperatorem. Ex inscriptione manu Olgiati utrique volumini inscripta discimus, hos libros e quodam coenobio [2] Secusinae urbis advectos, et cardinali Borromeo dono transmissos. De capitularibus disserere, quorum pristinus ac genuinus ordo prorsus turbatus est in hoc codice, a re nostra alienum est. In Edicto regum Langobardorum, sive orthographiam spectes, sive ipsam lectionem seu legum contextum, codex est et negligentissime scriptus, et saepe interpolatus. Rotharis prologus deest; desunt etiam capitula CLIII, CLV, CLVIII, CLX, CLXI, CLXXVI, CLXXVII, CLXXXVII, tum §i 3 et 4 capituli CCXXIII. In Liutprandi Edicto adsunt plerique prologi; prorsus desunt in Edicto Rachis et Aistulfi. Pauca quaedam loca ex hoc codice Mediolani per amicos viros

(1) *Geschichte des Langobardenrechts*, S. 19.

(2) « Hunc codicem praepositus Platea Mediolanum Taurino dono transmisit, cumque extraxit ex quodam coenobio, quod est Oscela, vulgo dicitur Susa di Savoja. » Hic non una in re labitur Olgiati; neque enim Oscela sive coenobii alicujus Secusini, sive ipsius urbis est nomen, neque Secusina civitas *(Susa)* Sabaudiae sed Italiae urbs est, in ipsis Italiae finibus ad pedes Alpium Cottiarum, utique Sabaudiae tunc Ducibus, nunc Sardiniae Regibus, subdita. – Tegumento libri inscriptum etiam est: « Questo libro è stato mandato da Susa dal Prevosto. »

curavi conferenda. Hunc codicem, post Muratorium, in cujus usus a Palatinis sociis collatus fuit [1], descripsit et denuo contulit Pertzius [2].

14) Codex Estensis, praecipue memoratu dignus, quod solus Walcausae versus exhibet quos supra retulimus; tum quod eo potissimum fundamento nititur editio Muratorii et eam secutae Legum Langobardicarum et Capitularium. Extat is etiamnum in archivio Estensi, eumque ita describit Muratorius: « non quidem vetustum, sed ex vetustissimo codice Msto descriptum « circiter annum 1490 a Peregrino Prisciano Ferrariense, viro multae eru- « ditionis, cujus libros aliquot de Ferrariensium ac Atestinorum principum « rebus manu exaratos, reliquis deperditis, servamus. *Has omnes leges* « (ita ille scribit) *licet summo studio et diligentia longaque perquisitione*, « *tandem reperimus*, *Originalemque librum barbaro etiam more repagina-* « *tum habuimus*, *venerationem quamdam vere praeseferentem. Et quoniam* « *rari et raris apparent codices ipsi*, *et a multis ignorantur Langobardae* « *leges illae*, *quarum etiam meminerunt nonnulli Jurisconsulti*, *ut omnibus* « *innotescant*, *nobis labori haud fuit*, *Leges eas omnes heic transcribere*. « Ita Priscianus.... In Estensi codice quaecumque leges a singulis Regibus « aut Augustis manarunt, eae omnes conjunctae leguntur.... Postremae « leges tres Henrico II Augusto tribuuntur..... Ex his facile colligas, « quo tempore scriptus fuerit codex ille venerandae antiquitatis, ex quo « suum exemplar, nunc in bibliotheca Estensi adservatum, Priscianus « expressit. » Hucusque Muratorius; qui praeterea monet, formulas juridicas legibus in eo codice esse adjectas, in calce autem libri Salicas etiam Leges manuscriptas legi [3]. Hanc, quae Estensi codice exhibetur, censet Merkel vetustissimam esse et ceteris pleniorem formam Libri Legum Langobardorum, seu collectionis Legum Langobardicarum, prout ineunte saeculo XI in usum fori, Papiae, ut videtur, in unum veluti corpus redactae sunt [4]. In Edicto Langobardico desunt prologi Liutprandei voluminum omnium post Sextum, itemque Liutprandi cap. LXIII. Desunt praeterea Rotharis cap. CCCLXVII, et Liutprandi prologus de anno I; sed haec utraque casu, non consilio, omissa existimaverim.

15) Codicem tunc Veronensem Sanctae Eufemiae, dein Comitis Gianfilippi Patritii Veronensis, nunc Bibliothecae Regiae Parisiensis, primus detexit Canonicus Lucius Dolleoni Bellunensis, qui varias lectiones, glossas, formulas, ex eo codice descriptas, in Corpus Legum Barbarorum, quod Canciani Venetiis edebat, inserendas transmisit. Habet Edicta regum Langobardorum, et sequentium principum leges usque ad Henricum II Italiae regem, has quidem in VII Libros distinctas; scriptus est saeculo XI exeunte, vel ineunte

(1) Muratori, *loc. cit.*, *pag.* 13.
(2) *Archiv der Gesellschaft*, *Bd. V*, *S.* 264-277; *Monumenta Germaniae Histor.*, *Legum T. I*, *in Praef.*, *pag.* XXXIII.
(3) Muratori, *loc. cit.*, *pag.* 7.
(4) Qua de re fusius disputatum vide in saepius citato Merkelii opusculo, *Geschichte des Langobardenrechts*.

XII. Capitulorum ordo idem ferme est ac in editione nostra; prologi Liutprandei omnes praeter primum desiderantur [1].

16) Judice Merkelio, ejusdem familiae ac Veronensis est Londinensis in Musaeo Britannico, *Addit of Ayscough*, N. 5411, olim Pinellianus, saeculi XI exeuntis. « Edicta regum Langobardorum et capitularia, antiquis « nonnumquam inscriptionibus servatis, usque ad leges Heinrici II impe« ratoris, adjectis, alia, saeculi tamen XI vel XII, manu, constitutionibus « Conradi et Heinrici III, exhibet, adspersis hinc inde glossis tam mar« ginalibus quam interlinearibus » [2]. Rotharis prologus a recentiore manu adjectus est; capitulorum ordo et numeri cum editione nostra ferme consentiunt. Liutprandi unus adest prologus De anno I; sed capitulo VII inscribitur nota *De anno quinto*, *indictione quarta*; capitulo XVIIII *De anno nonodecimo* (sic); capitulo XXX *De anno undecimo*; capitulo LIIII *De anno duodecimo*; reliquorum annorum notae omissae. Capitulum LXIIII, quod in Estensi aliisque desideratur, legitur sub numero LXXXIII, in fine capitulorum De anno XIIII. Textus non modo passim glossis deformatus quae in textum irrepsere, sed haud uno loco mutatus et interpolatus [3].

17) « Codex palatinus Vindobonensis in catalogo Juris Civilis num. 210, « fol., Saec. XI, Edictum et Capitularia amplexus, in constitutionibus Hein« rici III desinit. Glossas et formulas judiciales multas praebet » [4].

18) Novam, judice Merkel, una cum codice quem proximo loco recensebimus, familiam constituit « Florentinus Bibliothecae Laurentianae, Plut. « 89 sup., 86, in-8° maximo, saeculi XI ineuntis, qui Edicta regum Lango« bardorum et Capitularia continet, et in constitutione Conradi II deficit » [5]. Ultima codicis folia periere; supersunt 138, quorum prioribus tribus et octoginta continentur Edicta regum Langobardorum, reliquis Capitularia et sequentium principum leges. In capitularibus nonnulla capitula exhibet, quae in reliquis Libri Legum Langobardorum manuscriptis desiderantur; at in Edicto Langobardico nec quidpiam novi exhibet, nec etiam omnia quae jamdiu prostant in vulgatis editionibus. Et textus et orthographia maxime a pristina et genuina forma discedunt [6]. De versibus huic codici praescriptis, quibus liber a Widolino curatus dicitur, supra locuti sumus.

19) Ejusdem familiae ac superiorem Merkel codicem memorat Padolironensem, saeculi XI exeuntis, nunc in Seminario Patavinae ecclesiae extantem. Paucae in eo glossae, nullae autem formulae juridicae [7].

20) Codex Venetus, bibliothecae divi Marci V, 81, initio saeculi XII non recentior, fine mutilus, desinit in Liutprandi cap. LXXXIII; deest praeterea

(1) De hoc codice videndus Canciani, *Barbarorum Leges antiquae*, *Vol. II*, *pag.* 459-465; *Vol. V*, *pag.* 3-106.
(2) *Monumenta Germaniae Historica*, *Legum T. I*, *in Praef.*, *pag.* XXXIV.
(3) *Archiv der Gesellschaft*, *Bd. V*, *S.* 291-295; *Bd. VII*, 779-781.
(4) *Monum. Germ. Hist.*, *Legum T. I*, *in praef.*, *pag.* XXXIV.
(5) *Ibid.*
(6) *Archiv der Gesellschaft*, *Bd. V*, *S.* 277-282.
(7) *Geschichte des Langobardenrechts*, *S.* 21, et *S.* 59, *Anm.* 35.

par foliorum, in quo fuere Rotharis capitula a CCXXXIIII ad CCLXI med. Initium codicis hoc est: *Incipit aedictū quod romani* (sic!) *cū primatibus judicibus meis in dei nomine rotharis vir excellentissimus etc.* Liutprandi solus adest prologus De anno I, reliquis omissis; sed ante cap. XXX haec habet: *Explicit de annis VIIII incipit de annis X* (sic) *dies calendarum marciarum indicione V.* Orthographia incerta est, multa tamen retinet e pristina forma, quam exhibent antiquiores libri. Glossas non habet, nisi breves duas sub initium [1]. Merkel non dubitat, quin mutilus nunc codex olim integrum exhibuerit Librum Legis Longobardorum [2].

Praeter hos etiamnum superstites Edicti Langobardici libros manu scriptos, alii post renatas litteras a doctis viris memorantur, qui jam periere, aut de quibus certe utrum aut ubi locorum supersint memoria non extat.

21) Codicis Helmstadiensis meminit Turkius [3] ex Brunsio [4], quem hic anno DCCCXX scriptum tradit, et, legibus Bajoaricis conjuncta, nulla adposita inscriptione aut alio indicio quo a praecedentibus secernerentur, habuisse capitula e Rotharis Edicto CCLXXXI-CCCXLVIII, et XLIII-LXVIII. Brunsius aliquas inde affert varias lectiones; scripturam autem esse tradit lectu difficilem; quin et in postrema pagina prorsus ferme evanidam. Brunsii librum videre mihi non contigit, neque ideo licet de his fragmentis judicium proferre. Codex aut pristino adhuc loco quaerendus, aut forte cum aliis Helmstadensibus transiit in bibliothecam Guelpherbytanam.

22) Proxime nominandus venit codex, quo praecipuo fundamento nititur editio Heroldi. Fuldensis fuisse vulgo creditur; ita enim Heroldus in ipso operis titulo: *Originum ac Germanicarum Antiquitatum Libri, Leges videlicet Salicae, Alemannorum, Saxonum, Angliorum, Thuringorum, Burgundionum, Francorum, Ripuariae, Bajoariorum, Westphalorum, Werinorum, Frisionum, Langobardorum, Theutonum..... WOLVFFGANGI Abbatis Principis FULDENSIS benignitate et in patriam flagranti studio ex superba illi Collegii Bibliotheca in lucem.... prolati.* Cum Heroldus se usum memoret libris ante septingentos annos scriptis, ejus autem editio prodierit anno MDLVII, si ea quae de aetate librorum Heroldus tradit ad codicem referenda sunt, quo nititur ejus editio Legum Langobardicarum, hic liber fuerit ad VIIII saeculum referendus. Nec sane antiquior esse potest, cum apud Heroldum Carolini juris fragmenta Langobardicis legibus admixta reperiantur. Ut vero integro saltem saeculo recentiorem credamus faciunt quae non uno loco occurrunt Romanae jurisprudentiae reviviscentis certissima vestigia, cujusmodi sunt rubricae Rotharis

(1) *Archiv der Gesellschaft*, *Bd.* V, *S.* 295-296.
(2) *Geschichte des Langobardenrechts*, *S.* 21.
(3) *Die Langobarden und ihr Volksrecht bis zum Jahre* 774, *von Karl Türk: Rostock*, 1835, *S.* 183.
(4) *Beiträge zu den deutschen Rechten des Mittelalters, aus den Handschriften und alten Drucken der academischen Bibliothek in Helmstädt*, *herausgegeben von* PAUL JACOB BRUNS: *Helmstädt*, 1799, *S.* 113 *ff.*

Tituli XCVIIII, *De muri religione*, et *Tituli CV*, *De pauperie*, et aliae id genus. Quin et §i II et III *Tituli LXXXI*, *De contractibus*, inter leges Liutprandi, desumptae sunt e glossa, quam codices exhibent ad Lib. II, Tit. XXI, leg. 22 Lombardae [1], seu ad Liutprandi cap. CVII, cui ipsi apud Heroldum subjectum est spurium hoc capitulum; quae scilicet glossa, in qua et Justinianeae Institutiones citantur [2], in nonnullis manuscriptis e margine in textum irrepsit, et pro genuino capitulo habita fuit. Jamvero qui juris Romani in Italia vicissitudines compertas habeat, ei pro certo erit, neque hanc glossam, neque cetera quae in hoc codice reperias Romani juris vestigia, saeculo X exeunte esse antiquiora; neque ideo antiquiorem dici posse codicem Legum Langobardicarum, quo veluti fundamento nititur editio Heroldi. Complectebatur autem codex, spuriis tamen quibusdam adjectis, eas ipsas ferme leges, quae ex Libro Legis Longobardorum in vulgatas editiones transierunt. Notatu tamen dignus liber, quod, peculiari ordine digestus, propriam et a reliquis longe diversam familiam constituat. Leges enim in eo ad pristinum seu genuinum ordinem quidem accedunt, nonnumquam tamen ab eo recedunt, quo similis argumenti, variorum etiam aliquando principum, leges in unum colligantur, et eae quidem non continua serie per singulorum regum Edicta numeratae, ut in reliquis Edicti etiam recentioribus codicibus, sed in Titulos distributae, qui unam pluresve leges continent similis argumenti; tituli autem in paragraphos distinguuntur, quorum plures uni plerumque capitulo respondent. Ceterum apud Heroldum desunt prologi regum Rotharis, Rachis et Aistulfi, tum prologi Liutprandei posteriorum quinque voluminum; adsunt prologus Grimowaldi, tum priorum decem voluminum Liutprandi regis, quorum nonnullos pauci servarunt libri manuscripti.

Sed non uno codice usum esse Heroldum in editione sua instituenda patet ex iis quae subdit in ipso operis titulo: *collatione exemplariorum, quae vetustissimis nec non ante septingentos annos depictis characteribus expressa erant, descripti, emendati, atque in lucem magna religione editi.* Tum in aversa pagina, inter *Nomina eorum, qui communicatis exemplaribus aliquibus, collectionem nostram liberalissime juvarunt*, duo Mediolanenses occurrunt, Carolus Vicecomes Eques et Senator, et M. Antonius Ghiringhellus; quos Heroldo Italicarum potissimum legum libros contulisse, verosimile est. Sane margini editionis Heroldinae Legum Langobardicarum variae lectiones adscriptae sunt, nonnumquam optimae et lectionibus in textum receptis longe praestantiores. Unum tamen Fuldensem codicem in ipso operis contextu in hac operis parte secutus videtur, reliquorum variis lectionibus,

(1) Quam editam vide apud Merkel, de universa hac re docte disserentem in Commentatione de Exemplaribus hujus Legum Langobardicarum editionis quae prodiere anno MDCCCXLVI, quam publici juris fecit in opere quod Florentiae prodit sub titulo, *Archivio Storico (Appendice, Vol. III) pag.* 714.
(2) Cf. Notas Criticas ad Liutprandi cap. CCLV^a.

parca satis manu, in margine adnotatis; nam et ubi sui codicis mendum certissimum vel lacuna subit (cf. Roth. Tit. LXXII, § v; Tit. CI, § XLVIII; Liutpr. Tit. XXI, § III; Tit. XXVIII, § I; Tit. CII, § I) veram lectionem, quin et ipsum lacunae supplementum, nonnisi in libri margine recepit: ut textum Heroldinae editionis, nisi forte in orthographicis, in Edicto Langobardico pro fida codicis jam deperditi Fuldensis repetitione habere non dubitemus.

23) Lindenbrogius in suo Legum Antiquarum Codice edidit quidem collectionem Legum Langobardicarum in tres Libros digestam, seu *Lombardam*; sed et libri manuscripti Edicti regum Langobardorum ei ad manus fuerunt: ita enim ille in Prolegomenis: « Langobardorum leges Rotharis rex primus « in ordinem digessit.... Rotharim secutus Grimowaldus Rex et VI regni « sui anno, mense Julio, indictione XII, quae in priore Edicto emendanda « visa fuerunt, per suggestionem judicum correxit et revocavit. Hunc Liut- « prandus; qui et ipse statim ab anno regni sui primo, usque ad ann. XXIII « die Kal. Mart. indict. III in Edicti pagina multo plura quam priores « duo adjunxit; quae in MSS. Codd. suis epigraphis distincta leguntur. « Postea Ratchis et Aistulfus, dein Carolus M. et Ludovicus, Lotharius, Pi- « pinus, Guido, Otto, Henricus, Conradus Impp. pauca quaedam adje- « cere »[1]. Postrema haec verba evincunt, recentiores codices Lindenbrogio visos; sed et antiquiores ei innotuisse ostendunt quae memorat de Edicto Liutprandi, praesertim cum nota anni XXIII non modo in Libro Legis Longobardorum sed apud ipsum Heroldum desideretur.

24) Sigonius in opere *De Regno Italiae* prologos Rotharis, Grimowaldi, Liutprandi De anno I, Rachis, Aistulfi De anno V, partim integros partim breviatos, eorum scriptura ad arbitrium immutata, edidit, non ex Estensi codice (in quo, praeter alia a Sigoniano textu diversa, deest Liutprandi prologus De anno I), neque ex alio, ut videtur, e codicibus qui nostris temporibus innotuerunt[2]. Recentiore tamen codice usum apparet, cum Liutprandi unum afferat prologum De anno I. Quin imo e schedis Sigonii manuscriptis in Ambrosiana bibliotheca adservatis Blanquius in Notis ad Paulum Diaconum primus integrum edidit prologum Rotharis regis[3]. In iis quidem schedis non memoratur quo codice sit usus Sigonius; sed fuisse recentioris familiae codicem, seu Libri Legum Longobardorum, patet e versu qui prologo subnectitur

Rothar jura dedit, quae lector prima videbit.

(1) *Codex Legum Antiquarum, in quo continentur leges Wisigothorum, Edictum Theodorici, Lex Burgundionum, Codex Legis Salicae, Lex Alamannorum, lex Bajuvariorum, decretum Thassilonis ducis, lex Ripuariorum, Lex Saxonum, Angliorum et Werinorum, Frisionum, Longobardorum, Constitutiones Siculae sive Neapolitanae, Capitulare Karoli M. et Hludowici Impp. etc. Quibus accedunt formulae solennes priscae publicorum privatorumque negotiorum, nunc primum editae .... ex Bibliotheca* FRID. LINDENBROG *J. J. C.: Francofurti, anno* CIϽ IϽCXIII, *in fol.; in Prolegomenis.*

(2) *Sigonius, de Regno Italiae: Venetiis,* 1574: *Lib. II, ad ann.* 643, 668; *Lib. III, ad ann.* 713, 746, 754.

(3) *Rerum Italicarum Scriptores, T. I, P. I, pag.* 413, 414, *Not.* 99.

Codicibus manuscriptis Legum Langobardicarum recensitis, aliqua de editionibus dicenda sunt. Ut codices, ita editiones in duas classes distinguuntur; prior earum, quae leges exhibent chronologico ordine distributas; altera earum, quibus Lombarda, quam vocant, in tres Libros digesta continetur. De secundae hujus classis editionibus pauca innuisse sufficiat: primum Lombardam typis vulgasse Lugduni Marquardum Freherum anno MDXII, et Ludovico XII Galliarum regi dicasse; ex Frehero Lombardam receptam esse in Volumen, primum in Veneta anni MDXXXVI, post in aliis nonnullis editionibus Corporis Juris Civilis Justinianaei; sed e codicibus variae lectiones nonnumquam adjectae. Freherum potissimum secutus item Goldastus in Collectione Constitutionum Imperialium, cujus princeps editio anni MDCXVI saepius repetita fuit. Novam Lombardae eodem anno editionem, emendatiorem, utpote ad fidem librorum manuscriptorum optimae notae collatam, vulgavit Lindenbrogius in Corpore suo Legum Antiquarum. Jam supra innuimus, Lombardam e codicibus chronologicis tertiae familiae, seu e Libro Legis Longobardorum, esse derivatam; nullae igitur leges in ea adsunt, quae in tertiae classis codicibus desiderentur. Textus etiam idem ferme est, vix umquam corruptior aut magis interpolatus; sed quae ad orthographiam et grammaticen spectant, ea tum in manuscriptis, tum multo magis in editionibus, perpetuo mutata et ad arbitrium emendata. Omissi praeterea singulorum annorum prologi, quorum, dissoluta chronologica legum serie, nec sensus jam nec usus erat, et quorum plerique servati fuerant etiam in tertiae familiae libris manuscriptis; omissae annorum notae; omissi epilogi, nisi si quando, superiori capitulo adhaerentes, pro ejus parte habiti sunt. — Ideo vero praecipue in hac disquisitione de chronologico Langobardicarum Legum volumine memorandae veniunt editiones Lombardae, seu collectionis in tres Libros argumenti habita ratione digestae, quia ejus collectionis textum secuti sunt Muratorius, et qui ejus librum pro potissimo suarum editionum fundamento habuerunt, Georgisch, Canciani, Walterus.

1) Primus Leges Langobardicas chronologico servato ordine vulgare aggressus est Basilius Johannes Heroldus, anno MDLVII, in volumine, quod, sub titulo *Originum ac Germanicarum Antiquitatum* (1), exhibet leges

(1) En operis titulum: *Originum ac Germanicarum Antiquitatum Libri, Leges videlicet* Salicae, Allemannorum, Saxonum, Angliorum, Thuringorum, Burgundionum, Francorum, Ripuariae, Bojoariorum, Westphalorum, Werinorum, Frisionum, Langobardorum, Theutonum. *Opus certe pietatis, nec non veteris venerandaeque illius vere Francicae majestatis plenum. In quo non solum Rerum ac Vocum nostrarum proprietas cernitur, sed majorum quoque nostrorum Imperium, eorundemq; tum in divinis, tum humanis, solers quaedam administratio, omnibus Rebusp. ceu absolutissimum exemplar, sese exhibet imitandam. Hactenus et Theologorum et Jurisconsultorum studiosorumq; omnium incommodo, aut suppressum omnino, aut hinc inde lacerum atque mancum dispersum. Nunc autem* WOLVFFGANGI *Abbatis Principis* FULDENSIS *benignitate et in patriam flagranti studio, ex superba illa celeberrimi Collegij Bibliotheca, in lucem, ad temporum horum tam in Ecclesiasticis, quam in Civilibus rebus, pertinaces illas concertationes tollendas, pacandosq; bonorum animos, divinitus sane, prolati. Opera vero* BASILII JOANNIS HEROLDI, *ac collatione exemplariorum, quae vetustissimis, nec non ante septingentos annos depictis characteribus expressa erant, descripti, emendati, atque in lucem magna religione editi. Authores Legum, sequens pagina versa docebit. Basileae, per Henrichum Petri. Cum Caesareae Majestatis gratia et privilegio.* — In extrema autem operis pagina legitur *Basileae, per Henricum Petri, mense septembri, anno MDLVII.*

Salicam (cum glossis Malbergicis), Ripuariam, Alamannorum, Bajoariorum, Saxonum, Angliorum, Frisionum, Burgundionum, Langobardorum, Francorum, seu verius Ansegisi Collectionem Capitularium, post quam, quasi eae V collectionis Ansegisi Librum constituerent, Italiae regum leges, Pippini, Widonis, Ottonis I, Heinrici Imperatoris II, Chuonradi I, demum Caroli IIII.

Legibus Langobardicis hic titulus praescriptus est, e Paulo Diacono sive ab Heroldo sive a Fuldensis codicis scriptore desumptus: *Incipiunt leges Longobardorum, quas Rotharis rex, sola memoria et usu retinebat, et composuit, jussitque Edictum appellari. Anno septuagesimo septimo ex quo Longobardi in Italiam venerunt.* Sequuntur, omisso prologo, leges Rotharis, in CXXII distinctae Titulos, quorum postremus exhibet Rotharis cap. CCCLXXXV in duas paragraphos dissectum. Sequitur, praeposita inscriptione *Peroratio Regis Rotharis*, cap. nostrum CCCLXXXVI; tum, praemissa inscriptione *Additio Rotharis regis*, Tituli duo, singularum paragraphorum, habent capitula CCCLXXXVII et CCCLXXXVIII; demum, sub titulo *Epilogus*, adest clausula *Et hoc generaliter damus in mandatis etc.* Sequuntur, praemisso prologo, Grimowaldi leges, in sex Titulos distributae; tum leges Liutprandi, tributae in Titulos CXX, praemissa tamen singulorum annorum legibus nota anni regni Liutprandi regis, ante leges priorum decem annorum servatis et prologis, nec omissis, suo quoque loco, epilogis. Jam monuimus, de Fuldensi codice agentes, desiderari apud Heroldum prologum Rachis regis, solas etiam ipsas in ejus editione prostare leges, quas receperunt manuscripti codices Libri Legum Longobardorum; adsunt igitur sola Rachis capitula ex Edicto, quae novem explent Titulos. Tum Aistulfi deest Edictum De anno I, quin et prologus De anno V; ipsa anni V capitula in XII Titulos tribuuntur. Tituli, in quos singulorum regum leges distributae sunt, singuli complectuntur unum plurave Edicti capitula, divisa in paragraphos, quarum numeri non a singulis capitulis initium ducunt, sed per universum Titulum continua serie procedunt, ita ut nullo indicio appareat, unde in singulis Titulis nova lex seu capitulum initium sumat; forte in codice Fuldensi singula capitula majore seu miniata littera distinguebantur.

Omnes in hanc diem, qui de Heroldino libro egerunt, eum pro prima editione Edicti Langobardici habuere, quae leges exhiberet chronologica serie, prout e legumlatorum manu prodierant. Mihi partim alia sententia est [1]; collectionem Legum Langobardicarum, prout e codice Fuldensi apud

In pagina tituli aversa primum recensentur *Authores legum infra scriptarum ac eorum anni*, inter quos memoratur *Theodoricus Gothorum Rex*, quamvis Edictum Theodorici in hoc volumine desideretur. Post haec in eadem pagina leguntur *Nomina eorum, qui communicatis exemplaribus aliquibus, collationem nostram liberalissime juvarunt*; in his, ut supra innuimus, Mediolanenses duo. Duae aliae paginae numeris non distinctae exhibent Xilandri Augustani Carmen in Heroldum; tum decem aliae, quibus nulli item numeri adscripti, indicem universi operis. Explet reliquum volumen, seu paginas 347, ipse legum textus. Forma libri in folio parvo. Leges Langobardorum leguntur a pag. 159, ad pag. 260.

(1) *Dell'edizione delle leggi Langobardiche ecc. al sig. Giovanni Merkel di Norimberga Lettera di Carlo Baudi di Vesme. Torino*, 1847, *pag.* 24-26.

Heroldum prostat, maxima quidem pristini seu chronologici ordinis servare vestigia, tum in singulorum capitulorum, tum praecipue in Edictorum dispositione; sed revera in eo libro leges, quamvis timida et parca manu, jam argumenti habita ratione esse digestas, nec chronologicis Legum Langobardicarum editionibus Heroldinam omni ex parte posse adnumerari. Id sane probat primum ipsa quam memoravimus operis distributio in Titulos, quorum singuli complectuntur plures ejusdem argumenti leges, omissa pristina capitulorum per singula Edicta numeratione; dein prorsus evincit non modo turbatus in hunc finem ordo legum cujusque principis, sed aliquando leges cujuspiam principis inter eas translatae, quae alteri ab ipso Heroldo adscribuntur. — Inter leges Rotharis sub *Tit. XIII*, *De homine in nocte in curte alterius invento*, capitulis quae apud nos sunt XXXII, XXXIII et XXXIIII, proxime subnexa sunt capp. CCLXXVII, CCLXXVIII et CCLXXX, quod de simili argumento agant. Similiter in *Tit. XXIII*, *De aure abscisa*, praeter cap. LIII conjectum est cap. LVI; dum e converso capp. LIIII et LV separatos constituunt Titulos *XXIIII* et *XXV*. Eadem ratio fuit cur sub *Tit. XLVIII*, *De servo massario*, capitulo CXXXII subjiciatur cap. CXXXIIII. Capitulum CLXIII, sub *Tit. LXXIX*, *De parricidio*, translatum fuit proxime ante cap. CC, cui inscriptus titulus *De occisione mulieris*. Quin et Rotharis capitula CCLXXVIIII et CCLXXX translata sunt inter leges Liutprandi regis, quarum *Tituli CX*, *De vi a foeminis illata*, constituunt paragraphos VI–XIIII. Rotharis cap. CCCXXVIII retractum est ante cap. CCCXXII, ne exstaret sub *Tit. CV*, *De pauperie*, sed sub *Tit. CIIII*, *De venatoribus*; ejusdem autem Tituli *De pauperie* pleraque capitula alio ordine disposita sunt ac in genuino Edicto. E legibus Grimowaldi prima, secunda et quarta constituunt *Tit. I*, *De triginta annorum usucaptione*; tertia *Tit. II*, *De culpa servorum*. In Edicto Liutprandi priora XCVIIII capitula in LXXIII Titulos distributa sunt, sed eumdem ordinem servant ac in genuino Edicto; nisi quatenus cap. LX bis prostat apud Heroldum, semel quidem suo loco, iterum autem sub *Tit. CXX* (ultimo), *De adulterio*. In proximis autem capitulis maxima confusio, dum qui codicem Fuldensem scripsit conatur leges ex argumenti ratione disponere. *Titulo LXXIII*, *Infantem regi non posse donare*, qui complectitur Liutprandi cap. XCVIIII, seu cap. III De anno XVI, subjicitur apud Heroldum *Tit. LXXIIII*, *De sponsalibus infantis prohibitis*, sub quo primum cap. CXVII, seu cap. I De anno XVIIII, cum ipsa anni rubrica eidem capitulo praeposita, tum cap. CIII, seu cap. VIII De anno XVI. Mox sub Titulis LXXV, LXXVI et LXXVII sunt capp. VI, VII et V item De anno XVI, tum sub Tit. LXXVIII, praeposita inscriptione *Leges Lutprandi Regis*, *de anno Regni ejus XVII*, Liutprandi cap. CIIII, seu cap. I De anno XVII: ut sic inscriptio *De anno XVIIII*, cum prima ejusdem anni lege, illata sit inter capitula De anno XVI, cujus igitur anni postrema quattuor capitula apud Heroldum ad annum XVIIII pertinere videntur; et inscriptio De anno XVIIII, cum priore, ut diximus,

ejusdem anni capitulo, in hac editione posita sit ante inscriptionem et capitula De anno XVII. Notae autem annorum XXII et XXIII desunt apud Heroldum, et leges horum annorum referuntur ad Liutprandi annum XXI. Ordo item capitulorum CXLVIII-CLV valde turbatus est apud Heroldum, quin et capitula CXLVIIII et CLI illata sunt in Edictum Rachis regis sub *Tit. III, De invasionibus*, post Titulum scilicet *De seditiosis*, qui complectitur capitulum ex Edicto Rachis sextum. Inter leges Liutprandi illata esse capitula Rotharis CCLXXVIIII, CCLXXX, jam supra innuimus. Liutprandi autem capitula V De anno XVIIII, et VIIII De anno XXIII, apud Heroldum desunt. In Edictis item Rachis et Aistulfi ordo capitulorum omnino perturbatus est. Sed notanda maxime veniunt capitula tria ab Edicto Langobardico aliena, quae apud Heroldum leguntur; praesertim cum unum ex his hujusmodi sit, ut seriorem, quam vulgo creditum, Fuldensis codicis, nunc deperditi, aetatem prodat. *Tituli* scilicet *LXXVIII, De servo qui aliam uxorem superinduxerit*, paragraphus II est ex Capitulari Karoli Magni Ecclesiastico anni DCCLXXXVIIII, seu Capitulari Aquisgranensi (cap. XLIII apud Pertz; cap. XLII apud Baluzium); *Tit. CXVIII, De consuetudine*, ut monuimus in Notis Criticis ad Liutprandi cap. CL^{b}, est e Capitulari Pippini Italiae regis; quin et *Tit. LXXI, De contractibus*, paragraphi II et III, ut supra innuimus in Fuldensis codicis aetatem inquirentes, nil sunt nisi recentior quaedam glossa ad Lombardae Lib. II, Tit. XXI, leg. 22, seu ad Liutprandi cap. CVII.

His omnibus perpensis, si quis quaerat, quanta in restituendo genuino textu Legum Langobardicarum sit Heroldinae editionis auctoritas et utilitas: fatendum est, non modo codicibus melioris notae neutiquam comparandam Heroldinae editionis auctoritatem, sed, sive lectiones ipsas respicias, sive spurias genuinis legibus intermixtas, sive scripturae formam et orthographiam, vel recentiores codices esse in plerisque huic editioni anteferendos; ipsum codicem Estensem ei anteponere vix dubitaverim, saepe et Lombardam. Non tamen nullus hujus editionis usus dicendus est; sunt enim et in quibus Heroldina praestet lectioni reliquarum editionum, et cum optimis codicibus consentiat. Sed Heroldinae editionis seu Fuldensis codicis praecipua laus et utilitas est in prologis et epilogis priorum decem Voluminum Edicti Liutprandi regis, quorum nonnulli in paucis extant codicibus; quin et postremi quattuor cum deessent in Estensi libro, quo Muratorius usus est, ad nuperrima usque tempora ex solo Heroldo innotuere.

2) In Collectionem Scriptorum Rerum Italicarum ab anno a Christo Nato D ad MD, quam Mediolani adornavit Italiae decus Ludovicus Antonius Muratorius, etiam Leges Langobardicas chronologica serie dispositas editor recepit [1]. Textum legum non e codicibus exscripsit, sed ex editione Lom-

(1) *Rerum Italicarum Scriptores, ab anno aerae Christianae quingentesimo ad millesimumquingentesimum, quorum potissima pars nunc primum in lucem prodit ex Ambrosianae, Estensis, aliarumque insignium Bibliothecarum codicibus.* LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS, *Serenissimi Ducis Mutinae Bibliothecae Praefectus*, *collegit*, *ordinavit et praefationibus auxit. . . . . Tomi Primi Pars Secunda. Mediolani*, *MDCCXXV*; *pag.* 1-93.

bardae quam dedit Goldastus in opere cui titulus *Collectio consuetudinum et legum Imperialium*, repetita Francofurti anno MDLXXIIII; eas autem in ordinem digessit, quo in Estensi codice, de quo supra locuti sumus, legebantur; si quae leges, ut Rotharis cap. CCCLXVII et Liutprandi cap. LXIIII, in Estensi codice deerant, eas conjecit ad calcem legum regis, cui eae deberentur. Ex eodem Estensi manuscripto edidit prologos Rotharis et Grimowaldi, Liutprandi de annis V, VIII, VIIII, XI, XII; reliquorum Liutprandi annorum prologos, quamvis Ambrosianus codex ei aliquid subsidii suppeditaret, cum tamen deessent in codice Estensi, quem ducem sibi sequendum proposuerat, omisit in textu, praeter prologum De anno I, cujus ex Sigonio repetiit eam partem, quam ille ex alio nunc deperdito codice vulgaverat. E codice etiam Cathedralis Mutinensis recepit Rotharis cap. CCCLXXXVI. Leges Liutprandi, ad Estensis codicis fidem, distinctae sunt in sex Libros, conjectis scilicet in unum Sextum Librum, cum capitulis De anno XII, et continua serie numeratis, capitulis reliquorum annorum. Rachis et Aistulfi leges easdem habet quas manuscripti codices Libri Legis Longobardorum, et Lombarda, quae ex hujusmodi codicibus derivata; sed utrasque praemisso prologo, quos integros primus edidit. Formulas juridicas, inde a Liutprandi cap. CIII, ex eodem Estensi codice adjecit, longe pauciores tamen, quam mox dedit Cancianus ex codice Veronensi. Haec in textu; in Notis autem retulit copiosissimam varietatem lectionis e codicibus Mutinensibus Estensi et Cathedralis Ecclesiae, quos ipse contulit; rarius ex Ambrosiano, quem in ejus usus contulit Philippus Argelatus. Ex eisdem codicibus monet saepius in Notis, leges Liutprandi positas sub Sexto Libro ad diversos annos pertinere, et in varios Libros esse dispertiendas. In Notis etiam primus edidit, e codice Cathedralis Mutinensis, Grimowaldi capitula duo quae repetimus inter Leges ad Edictum non pertinentes, et Liutprandi cap. XXVIIII. Notis Criticis Historicae sunt intermixtae.

Haec editio sequentium omnium ante hanc nostram basis ac fundamentum posita est. Et sane princeps editio dicenda Edicti Langobardici, pristino seu chronologico ordine in legibus servato; quamvis enim, deficientibus melioris notae codicibus, in nonnullis peccatum sit, nec ea multa sunt, nec ipsum editionis propositum immutant. Sed cum textus legum e Goldasto, idest e Lombarda, desumptus sit, a genuino Langobardici Edicti contextu longissime abest. Major utilitas ex allata trium quos innuimus manuscriptorum librorum varietate lectionis; sed et ea editionem ad optimos libros exigenti vix ullius est subsidii, cum codices quibus usus est et inferioris notae sint, et partim negligentius collati. Editione Heroldina Muratorius usus non est, quod diu perquisitam invenire non potuerit; sed Blanquius, nanctus Heroldinae editionis exemplar, ex eo indicem Titulorum, Liutprandi prologos qui in textu editionis Muratorianae desiderantur, et alia nonnulla exscripsit, quae omnia Muratorius initio editionis suae repetenda

curavit; ut sic universa quae, sive genuina sive spuria, habet editio Heroldina quae in ipso Muratorianae editionis contextu desiderantur, inde repeti facile possint.

3) Cum anno MDCCXXXVIII, consilio Johannis Theophili Heineccii, Petrus Georgisch suscepisset uno volumine edendum Corpus Juris Germanici Antiqui [1], ei Leges Langobardicas adjunxit ex editione Muratorii, omissis ejusdem Notis sive Criticis sive Historicis. Saepe tamen textum emendavit, sive e Lombardae editionibus Boheriana et Lindenbrogiana, sive ex ipsa varietate lectionis a Muratorio allata; Heroldina editione in textu legum emendando usum non animadverti. Ex ea tamen, seu verius e collatione exemplaris Heroldini, quam a Muratorio suae editioni praepositam memoravimus, restituit suis locis in Liutprandi Edicto annorum notas, prologos, epilogos, quos habet Heroldus, in textu editionis Muratorianae desideratos. Ex ipsis fontibus e quibus textum emendavit, subjecit varietatem lectionis. — Hinc apparet editionem hanc ob commodiorem quidem usum se commendare, quod uno haud ita magnae molis volumine comprehendat praecipuas Germanicas leges, tum quod in Legibus Langobardicis ea quae Heroldus plura habet quam Muratorius, non initio operis in unum congesta, sed suis quaeque locis disposita exhibeat; quin et laudem ei deberi ob multas bonae notae in textum receptas lectiones, quas Muratorius, qui sibi statuerat sequendum Goldasti textum, in Notas amandaverat: sed neque hac editione exhiberi genuinum Legum Langobardicarum textum, verum quem reformatum exhibet Lombarda, neque illi, qui Edictum Langobardicum criticis subsidiis restituendum aggrediatur, ullius hanc editionem esse subsidii, cum nihil exhibeat, quod non e superioribus editionibus sit desumptum.

4) Si textum ipsum Legum Langobardicarum spectes, et quae Primo operis Volumine continentur, minor adhuc utilitas editionis, quam suae collectioni *Legum Veterum Barbarorum* adjunxit F. Paulus Canciani [2]; is enim, Muratorianam legum collectionem in ceteris ad verbum et ex integro repetens, id tantum novi egit, ut ipsius verbis utar, ut legum textum, quem Muratorius ex Goldasto protulerat, in Lindenbrogianum immutaret. Hinc ex Muratorii Notis quaedam variantes expungendae fuerunt, quae cum Lindenbrogiano textu vel nullam vel nullius plane momenti diversitatem referebant. Reliquas Muratorii Notas retinuit; perpaucas ipse

(1) *Corpus Juris Germanici Antiqui, quo continentur Leges Francorum Salicae et Ripuariorum, Alamannorum, Bajuvariorum, Burgundionum, Frisionum, Angliorum et Werinorum, Saxonum, Langobardorum, Wisigothorum, Ostrogothorum, nec non Capitularia Regum Francorum, una cum Libris Capitularium ab Ansegiso Abbate et Benedicto Levita collectis. Opus in gratiam Juris Germanici studiosorum, post cl. virorum Bas. Jo. Heroldi, Frider. Lindenbrogii, Steph. Baluzii, Jo. Ge. Eccardi, Lud. Ant. Muratorii aliorumque praestantissimos labores diligentius recognitum, varietatibus lectionum et indice uberrimo tam rerum quam verborum instructum, Consilio* JO. GOTTL. HEINECCII, *JC.* ... *cujus et Praefatio praemissa est, adornavit* PETRUS GEORGISCH, *J. U. D. Halae Magdeburgicae* cIɔ Iɔcc xxxviii, in-4°; a pag. 913 ad 1134.

(2) *Barbarorum Leges Antiquae cum notis et glossariis. Accedunt Formularum fasciculi, et selectae constitutiones medii aevi. Collegit, plura Notis et Animadversionibus illustravit, Monumentis quoque ineditis exornavit* F. PAULUS CANCIANI *Ord. Serv. S. Mariae Virginis S. T. D. Volumen Primum. Venetiis, MDCCLXXXI*, in-fol.; pag. 48-149, 210-259.

addidit nec magni faciendas, ac praeterea varietatem lectionis quam editioni suae adjunxerat Lindenbrogius. Quae Muratorius ex Heroldo, post paratam editionem accepta, in fronte libri posuit, iis non, ut ante eum Georgisch, usus est ad restituendos suis locis prologos, aliaque id genus quae deerant in textu Muratoriano, sed ipsam Heroldinae editionis cum Muratoriana collationem ad calcem operis ex integro repetiit.

Haec de ipsa Legum Langobardicarum editione, quae Primo Collectionis Volumine continetur. Sed cum Lucius Dolleonius, Bellunensis Ecclesiae Canonicus, Veronae in bibliotheca Sanctae Euphemiae Patrum Eremitarum Augustinensium detexisset quem suo loco descripsimus antiquum codicem Legum Langobardicarum, Canciano misit in Dissertatione Epistolari varias aliquot lectiones et glossas ex eo codice, tum formulas juridicas plures; quae omnia Cancianus in Secundo Collectionis Volumine [1] publici juris fecit. Cum vero e codice Dolleonius praecipua tantum excerpsisset, Philippus Trevisanus, Sacrae Theologiae Doctor, ex eodem libro manuscripto exscripsit omnia quae in impressis deessent, aut diversa lectione efferrentur, praecipuas praeterea notas et glossas margini codicis adscriptas. Ex iis quae Trevisanus miserat, Cancianus selegit, et Quinto seu postremo suae Collectionis Volumini [2] inseruit quae, ipsius judicio, vel diversam lectionem exhiberent notatu digniorem, vel jurisprudentiae medio aevo apud Italos vigenti lumen effundere possent. Et in hisce quidem excerptis e codice Veronensi praecipua atque unica ferme, Leges Langobardicas quod attinet, utilitas est editionis a Canciano curatae. Nobis, quibus pristinum Edicti Langobardici textum restituere propositum erat, vix ullus sive codicis Veronensis sive editionis Canciani esse usus potuit.

5) Novam Corporis Juris Germanici Antiqui editionem adornaturus, anno hujus saeculi vicesimo quarto, Ferdinandus Walter [3] etiam Leges Langobardicas et pleniores dedit et emendatiores quam prostarent in veteribus editionibus. Quid autem praestiterit et quibus subsidiis usus, ita ipse exponit: « In hac lege non pauca mihi subsidia praesto fuerunt. Praeter editiones Lindenbrogii et Muratorii primum locum tenet editio Heroldi, « unde mirum est quot optimae frugis lectiones excusserim, quae alios « editores penitus effugerunt. Tum notandae sunt variae lectiones, quas « ex diversis codicibus ipse Lindenbrogius, Senkenbergius et Brunsius edi« derunt; nec ultimum inter illas locum tenent quas Canciani ex codice « Veronensi saec. XI publici juris fecit. Denique nec eas partes neglexi, « quae ineditae adhuc nuper a Frid. Blumio in lucem prolatae sunt (*Ar« chiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde*, *Th. IV*.

(1) Quod editum est anno *MDCCLXXXIII*. Cf. ibidem *pag.* 459-478.
(2) Quod editum anno *MDCCXCII*. Cf. ibidem *pag.* 3-14; 54-93.
(3) *Corpus Juris Germanici Antiqui. Ex optimis subsidiis collegit edidit et lectionum varietatem adjecit* FERD. WALTER .... *Tom. I.... Berolini*, *MDCCCXXIV*, in-8°; pag. 670-838.

« *(Frankf.* 1822. 8*). S.* 369-83*)*.... His opibus adjutus, ipsum textum « plurimis in locis castigavi, et quae notabiliora supererant, in notis con- « gessi: Leges Liutprandi plenioribus prologis et epilogis instructas alio « numerorum ordine distinxi, ita tamen ut qui prior erat uncis incluse- « rim: deinde multas formulas nec non aliquas glossas, a Canciani ex « codice Veronensi prolatas, suis locis inserui » [1].

Editio repetita est ex ea quam Georgisch adornavit, multis tamen immutatis ad fidem librorum, quos nuper Walteri verbis memoravimus, ac potissimum Heroldini exemplaris. In eo tamen semel peccavit, quod pro novo quod Heroldus praeberet capitulo dederit quod jam suo loco aderat, et apud Heroldum loco tantum motum legebatur. Spurium autem Rachis capitulum, quod primus ex Estensi codice edidit Muratorius, in Notas rejecit. Praeter haec, et satis frequentes in textu substitutas vulgatis lectiones, haec editio differt ab ea quam Georgisch curavit potissimum ob receptas suis locis veteres glossas et formulas juridicas a Canciano vulgatas e codice Veronensi, ob numeratas continua serie Leges Liutprandi, retentis tamen et numeris quos Muratorius adposuit, tum ob receptos prologos De anno XVII, XVIIII, XXII, et XXIII, tum bina Rachis regis capitula *in brevi*, quae omnia Blumius e Cavensi, e Vaticano et ex Ambrosiano codice nuper vulgaverat. Variae etiam lectiones in ima pagina adnotantur; parcius tamen quam a Georgisch factum fuerat, et raro indicatis editionibus, fere numquam libris manuscriptis, e quibus singulae lectiones desumptae sunt.

Quos nuper memoravimus Liutprandi prologos et bina Rachis capitula primus anno MDCCCXXII ediderat Fridericus Blumius Hamburgensis, dum in Annalibus Societatis Germanicae Historicae manuscriptos Legum Langobardicarum Italicos codices recensendos suscepisset [2]. Decennio post, saepius jam memoratus vir cl. Carolus Troya Neapolitanus, primus, sed ex inaccurato Cavensis Codicis apographo, in lucem protulit leges Rachis, quae in editione nostra designantur numeris II, III, IIII; tum Aistulfi capitula II-VIIII (seu Edictum De Anno I, excepto prologo, capite I, et initio II, quae in eo codice interciderant); edidit praeterea prologum capitulorum Rachis in brevi, et priorem partem capituli I, quae a Friderico Blumio cum reliqua parte capitulorum in brevi ex eodem Cavensi et e Vaticano codice edita jamdiu esse ignorabat [3]. Eadem editio ter repetita: primum quidem Neapoli ab ipso Carolo Troya in Historia sua Italica medii aevi [4], paulo post Mediolani, subjecta repetitae editioni

(1) Ibid., *in Praef., pag.* XII.

(2) *Vorläufige Resultate für die Langobardischen Gesetze, aus italiänischen Handschriften gezogen (Eingesendet von Herrn D. Pertz aus Rom).* Von Herrn Doctor F. Bluhme; im *Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde; Bd. IV, S.* 369-383.

(3) In Ephemeridibus quibus titulus *Il Progresso delle Scienze, delle Lettere e delle Arti: opera periodica compilata per cura di G(iuseppe) R(icciardi); Napoli*, 1832, *pag.* 104-118.

(4) *Storia d'Italia del Medio Evo di Carlo Troya: Vol. I, Parte IV;* Napoli 1843: Appendicis pag. 71 seqq.

Commentationis Caroli Troya, ex ejusdem Historia decerptae [1], demum Parisiis a M. Petit de Baroncourt [2]: ex alterutra enim e superioribus editionibus, non vero, quod falso asseritur [3], e codice Cavensi descriptas esse has leges, editionum textum conferenti cum eo quem exhibet codex Cavensis manifestissime patet. Sunt tamen hae leges in editione Parisiensi ex hac nostra editione, cujus aliqua, ut infra monebimus, exemplaria prodierant, locupletatae et varietate lectionis instructae; ex editione Walteri addita etiam sunt integra Rachis capitula in Brevi.

Sed alia editio Legum Langobardicarum memoranda venit, et ea quidem hac ipsa editione nostra quodammodo recentior, nec dum absoluta, quam nuper memoratus v. cl. Carolus Troya curat in *Codice Diplomatico Langobardico*, quem adtexuit illustrandae suae Historiae Italicae medii aevi [4]. Alterum Codicis Volumen, quo continentur Edicta Rotharis et Grimowaldi, prodiit ineunte anno MDCCCLIII, tertium, quod exhibet Liutprandi Leges, excepto Memoratorio de mercede Comacinorum, exeunte eodem anno MDCCCLIII; in quarto volumine, quod propediem proditurum auctor spondet, edetur Memoratorium, tum leges Rachis et Aistulfi. Chronicon Rotharis regis Troya repetiit e textu hujus nostrae editionis, qualem exhibent L exemplaria quae prodiere anno MDCCCXLVI, codice Mutinensi tunc nondum in nostros usus collato; reliqua exacta sunt ad fidem codicis Cavensis, ipsa manuscripti servata interpunctione et orthographia, sed plerumque solutis scripturae compendiis, quae in exemplari quo utimur ipsius manu descripto accurate servata sunt. Lacunam in Cavensi libro obviam a Rotharis cap. CCXLIIII ad cap. CCCIII supplevit ex editione Muratorii; unde hoc, inter alia, incommodi ortum, quod cap. apud Muratorium CCLV, apud nos CCL[a], pro genuino in textum receperit, cum e rubricarum indice constet abfuisse a codice Cavensi. Deficientes Liutprandi prologos supplevit ex Heroldo; ex editione autem nostra, praeter alia quaedam minoris momenti, recepit postremam partem in-

(1) *Della condizione de' Romani vinti da' Longobardi; Dissertazione di Carlo Troya* (excerpta ex ejusdem Historia Italica); *Milano*, 1844, *pag.* 485 *segg.*

(2) *De regum Langobardorum Ratchidis Aistulfique recentius repertis legibus disquisitionem facultati Litterarum Parisiensi in publicam disceptationem proponebat ad Doctoris gradum promovendus* M. Petit de Baroncourt, *in Regio Borbonico Collegio Historiae Professor*, *etc. Parisiis*, 1847, *pag.* 18–31.

(3) *Ibid. pag.* 14, *not.* 9.

(4) *Codice Diplomatico Longobardo dal* 568 *al* 774, *con osservazioni e note storiche di Carlo Troya. Volume Primo. Napoli* 1845, *in*–4°. Hujus editionis, quam curabant *I Ricercatori e Pubblicatori dei Documenti di Storia Napoletana e Siciliana dal* 568 *al* 1734, nonnisi 1[us] fasciculus prodiit (paginae 120), qui priora LXXIIII Documenta, neque ideo Leges Langobardicas, complectitur. Altera editio constituit Volumen Quartum, in plures Tomos seu Partes divisum, Historiae Italicae medii aevi auctore Carolo Troya. Singulis Quarti hujus Voluminis partibus alter praeterea additus titulus, *Codice Diplomatico Longobardo dal* DLXVIII *al* DCCLXXIV, *con note storiche*, *osservazioni e dissertazioni di* Carlo Troya, *ordinate principalmente a chiarir la condizione de' Romani vinti da' Longobardi*, *e la qualità della conquista.* Edictum Rotharis regis est in hac editione Documentum CCCXIII; Edicto Glossarium Cavense et alia nonnulla adjecta sunt, tum Notae et commentarii amplissimi (Vol. IV, Part. II, pag. 60–464). Grimowaldi Edictum est Docum. CCCXXXVI et CCCXXXVII (Ibid., pag. 519–528). Liutprandi Edictum est sub numeris CCCXCVI, CCCXCVII, CCCCXVI, CCCCXVII, CCCCXXVII, CCCCXXVIII, CCCCXXXIII, CCCCXXXVI, CCCCXXXVII, CCCCXL, CCCCXLIII, CCCCXLIV, CCCCL, CCCCLI, CCCCLV, CCCCLVI, CCCCLXIV, CCCCLXV, CCCCLXVIII, CCCCLXIX, CCCCLXXII, CCCCLXXIII, CCCCLXXXVIII, CCCCLXXXIX, CCCCXCIV, CCCCXCV, CCCCXCVI, CCCCXCIX, D (Part. III, pag. 146, 150, 256, 258, 297, 298, 319, 331, 332, 346, 363, 365, 400, 401, 411, 413, 451, 454, 487, 488, 498, 500, 559, 561, 583, 594, 595, 602, 603). His quoque notae amplissimae additae.

dicis rubricarum, et capitula CXXXVIII, CXL et CLVI Liutprandi regis. Perpauca sunt, in quibus exemplar quod habemus codicis Cavensis, manu ipsius Troya magna ex parte exaratum, differt ab editione: quorum nonnulla certissimo typothetae errori tribuenda; in aliis dissidium ortum putaverim e mendis quae irrepsere in apographum quo editio nititur; nam et saepe in Notis Troya queritur, defuisse sibi occasionem codicis Cavensis denuo accuratius conferendi. Sane ubi dissident editio, et apographum quod Troya ab ipso et a Gamboa confectum et collatum Academiae nostrae dono dedit, plura ac plerumque certissima argumenta probant, genuinam codicis scripturam priore hoc apographo contineri (1).

Ceterum auctor non uno in loco professus est, non id sibi esse propositum, ut Legum Langobardicarum editionem ad critices regulas exactam curaret, sed ut easdem leges ederet ad fidem Cavensis codicis, et, arrepta occasione, de statu et jure Romanorum, seu Italorum, sub Langobardorum ditione dissereret (2). Hinc hujus editionis in instituenda critica Legum Langobardicarum editione haec ferme una utilitas, quod codicis Cavensis, qui inter optimos habendus, textum sub oculis statuat. Sed alius operis a Troya vulgati finis, alia editionis laus et usus; quod scilicet in uno hoc libro conjunctae, quod jamdiu erat in votis, et chronologica serie digestae prostent chartae, inscriptiones, et reliqua hujusmodi monumenta, quibus Langobardorum in Italia illustretur historia; dein quod leges, uti et reliqua in collectionem illata documenta, perpetuo ac copioso commentario instructae sint, quo tum alias, tum docte et fuse Auctor eam praecipue quaestionem exagitat, cujus tractandae gratia et Leges Langobardicas se edidisse profitetur, quinam fuerit Romanorum status in Italia sub Langobardorum dominatu, et quonam ii jure regerentur.

His de manuscriptis codicibus et de superioribus editionibus disputatis, aliqua de hujus nostrae editionis origine, consilio et subsidiis dicenda sunt. Anno MDCCCXXXVIIII cum v. cl. Amedeus Peyron, copticae linguae Grammaticam et Lexicon adornaturus, Romae evolvendis copticis manuscriptis operam daret, eodemque tempore v. cl. Carolus Troya in eadem Urbe versaretur, et sermo inter eos incidisset de studiis Academiae Historicae nostrae, et de Monumentis quae ejusdem cura, auspiciis Regis Karoli Alberti, Taurini edebantur: ipse Troya, rara prorsus liberalitate,

(1) Consentit enim exemplar manuscriptum cum iis, quae ex aliis testimoniis de Cavensis codicis lectione constant; ut omittam, quasdam lectiones quas exhibet editio, respuit autem apographum manuscriptum, ita manifesto falsas esse, ut hoc ipso jam eis fides sit abroganda. Hujusmodi est lectio *id.* (iduum), quam exemplar typis impressum habet in prologo Liutprandi De anno XXII, cum exemplar manuscriptum, reliquis codicibus adstipulantibus, recte habeat *kl.* (kalendarum).

(2) « Io non volli nè voglio costituire il testo delle Leggi Longobarde . . . . ; solo intesi ed intendo aver l'opportunità « di collocarvi un Comento, acconcio a chiarir le condizioni de' vinti Romani. » *Codice Diplom. Longob.*, *Tom. II*, *pag.* 93, 94. — « Io mi restringo alla pubblicazione del solo Cavense, quasi un pretesto a continuare ne' Comenti le « mie inchieste sulle condizioni de' Romani vinti da' Longobardi. » *Ibid.*, *Tom. III*, *pag.* 46.

exemplar codicis Cavensis, sua et amici manu diligentissime confectum, de quo supra locuti sumus, Peyrono tradidit in usus ipsius nostrae Academiae [1]. Huic muneri Peyronus adjecit exemplar ipso mandante confectum ab optimae tunc spei juvene Claudio Dalmazzo [2], dein Athenaei Bibliothecae subpraefecto, humanioribus litteris et amicis, quibus ob eximias animi dotes carus erat, immaturo fato ereptus: qua maxime occasione moti Curatores Historiae Patriae Studiis promovendis novam Legum Langobardicarum editionem perficiendam decreverunt. Cum honorificum ac difficile munus mihi esset demandatum, nulla interjecta mora operi alacriter incumbere coepi, quod cum ceteris studiis meis convenire maxime videbatur. Quum tamen primo intuitu in vetere illo Chronico, a quo incipit exemplar Cavense, ipsum agnovissem Rotharis Prologum, quem memorat et in Primo Historiae suae Libro pressius sequitur Paulus Diaconus [3]: aegre ferebam, ob lacunam manuscripti Cavensis antiquissimum idque ineditum monumentum sui parte mulctari; nec satis remedii afferebat Chronicon a Rittero evulgatum e codice Gothano [4], cujus major quidem pars e Rotharis Chronico descripta esset, initium tamen, aliunde desumptum, a Chronico nostro valde recederet; atque aberat haec prologi pars a reliquis libris, quos inspexerant Pertzius et Blumius, aut ab aliis inspectos descripserant [5]. Unus spem fecerat codex Cathedralis Ecclesiae Mutinensis, in quo contineri hoc Chronicon probabili argumento conjeceram [6]; sed manuscripti collationem impetrare tunc temporis Academia nostra non potuit. Nova spes affulsit, lacunam codicis Cavensis suppleri posse ope codicis Parisiensis 4613, in quo e Pertzio [7] noveram contineri primam Aistulfi legem, atque ideo ejusdem familiae cum Cavensi esse conjiciebam; tum e Matritensi, cujus primus meminerat Haenelius, et quem, duce Pertzio [8], esse partem a Chisiano libro olim avulsam suspicabar. Parisiensis codicis descriptionem, et inde a Liutprandi cap. cxii exemplar, misit v. cl. Champollion Figeac, cujus perpetuis in me beneficiis numquam pro merito referam gratias: verum hic codex lacunam quidem Cavensis libri initio legum Aistulfi ex parte supplevit, capitulum etiam suppeditavit *De marmorariis*, inter Liutprandea *De Comacinis*, quod omissum fuerat in Cavensi; sed, prioribus quaternionibus defectus,

(1) Conferantur quae de hac re Troya, *Storia d'Italia*, *Vol. IV*, *Parte I*, *pag.* 203, et *Parte II*, *pag.* 61, 62.

(2) Cf. *Vesme*, *Lettera a Merkel*, *pag.* 5; *Peyron*, *Notizia dell'Archivio del Reverendissimo Capitolo d'Ivrea*, *pag.* 26.

(3) *Histor. Langob.*, *Lib. I*, *cap.* 21.

(4) In Praefat. Tomi II Codicis Theodosiani; Lipsiae 1737.

(5) *Archiv der Gesellschaft*, *Bd. IV*, *S.* 369–373; *Bd. V*, *S.* 222–296. Operis volumina post sextum nondum prodierant.

(6) « Leges Langobardorum, quas praecedit narratiuncula de illius gentis origine ac regibus. Expressa est e Pauli « Diaconi Historia, ideoque uti superfluam suis tenebris dimisi. » Ita Muratorius de codice Cathedralis Mutinensis, in Praefat. ad *Leges Langobardicas*, *Rerum Italic. Script.*, *T. I*, *P. II*, *pag.* 10; quem scilicet in eumdem errorem incidisse suspicabar, in quem lapsus est Pertzius (*Archiv der Gesellschaft*, *Bd. V*, *S.* 248, 266; cf. etiam Merkel, *Archivio Storico*, *Appendice*, *Vol. III*, *Firenze* 1847, *pag.* 694), dum hoc idem Chronicon nanctus esset in codice Cavensi.

(7) *Monum. Germ. Hist.*, *Legum T. I*, *Tab. III*.

(8) *Archiv der Gesellschaft*, *Bd. V*, *S.* 146, 308; *Monum. Germ. Hist.*, *Legum T. I*, *in Praef.*, *pag.* XXVI.

spem Chronici Rothariani supplendi destituit. Horum tamen trium manuscriptorum librorum, Vercellensis, Cavensis, et inde a prologo Liutprandi De anno XXII etiam Parisiensis 4613, editionum praeterea, auxilio usus, ineunte anno MDCCCXLI perficiendam curavi ad viginti exemplaria editionem Edicti regum Langobardorum, singulis columnis in qualibet pagina et lato margine, in usus instituendae librorum manuscriptorum collationis, quae, ejusdem Academiae nostrae sumptu, Sangalli, Matriti, Parisiis perficienda mandata est. Horum exemplarium nonnulla doctis viris in hac Taurinensi Urbe distributa sunt, unum etiam v. cl. Petro Capei in Pisano Athenaeo Antecessori roganti missum. His exemplaribus Appendices non erant adjectae; Liutprandi capitula CXXXVIIII et CXL nonnisi e codice Vercellensi edita erant (1), necdum universi Edicti textus ad manuscriptorum fidem accuratius emendatus. Perlata, exeunte anno MDCCCXLII, collatione manuscripti Matritensis, ex quo restituta est deficiens pars Chronici Rothariani et prologi Aistulfi De anno I, multa etiam emendata in capitulis De mercedibus Comacinorum: foliis quibus hae partes continebantur nova sunt substituta.

Dum manuscriptorum librorum collatio instituitur, ego autem modo vaco editioni meae Codicis Theodosiani, modo aliis curis, saepe etiam adversa valetudine, distineor, integrum triennium praeterlabitur. Cum demum diu expectatae manuscriptorum collationes ad me perlatae essent, et jam emendandis plagulis typographicis, quarum formae integrae servatae fuerant, manum admovissem: opportune accidit, ut vir cl. Amedeus Peyron, qui jam Ciceronis orationes et Codicem Theodosianum aliosque auctores detectis a se et illustratis ineditis partibus ditaverat, nunc, inter alia, Legum Langobardicarum veterem codicem optimae notae detegeret Eporediensem; et quem ei cum aliis nonnullis bibliothecae suae libris illius Ecclesiae Canonici liberali animo commodatum concesserant, ille mihi ultro utendum permisit cum duobus aliis codicibus, Breviarium Alarici exhibentibus; quorum unus, rarioribus accensendus, integrum exhibet Theodosiani Codicis Librum XVI, post quem Constitutiones tres *De episcopali judicio*, nec non integram ampliorem Appendicem (2). Cum vero, exeunte anno MDCCCXLV, editione textus Edicti Langobardici jam absoluta, et Appendicibus praelo mox subjiciendis, ad me pervenissent desiderata diu Volumina VII et VIII Annalium Societatis Germanicae Historiae, e quibus demum accuratiorem notitiam nanctus sum codicis Guelpherbytani, tum

(1) Capitulum CXXXVIIII scilicet desinebat in verbis *per nosmedipsus audire*; capituli CXL solae aderant, quas servat index codicis Vercellensis, litterae * * *r oc* * * *

(2) De his codicibus vide Haenelii Praefationem ad Constitutiones a Sirmondio editas (Lipsiae, 1844), *not.* 13; tum Praefationem ad legem Romanam Wisigothorum (Lipsiae, 1849), *pag.* XLIX *et* LII. In altero codice, deficientibus passim foliis mutilo, summaria et adnotationes in margine adjecit partim coaeva manus, partim recentior. Adest etiam postrema pars Novellae Majorani *De episcopali judicio*, quae hucusque ex solo Sichardo innotuit, et e deperditi Morbacensis codicis, ex quo ille hausit, apographo Basileensi.

foliorum Turicensium codicis Sangallensis: horum quidem collationem omittendam duxi, quod vix inde quidpiam utilitatis sperarem, cum et Sangallensium foliorum lectiones vix umquam Vercellensibus praeferendas essem expertus; sed, quo integritati editionis nihil deesset, curavi ut ex Guelpherbytano in usus meos describeretur Rotharis prologus, et lex Aistulfi ultima, quam, procul dubio spuriam, unus ille codex exhibet, tum capitula de mercedibus Comacinorum, quae manuscriptorum collatione ad sinceram, quantum fieri potuit, lectionem redacta, et doctissimo Caroli Promis, Antecessoris Taurinensis, commentario illustrata, primi edidimus. Haec Guelpherbytani codicis excerpta manu propria summaque diligentia descripsit C. P. C. Schoenemann, Bibliothecae Ducalis Guelpherbytanae Praefectus. Sed cum, ut supra innuimus, pars libri textum Edicti Langobardici exhibens jam impressa esset, nonnisi in Appendicibus (III et XI), in exemplaribus Edicti Langobardici quae prodiere anno MDCCCXLVI Guelpherbytani codicis esse usus potuit; vicerat enim sententia, ut quae typis impressa tunc essent, seu Edicta regum Langobardorum et Appendices, ad pauca saltem exemplaria publici juris fierent, ad explenda doctorum hominum vota, quibus jamdiu hoc opus undique expetebatur; reliqua exemplaria tum demum vulgarentur, cum ex integro typis mandatae essent Notae Criticae et Variae Lectiones, et reliqua id genus libro adjungenda. Ea est editio, quae ad L exemplaria prodiit anno MDCCCXLVI (1). Quam nunc vulgamus, pro ea parte quae tunc prodiit eadem est illa editio: exceptis paginis 5–12, ob Rotharis Chronicon denuo impressum, postquam exeunte anno MDCCCXLVII accepi exemplar ejusdem Chronici e manuscripto Mutinensi; paginis 145-162, propter capitulum Liutprandi CXL emendatum e codice Eporediensi, capitula CLVII-CLXIIII e Guelpherbytano, et restitutum ordinem capitulorum Rachis Regis; demum paginis 209–212, in quibus omnes inscriptiones Langobardicas collegi in Pedemontio repertas, cum olim solas recepissem, quarum lapides etiamnum in R. Athenaeo servantur. Commentationis Caroli Promis de Magistris Comacinis pauca exemplaria seorsim prodiere, minore forma, et addita brevi praefatione (2). Eadem

(1) *Edicta Regum Langobardorum edita ad fidem optimorum codicum opera et studio Caroli Baudi a Vesme, ex Curatoribus Historiae Patriae studiis promovendis. Augustae Taurinorum. E Regio Typographaeo. M. DCCC. XLVI;* in fol. In pagina tituli aversa scriptum est: *unum e L exemplaribus, quae, nondum absoluta editione, ad explenda doctorum hominum vota typis mandata sunt kal. mart. MDCCCXLVI.*

(2) *Regum Langobardorum Leges de Structoribus, quas C. Baudius a Vesme primus edebat, Carolus Promis Commentariis auxit. Augustae Taurinorum. Ex Regio Typographaeo. MDCCCXLVI;* in 8°. Ex Praefatione, quam auctor huic editioni adjunxit, haec repetenda hoc loco videbantur:

« . . . .

« Inter leges jam pridem vulgatas particulae erant de structoribus (Rotharis § CXLIV, CXLV), qui ab oris Larii lacus « apud oppidum Novocomense nec non a finitimis locis egressi, Magistrûm Comacinorum inferiore aevo nomen obtinue- « runt, quique per totam Italiam usque ad XIIII saeculum aedificiorum omnium seu architecti seu artifices fuerunt, « saepius etiam utrumque: sed illae quamquam structorum nomen referentes, revera structoriam artem minime respi- « ciunt, sed damna tantum fortuita, quae dum aedificatur contingere possunt praecipue ruentibus ponderibus, uti tigno « vel saxo, illatoque vulnere aut nece vel structoribus ipsis vel alienis hominibus. Hae particulae tantum, nunc primum « editae, ad artem structoriam spectant, et ex iis solum cum operarum pretia artificumque stipendia, tum tenebricosae « illius aetatis consuetudines aedificatoriae adhuc prorsus ignotae satis liquido innotescunt.

Caroli Promis Commentatio anno nuper elapso denuo typis mandata est Monachii a v. cl. J. T. Neigebaur, emendato textu e mea ad Merkel edita Epistola, et additis Notis Criticis et Variis lectionibus, quorum exemplar ex editione mea nondum absoluta petenti lubens concesseram (1).

De editione mea Legum Langobardicarum, prout tunc prodiit, fuse disseruit quem saepius memoravimus v. cl. JOHANNES MERKEL Norimbergensis (2); nec multo post ipse ego, edita commentatione de Taurinensis editionis consilio et subsidiis (3), ex parte saltem occurrendum censui incommodo, quod e nondum editis Notis Criticis ortum esset. Exeunte autem nuper elapso anno idem Merkel pauca quaedam publici juris fecit de nupera quam Neigebaur curaverat editione Memoratorii tum de mea quam nuper memoravi commentatione (4). — Haec de editionis hujus nostrae origine et historia breviter saltem praefari haud inutile visum est.

In ea perficienda his quae supra recensui fultus subsidiis, non modo recentiores aut deterioris notae codices, Ambrosianum, Mutinenses, Florentinum, Veronensem, Londinensem, Venetum, ceterosque id genus, nec putavi conferendos, nec etiam, nisi perraro, utendum collatione a Muratorio aliisque instituta; sed ne manuscriptorum quidem quibus sum usus lectionis varietatem in universo Edicto putavi afferendam, aut parem eorum in singulis Edicti partibus rationem habendam. Inter ipsos enim prioris familiae codices delectus faciendus videbatur; cum aliqui adessent tantae antiquitatis et fidei, ut, ubi ii non deficiunt, experientia edocuerit, alios quidem aliquot melioris notae codices in subsidium adhibendos, quorum ope vitia emendarentur, quae interdum vel in optimis libris humana parum cavit natura; plurium autem ac minus fidorum codicum collatione sinceriorem Edicti Langobardici textum non praeberi, sed supervacua variarum lectionum mole, tribuendarum arbitrio aut incuriae ama-

« Lectionis perspicuitati maxime obstabat incredibilis ipsorum textuum barbaries ab amanuensium ignorantia mire « aucta et involuta: erant et voces glossatoribus ignotae: erant particulae tanta lectionum varietate discrepantes, ut nulla « esset eligendi certitudo. Curavi itaque pro viribus, ut singulae particulae ad litteralem saltem sensum redactae essent; « quae deinceps obscuriora et magis involuta remanserant, perpetuis scholiis munivi, schematibus etiam rem effinxi.

. . . .

« Hoc denique moneam, Barbarorum leges jura publica et civilia tantum respexisse, hoc est commercia et rationes « inter dominatores et subjectos; solos vero Langobardos, Italiam antiquam artium reginam tenentes, rei structoriae « momentum sensisse, legesque ad rem dedisse, quae saltem probant teterrima illa aetate architectos atque structores « Italos veteres fuisse, et tunc temporis in Italia plura aedificia et minori inscitia extructa, quam apud exteras gentes.

« Augustae Taurinorum. Kal. Martii MDCCCXLVI. »

(1) *Regum Langobardorum leges de Structoribus, quas C. Baudius a Vesme primus edebat, Carolus Promis Commentariis auxit. Secundum editionem Augustae Taurinorum repetendas curavit J. F. Neigebaur; Monachii; G. Franzius; MDCCCLIII.*

(2) Edita Commentatio in *Archivio Storico Italiano; Appendice, Tom. III; Firenze*, 1847; *pag.* 692-729; cf. etiam *pagg.* 784, 785.

(3) *Dell'edizione delle Leggi Langobardiche publicata per cura della Regia Deputazione sopra gli Studii di Storia Patria, ed Osservazioni e Schiarimenti sull'Articolo del sig. Giovanni Merkel nell'Archivio Storico di Firenze (Appendice, vol. III, pag.* 692 *e seguenti) intorno la predetta edizione. Al sig.* GIOVANNI MERKEL *di Norimberga Lettera di* CARLO BAUDI DI VESME: in Ephemeride Taurinensi *Antologia Italiana; Torino* 1847, *Tom. III, pag.* 546-594; 662-686. Exemplaria aliquot hujus epistolae seorsim edita fuerunt; quibus utimur in citandis operis paginis.

(4) *Litterarisches Centralblatt für Deutschland; Leipzig*, 1853, 5 *November, N.* 45, *S.* 747. Merkelium esse scripti auctorem prodit Petrus Capei, in *Archivio Storico Italiano (Appendice, Tomo IX); Firenze*, 1853, *pag.* 282. Superest ut Merkelio pro humanissimo de opere judicio debitas agam gratias.

nuensium, librum onerari. Qua in re id denuo adnotasse non abs re erit, hoc unum nobis propositum esse, ut genuinum ac pristinum textum Legum Langobardicarum in lucem proferamus; aliorum curae et studiis relinquentes ea recensere, quae sint in usum fori serius in hisce legibus omissa, adjecta aut immutata. Sane cum, aestimandae cujusque codicis auctoritatis gratia, varietatem lectionis e pluribus codicibus nobis paraverimus, ne unam quidem lectionem reperire contigit iis potiorem, quas praebuerant codices, quos in editione adornanda duces delegeramus: ut certissime apparuerit, sine ullo damno carere nos posse collatione quorumdam primae classis librorum, in ea saltem operis parte, quae superest in optimis et antiquissimis manuscriptis. His moti argumentis, aliquos quidem manuscriptos codices integros conferendos duximus; alios in iis tantum partibus, quae in nonnullis ex optimis et antiquissimis, ac potissimum in Vercellensi, desiderantur; ceterorum, uti et editionum, vix ulla esse poterat in re nostra auctoritas et utilitas.

I) In universo Edicto, seu Edicti partibus quas singuli codices exhibent, usi sumus integra collatione manuscriptorum quinque.

1) Sangallensis codicis usi sumus collatione foliorum triginta sex, exceptis scilicet decem ejusdem codicis foliis Turicensibus, quae serius mihi innotuerunt. Codex Sangallensis, ut Vercellensi praestat antiquitate, ita longe cedit ipsa lectionis sinceritate, sive textum ipsum consideres, sive scribendi rationem et orthographiam; multas enim habet hic liber proprias scribendi formas, quae nullo alio vetere Legum Langobardicarum codice firmantur. Quin et Rothariani Edicti capitulum CCXVIII in codice Sangallensi omissum est sine ullo lacunae vestigio, ut defectus nisi incuriae amanuensis tribui vix possit. Accedunt lacunae, quibus ultra dimidium Edicti Rothariani desideratur; ut, si in superstite ejusdem Edicti parte hunc potissimum ducem sequamur, reliquorum, quae necessario petenda essent e Vercellensi aliisque libris, et textus et orthographia valde differrent ab ea operis parte quae descripta esset e Sangallensi, cujus propria indoles, et qui haud raro a ceteris discedit: quo incertus evaderet et sibi ipsi discors Rothariani Edicti contextus. Has ob causas, multum quidem tribui antiquissimi codicis auctoritati; ejus lectiones recepi haud paucas, plures fortasse quam par erat: sed alios codices, ac praecipue Vercellensem, etiam in Edicto Rotharis regis habui pro potissimo editionis fundamento.

2) De codice Vercellensi verissime testatur Blumius, scriptorem ab initio ad finem operis pari semper, et quae fidem prope superet, usum diligentia [1]. Hinc et optimas lectiones exhibet codex, aut solus (cf. notata

(1) « Der Schreiber hat von Anfang bis zu Ende seiner Arbeit eine stets gleiche, *beinahe unglaubliche* Sorgfalt bewiesen. » Blume, in *Archiv der Gesellschaft*, *Bd. V*, *S.* 239.

ad pag. 132, vers. 39), aut cum paucis et melioris notae libris manuscriptis. In orthographicis autem multa eaque certissima argumenta evincunt, non arbitrio aut temporis consuetudini indulsisse amanuensem, sed exemplar sibi propositum summa fide exscripsisse; hoc autem exemplar primaevam et sinceram Edicti Langobardici scripturam accurate servasse. Cum, ut suo loco monuimus, in Edicto Liutprandi indicem capitulorum, qui in archetypo deerat, confecturus amanuensis, per binos aliquando aut ternos versus prima cujusque capituli verba descripserit, haec priora capitulorum verba in utroque exemplari, hoc est in indice et in textu, ita consentiunt, ut vix umquam vel levissimum inter utrumque intersit discrimen, quod scriptorem prodat minus diligentem ac minus fidum in exemplari describendo, quod ante oculos propositum haberet. Indubium autem est, in Vercellensi libro capitulorum indicem descriptum esse ex archetypo, ante ipsum Edicti contextum, non vero demum ex hoc fuisse consarcinatum. Ex hoc autem miro scripturae consensu in textu et in indice argui certo potest, scribendi formam, seu orthographiam, quam exhibet, non esse tribuendam amanuensi; quod e converso de Sangallensis libri scriptura verius videtur. Inter singulorum etiam principum Edicta constans quaedam et perpetua scripturae in hoc codice varietas, quam Eporediensis etiam suo testimonio firmat, et quae certissimo argumento evincit, scribendi formam seu orthographiam, quam habet Vercellensis, e singulorum Edictorum archetypis esse repetendam. Sed Vercellensis libri fidem, sive quoad ipsum contextum sive in orthographicis, maxime firmat reliquorum librorum auctoritas, qui, quamvis e diverso omnes fonte derivati, ita ei adstipulantur, ut consensus maximus sit in optimis et antiquissimis, nec tamen omnino desideretur vel in recentissimis codicibus, atque in ipso Libro Legis Longobardorum. Hinc, in parte veteris libri superstite, Vercellensem potissimum codicem secuti, eum posuimus quasi editionis nostrae fundamentum. Ubi vero lacunas vetustioris scripturae manus recentior, saeculi X, supplevit, exemplari quidem amanuensis usus est diverso ab illo, unde vetustior libri pars descripta est, eoque longe minus accurato; bonas tamen et illud exhibet lectiones, et magna habenda est libri auctoritas, orthographicis exceptis, in quibus amanuensis, pristina scriptura vix umquam servata, eam plerumque recepit, quae suo tempore in usu fuit, et qua, aliquanto tamen corruptiore, utitur librarius ille, paulo quidem recentior, qui librum Eporediensem emendavit et glossis ditavit.

3) Vercellensi proximus, longo quidem intervallo, sed tamen proximus aetate et auctoritate Eporediensis, qui et in orthographicis maxime accedit ad Vercellensem, et optimas lectiones haud raro exhibet, vetustiorum librorum auctoritate firmatas, sed quae in nullo e recentioribus occurrunt, quorum quidem lectiones mihi innotuerint (cf., exempli gratia, notata ad pag. 50, vers. 28; ad Roth. cap. CCXXIIII; ad pag. 150, vers. 23); ita ut

in postrema etiam Edicti parte, ubi non modo Sangallensis sed et Vercellensis codex deficit, maxima Epørediensi auctoritas tribuenda fuerit. Verissimam lectionem hic unus codex dedit in cap. I Edicti Rachis regis (cf. notata ad pag. 160, vers. 33), aliasque passim optimas et melioris notae codicibus firmatas, tum in Rachis tum in Aistulfi legibus; quo magis dolendum, desiderari in Eporediensi capitula Rachis regis ab Edicto aliena, praesertim vero Aistulfi Edictum De anno I. Exhibet tamen, cum paucis codicibus, Memoratorium De mercedibus Comacinorum. Descriptus liber est ex optimo exemplari, et ab amanuensi satis quidem fido ac diligenti, sed minus perito, qui ex ingenio nil quidem, nisi in levioribus et orthographicis, immutavit e lectione exemplaris, scripti quidem jam post Langobardici regni casum, quod describendum susceperat. Vel ipsa scripturae menda hujusmodi plerumque sunt in hoc codice, ut pristinae ac genuinae lectionis certissima prodant vestigia. Non eamdem diligentiae laudem meretur qui saeculo exeunte X codicem ex alio exemplari emendavit, et glossas adjecit; glossae enim ita saepe corruptae et pessime habitae, ut vix ullus inde sensus erui possit; nec multo emendatiora sunt ea, quibus restituit quae ab antiquo amanuensi errata fuerant aut omissa. Notatu dignae tamen hae a recentiore manu emendationes, potissimum ob suppletum suo loco Liutprandi cap. CXL, quod in Vercellensi periit, prorsus vero omittitur in reliquis Edicti Langobardici codicibus.

4) Cavensis codex, multorum ore celebratus, superioribus quidem minime comparandus sive lectionis veritate, sive potissimum in orthographicis, quorum priscam et rudem sinceritatem librarius plerumque ex sui temporis, seu XI saeculi, consuetudine innovavit: maximi tamen faciendus, tum quod peritum ac satis diligentem scriptorem nanctus sit, tum praecipue quod multa hic codex habeat, quae in plerisque Langobardicarum Legum manuscriptis frustra quaesieris: Chronicon Rotharis regis, Memoratorium de mercedibus Comacinorum, Rachis capitula ab Edicto aliena (excepta parte capitulorum *in brevi*), et Aistulfi Edictum De anno I; quin et horum nonnulla ex hoc ipso primum codice innotuerunt. Jam et monuimus, librarium, cui debetur exemplar unde Cavensis codex descriptus est, duplici Legum Langobardicarum codice usum, rara pro temporibus diligentia, quae in uno deessent ex altero supplevisse; quo factum, ut, quamvis et in hoc libro nonnulla desint quae in aliis habentur, nullus tamen Legum Langobardicarum codex supersit, in quo eae pleniores sint ac in Cavensi. Accedit, prologos Liutprandi plures servari in Cavensi quam in plerisque codicibus, atque in ipso Vercellensi. Vel in iis Edicti partibus, in quibus Vercellensis codex auxilio subest, magna Cavensis fuit auctoritas et utilitas; in postrema vero Edicti parte, quae in Vercellensi codice desideratur, sine gravi damno carere Cavensis libri subsidio non potest qui Leges Langobardicas edendas susceperit.

5) Codex Matritensis, in Beneventano ducatu exaratus, ut Cavensis [1], descriptus est ex uno e duobus codicibus, quibus usum diximus scriptorem libri, unde Cavensis manavit; alterum quo ille usus est codicem librarius in subsidium non adhibuit. Hinc in Rotharis Chronico magna hujus codicis cum Cavensi affinitas; in Edicto Grimowaldi ad Eporediensem magis accedit; demum in Rothariano Edicto in capitulorum ordine et numeris prae ceteris Sangallensi affinis, discors tamen in multis, peculiarem omnino familiam constituit. Hujus libri praecipua laus et utilitas quod, Cavensi, ut diximus, affinis, exhibeat Rotharis Chronicon, Memoratorium de mercedibus Comacinorum, Rachis regis Notitiam seu quattuor priora capitula, et ea quidem recto ordine disposita, tum Aistulfi Edictum De anno I; quin et solus integrum servaverit Aistulfi prologum ejusdem anni I, qui in Cavensi cum folio periit, in Parisiensi 4613 simili fato nonnisi dimidiatus superest. In reliquis nonnumquam satis magnam ex hoc codice utilitatem nanctus sum, longe tamen minorem quam ex Cavensi; nam et in orthographicis scriptor magis etiam a pristina forma recessit, et in textu constituendo satis quidem in ceteris accuratus et diligens, nonnulla tamen omittere, addere aut immutare ex ingenio aggressus est, ita plerumque feliciter et naviter, ut quae genuinae lectioni substituit sententiae respondeant et eam clariorem efficiant. Ob id tamen vix est, ut lectio ulla, quamvis primo adspectu probabilis, reliquis codicibus obstantibus recipi possit, quae sola codicis Matritensis auctoritate nitatur.

II) Inde a Volumine Liutprandi XIIII (De anno XXII), ubi Vercellensis codex deficit, tum etiam in restituendis ejusdem Liutprandi prologis et epilogis, itemque in Liutprandi capitulis XXVIIII et LXIIII quae Vercellensis codex omittit, usus praeterea sum collatione

1) Codicis Parisiensis in Bibliotheca Regia 4613; ex quo, licet exscripto ab amanuensi imperito nec satis diligenti, qui verba, nonnumquam et integros versus, passim omisit, et voces foede corrupit, maximam tamen utilitatem percepi, tum quod vix quidpiam ex arbitrio immutasse librarius videtur, et, ferme ut Eporediensis, veterem scribendi formam seu orthographiam retinet, tum quod, cum leges Rachis et Aistulfi easdem exhibeat quas Cavensis et Matritensis, et quorum partem praeter hos unus Guelpherbytanus, partem nullus codex servavit, Parisiensis codex, alterius familiae ac Cavensis et Matritensis, neque ex eodem ac illi duo exemplari derivatus, saepe diversas, haud raro etiam veriores lectiones habet, contra reliquorum consensum recipiendas. Quo magis dolendum, excidisse in hoc libro partem folii sub initium Edicti Aistulfi regis, ubi Cavensis et Matritensis aut deficiunt aut vitiosas lectiones exhibent, sine alterius manuscripti ope vix emendandas; tum praecipue periisse cum primis manuscripti qua-

(1) Ut patet e Capitularibus, aut verius Edictis, quae uterque codex habet, principum Beneventanorum.

ternionibus Chronicon Rotharis regis, quod in eo codice fuisse ferme pro certo habemus, et nunc in perpaucis codicibus superest ex eodem exemplari derivatis, atque eisdem tum lacunis tum spuriis additamentis et falsis lectionibus infectum.

2) Codicis Parisiensis 4614 praecipua utilitas in prologis Edictorum Liutprandi regis, quos nullus liber pleniores servavit; quin et ex hoc uno codice integrum damus prologum De anno XVI. In reliquis etiam et accurate scriptus, et lectiones hujus codicis saepe optimis accensendae. In orthographicis magis quam Eporediensis et Parisiensis 4613, minus tamen quam Cavensis et Matritensis, ab antiqua forma recedit.

III) In capitulis Rachis regis ab Edicto alienis duos praeterea codices adhibuimus:

1) Vaticanum, negligentissime scriptum, sed qui unus integra exhibet Rachis regis capitula duo *in brevi*. Ex eodem codice usi insuper sumus collatione Edicti (De anno V) Aistulfi regis; quae manifesto probavit, innumeris librum scatere mendis, nec ullam bonae notae lectionem suppeditavit, quam non jamdiu alii codices exhibuissent. Nonnumquam non solum incuria sed et amanuensis arbitrio mutatas lectiones reperias [1]; ut jam pro certo habeamus, in iis in quibus librorum melioris notae prostat subsidium, nullum sperari fructum posse ex integra Vaticani codicis collatione.

2) Guelpherbytanum, qui ante capitula ex Edicto, seu capitula editionis nostrae V-XII, habet Rachis regis Notitiam, seu capitula editionis nostrae I-IIII; post capitula autem ex Edicto fragmentum prologi capitulorum in brevi. Ex eodem codice habuimus exemplar prologi Edicti Rachis Regis. Haec, quae vir amicissimus idemque doctissimus Gustavus Haenel transmisit, certiorem fecere, ex optimae quidem notae libro descriptum esse Guelpherbytanum codicem, et a perito amanuensi, qui ex alio codice, quam ille ex quo cetera descripsit, Notitiam Rachis regis recepit, et alterutrum exemplar Memoratorii De mercedibus Comacinorum, alia tamen, ut videtur, omisit; sed non modo veterem et sinceram orthographiae rationem in hoc libro prorsus neglectam, verum etiam plurima et gravissima a scriptore passim ex arbitrio immutata, ut et verba et sententia magis quam in ullo alio libro a genuino Edicti Langobardici textu recedant [2]. Hinc hujus libri,

(1) Cf., exempli gratia, Notas Criticas ad *pag.* 10, *vers.* 18.

(2) Exemplo sint haec e Rachis prologo

Ex codice Guelph.

Post hunc vero gloriosus et orthodoxus dei cultor luitprandus sapientissimus nostrae gentis langobardorum rex per multam diligentiae curam et sollicitudinem hujus edicti textum prudenter accumulare curavit. Deinde ego Ratchis excell' rex divina annuente gratia anno regni mei secundo cum judicibus et optimatibus nostris tam de Austriae quam

E reliquis codicibus.

Post hunc vero gloriosissimus et orthodoxus fidei cultor, atque hujus gentis gubernator, et noster per Dei omnipotentis misericordia nutritor, Liutprand eximius et precelsus hac sapientissimus princeps, persistens in Dei operibus et cottidianis vigiliis, omni pudicitia et sobrietate ornatus, sicuti a Deo promeruit, per ipsius inspirationem omnia decenter elicuit, et in Edicti paginam cum suis Langobardis ac judicibus confirmavit. Idcirco per Re-

ubi a ceteris discedit, nulla ferme auctoritas dicenda est; ac vereor ne nimium ei tribuerim, et incautius aliquando ejus lectiones secutus sim in constituendo textu Notitiae Rachis regis, quamvis ea vix in tribus praeter Guelpherbytanum supersit codicibus.

IIII) In Rotharis Chronico, praeter manuscriptos Cavensem et Matritensem, habui exemplar ejusdem Chronici descriptum in usus meos e Codice Cathedralis Mutinensis a clarissimo et celeberrimo viro Celestino Cavedono, Estensis Bibliothecae Praefecto. Cur plura ex eodem codice conferre neglexerim, mox fusius exponam.

V) Rotharis prologum, cum is absit a duobus vetustissimis codicibus, Sangallensi et Vercellensi, itemque a Parisiensi 4613, et non uno in loco de ejus lectione ambigatur, exegi ad fidem omnium primae classis manuscriptorum exhibentium hoc maximi momenti in historia Langobardica monumentum; collatis scilicet, praeter Eporediensem, Cavensem et Matritensem: 1) Vaticano; 2) Parisiensi 4614; 3) Guelpherbytano.

VI) Memoratorium De mercedibus Comacinorum exegi ad fidem omnium qui illud exhibent codicum manuscriptorum, excepto Gothano, quo haec capitula contineri nuperrime demum cognovi [1]. Hujus etiam codicis varias lectiones, quamquam sero, hac saltem in parte adjecissem, ni veritus essem, aliquid novae morae allatum iri, dum eas opperior, jam nimium dilatae editioni. Usus sum igitur codicibus: 1) Eporediensi; 2) Parisiensi 4613; 3) Cavensi; 4) Matritensi; 5 et 6) Guelpherbytani exemplis duobus.

VII) Dubiis in locis editiones adhibui, et varietatem lectionis in eisdem relatam, nonnumquam et Parisienses manuscriptos duos, et Ambrosianum. Horum collatio, in locis quae jam in Vercellensi prostant, nullo umquam mihi auxilio fuit.

Enumeratis codicibus prioris familiae, quibus sive in universo opere sive in aliqua harum legum parte usi sumus, ratio reddenda cur reliquos primae classis codices aut omnino aut plerumque duxerimus negligendos, etiam ubi optimi et antiquissimi Vercellensis destituebamur auxilio. Sed de Vaticano et Guelpherbytano jam satis locuti sumus. Supersunt ex hac familia Mutinensis Ecclesiae Cathedralis, et Gothani codicis exemplaria duo. Sed e Mutinensi aderat apud Muratorium copiosa lectionis varietas; quae fidem faceret, nullam percipi ex hoc libro utilitatem posse; ideo

de Neustriae vel Tusciae partibus, et omnibus in regno nostro populis consistentibus, sollicite considerantes, quaedam invenimus in hoc edicto dura et injuste posita etc.

demptoris nostri providentia ego divino auxilio Rachis rex, precellentissimus et eximius princeps, anno regni mei secundo, die kalendarum martiarum, indictione quartadecima, dum cum gentis nostrae, id est Langobardorum, judicibus tam de Austriae quam et de Neustriae vel Tusciae finibus universa quae a decessoribus nostris statuta sunt sollicite considerassem: quaedam ibi justa, et quaedam purganda esse invenimus etc.

Eadem omnino origo spurii capituli, quod in hoc codice adjectum videmus Aistulfi Edicto De anno V; cf. Append. III, et ad eum locum Notas Criticas.

(1) Ex Merkelli scripto in *Centralblatt (Leipzig)*, N.° 45, 1853, 5 *November*, S. 737.

neque e Gothani exemplo Mutinensi affini, utpote derivato ex eodem libro. Sententiam meam confirmat optimus in re nostra judex Johannes Merkel, qui, ut supra monuimus, opus quod his codicibus continetur sub titulo *Concordia de singulis causis*, testatur nec integra complecti Langobardica Edicta, nec textum satis fide exhibere; quin et in Gothano codice nonnisi operis partes servatas esse, supra monuimus. Alterum Legum Langobardicarum exemplar in eodem codice, fol. 338-375, chronologico ordine dispositum, ex parte saltem conferendum fuerat; nam quamvis in illis Edicti partibus quas habet codex Vercellensis nullum sperare liceat e Gothano subsidium, vix etiam in illis quas, jamdiu cognitas, quamvis desint in Vercellensi, plerique servarunt Legum Langobardicarum libri manuscripti: sunt tamen, in quibus aliquod ex hoc item codice auxilii haurire procul dubio possis, uti non modo in nuper memoratis capitulis De mercedibus Comacinorum, verum et in prologis, si qui in eo adsunt, Liutprandi, Rachis et Aistulfi, praecipue vero in Rachis legibus, quas forte codex exhibet, ab Edicto alienis; nam Aistulfi Edictum De anno I deesse in codice Gothano, mihi pro certo est.

Librorum, qui in subsidium vocandi essent, habito delectu, major difficultatis et laboris pars supererat in ipso Legum ordine et textu definiendo. Textum igitur ita duxi constituendum, ut ubi Vercellensis codex subsidio esset, ejus lectionem haberem pro potissimo editionis fundamento; ex aliis autem codicibus lectiones reciperem, quae praestantiores viderentur: qua tamen in re vereor ne incautius aliquando Vercellensibus lectionibus Sangallenses praetulerim. Ubi Vercellensis deficit, in orthographicis quidem magis secutus sum Eporediensem, in textu vero constituendo nullius codicis tanta erat praestantia, ut eum prae ceteris ducem sibi statuere tuto quis posset. Ex omnibus igitur quibus utebar codicibus lectiones passim delegi, quae aut per se veriores et probabiliores viderentur, aut in quas consentirent plures ac melioris notae libri. Manuscriptorum autem, quibus singulis in locis utor, integram in Notis Criticis attuli varietatem lectionis: ita tamen ut Vercellensis et Sangallensis omnes diligentissime recensuerim non modo verborum, sed etiam scripturae seu orthographiae diversitates; reliquorum vero, praesertim recentiorum, supervacaneum duxerim scripturae seu orthographiae formam singulis in locis adnotare, praecipue ubi constans esset codicis alicujus a scriptura vetustiorum librorum dissensus, amanuense orthographiam sui temporis secuto. Numerorum notas in Edicti contextu retinui, nisi si quando aliquis e vetustioribus codicibus numeros integris litteris expressit. Reliquas voces ubique plenis litteris scripsi, solutis scripturae compendiis, quae alioquin nec multa sunt nec lectu difficilia in antiquioribus libris. Una dubitationem movebat nota *glm̄* seu *glōm*, cujuspiam regis nomini praefixa, quae saepius occurrit in codicibus Vercellensi et Eporediensi; pro qua vero tum iidem codices,

tum recentiores reliqui, nonnumquam habent *gloriosae memoriae*, quam superioris notae sinceram esse interpretationem putat Blumius [1], cui adhaeret Merkel [2]; saepius vero *gloriosissimus*, quam lectionem confirmant similes in Langobardico Edicto frequentatae formulae *robustissimus*, *praecellentissimus*, *eminentissimus*, *sapientissimus*, *excellentissimus*, quod postremum in Vercellensi simili ferme modo per scripturae compendium exhiberi solet *excell'*. Accedit auctoritas antiqui lapidis positi Rustico episcopo Taurinensi [3], in quo CUNINCPERT rex vocatur *V(ir) Gl(oriosus)* seu *Gl(oriosissimus)*. Hinc scripturam *gloriosissimus* non modo non absurdam, sed ferme veriorem existimaverim. Blumii tamen et qui eum secuti sunt clarissimorum virorum auctoritati tantum tribui, ut ubi vox in Vercellensi per compendium scribitur, lectionem receperim *gloriosae memoriae* [4]; ubi vero idem codex habet plenis litteris *gloriosissimus*, *gloriosissimo*, *gloriosus*, ausus non sum recedere a scriptura optimi et antiquissimi libri, reliquorum etiam auctoritate plerumque confirmata. Loca autem in quibus haec sive scripturae compendia sive voces occurrunt, satius duximus hic universa oculis subjicere, cum singulorum quibus usi sumus librorum scriptura, quam pro more dispersa in Notis Criticis.

1. LIUTPR. prol. De anno I (pag. 97, vers. 31). — Verc., Epor., Ma., Par. 4613 *gloriosissimus*; Par. 4614 *gloriosus*; deest in Cav.
2. — cap. VIII (pag. 100, vers. 30). — Verc. *gloriosissimo*; Epor. et Cav. *gloriosissimus*; Ma. *gloriosae memoriae*.
3. — cap. XI (pag. 101, vers. 1). — Verc. *glm̄*; Epor. *gloriosum*; Cav. *gloriosissimus*; Ma. *gloriosae memoriae*.
4. — cap. XV (pag. 102, vers. 57). Verc. *glm̄*; Epor., Cav., Ma. *gloriosissimo*.
5. — cap. XX (pag. 105, vers. 28). — Verc. *glm̄*; Epor. *gloriosissimo*; Cav. *gloriosissimus*; Ma. *gloriosae memoriae*.
6. — cap. LIIII (pag. 114, vers. 47). — Verc. (recentior scriptura, in lacuna veteris libri) *gloriose memorie*; Epor. *glom̄*; Ma. *gloriosissimo*; deest in Cav.
7. — cap. LXV (pag. 118, vers. 44). — Verc. *glom̄*; Epor. *gloriosissimo*; Cav. *gloriosissimus*; Ma. *gloriosae memoriae*.
8. — cap. LXXXVI (pag. 127, vers. 7). — Verc., Cav., Ma. *gloriosae memoriae*; Epor. *glm̄*.
9. — cap. XCIIII (pag. 128, vers. 8). — Verc. *glm̄*; Epor. *glm̄s* (quod compendium in *gloriosissimus*, non vero in *gloriosae memoriae* necessario solvendum); Ma. *gloriosissimus*; deest in Cav.

(1) *Archiv der Gesellschaft*, *Bd.* V, S. 232.
(2) *Archivio Storico Italiano*, *Appendice*, *Vol. III*, *pag.* 713.
(3) Quem damus in Appendice VI, sub Num. VII.
(4) Uno excepto loco, Liutpr. cap. XI, ubi scriptura *gloriosissimo* pro *gloriosae memoriae* invito excidit.

10. — cap. CXXXIII (pag. 142, vers. 34). — Verc. et Ma. *gloriosus*; Epor. *grimoald* (quod *grimoald rothari rex*), ex male interpretato scripturae compendio; Cav. *gloriosissimus*.

11. Rachis prolog. (pag. 157, vers. 30). — Cav., Ma., Par. uterque *gloriosissimus*; Guelph. *gloriosus*.

Vercellensis igitur codex bis habet *gloriosissimus*; semel *gloriosus*; bis *gloriosae memoriae*, sed semel ab antiqua semel a recentiore manu; quater vox per compendium scripta est *glm* vel *glom*. Quod si universam quam supra retulimus scripturae varietatem recenseamus, bis et vicies habebimus lectionem *gloriosissimus*, quinquies *gloriosus*, octies *gloriosae memoriae*; semel *glms*, septies *glm* vel *glom*, demum semel *grimoald*.

Nec minor quam in constituendo textu et in lectionum delectu difficultas haud raro occurrit in sincero legum ordine definiendo. Ac primum, in Edicto Rotharis regis codices vel optimae notae in capitulorum ordine haud raro dissentiunt. Major etiam difficultas ex eo, quod nullus vel optimus et antiquissimus supersit codex, a quo non aliquae leges absint, aut alia id genus monumenta, quae editio nostra complectitur, et de quorum sinceritate certissimis constat argumentis. Inde enim dubitatio subit, sive de causa cur haec in nonnullis codicibus omissa fuerint, sive de eorum indole et auctoritate, sive demum de sede hujusmodi documentis tribuenda.

Haec monumenta, quae non omnibus Legum Langobardicarum codicibus continentur, sunt Rotharis Chronicon, Edictorum plerique prologi, et nonnulla capitula seu leges, quas infra recensebimus, in singularum indolem accuratius inquirentes.

Docti homines, in quorum manus primum incidit Rotharis Chronicon, quod nonnulli Legum Langobardicarum codices Edicto praeponunt, pro compendio Historiae Langobardicae Pauli Diaconi habentes contempsere, et suis tenebris relinquendum censuere. Meliore sive fato sive consilio anno MDCCCXXXVIII Doctor Bethmann (1), et anno mox insequente ipse ego, similibus ducti indiciis, alter alterius ignari, in eo Chronico, cujus exemplar manuscriptum in manus nostras venerat, opus agnovimus Paulo antiquius, e quo praecipuo fonte ipse Paulus vetustiorem historiae suae partem desumpsit. Utrique scilicet primo intuitu ea visa est in vetere Chronico styli barbaries, ea narrationis nativa, ut ita dixerim, simplicitas et forma, quae scriptum manifesto proderet tantum sui simile et Paulo longe antiquius, non vero ex ejus Historia in compendium redactum. Dum autem Chronicon cum Paulo Diacono accuratius conferimus, utrique incidimus (2) in

(1) *Die Geschichtschreibung der Langobarden*, von Dr. Bethmann, in *Archiv der Gesellschaft*, *Bd. X*, *S.* 351-365. Cf. etiam. *Bd. VII*, *S.* 771.

(2) Ita sane mihi accidit, ut, cum solo tunc uterer nuper accepto apographo codicis Cavensis, et in eo describendo me offendissent verba *inclinavit uuacho sua vox sub regno langobardorum*, et pro *sua vox* legendum conjicerem *Suavos*, Paulum Diaconum consulerem, qui forte eo ipso uno loco nostrum hoc Chronicon memorat.

verba, quibus ipse Paulus ad Chronici nostri testimonium provocat, et ejus auctoritatem et antiquitatem extra dubitationem ponit. Duabus ferme exceptis quaestionibus (quarum una gravissima, utrum serius et privata opera, an cum Edicto et Rotharis regis auctoritate Chronicon confectum sit; levior altera, de genuino operis titulo), in easdem ubique conjecturas de universa hac re ita convenimus, ut consensus cum viro doctissimo, qui rerum Langobardicarum scriptores diuturno studio et accurato opere illustravit (1), omnem mihi, si qua forte supererat, de veritate eorum quae conjectando statueram eximat dubitationem.

Chronicon scilicet, quod Edicto Regum Langobardorum praepositum edimus, non esse e Paulo Diacono breviatum jam omnes conveniunt; idque probatur potissimum ex iis, quae in hoc Chronico plura aut diversa habentur ac apud Paulum. Eorum pleraque alibi indicavimus (2); juvat tamen universa hoc loco in unum collecta oculis subjicere. — Et primum, omittuntur a Paulo ea sane notatu digna Chronici verba, quibus vox *Scandanan* (Paulo *Scandinavia*) interpretatur *in partibus Aquilonis*. Quae de Winilis e Scandinavia egressis habet Chronicon, valde differunt ab iis quae Paulus refert, ex alio fonte, forte e Secundi Tridentini historia. Narrationem de Wodan et Frea breviorem habet Paulus, ridiculam fabulam appellans, et pro nihilo habendam; accuratius haec in nostro Chronico, nec ullum in eo verbum, ex quo arguas, scriptorem de narrationis fide dubitasse. Lamissio a Paulo dicitur incerti patris filius, at in Chronico nostro *e genere Gugingus*; quamvis fatendum, incertae fidei esse haec verba, quae unus Matritensis codex exhibet, forte e superiore versu repetita; desunt in Mutinensi, et in serie regum Prologo subnexa. Nulla exercitus Alanorum, cum quo exisse e Ravenna Odoacrem tradit Chronicon, mentio apud Paulum; nec adest nomen regis Turingorum, cujus filiam Wacho uxorem duxit. Verba *et farigaldus*, aut quae eis respondeant, frustra apud Paulum quaesieris; item, fuisse Alboinum ex genere Gausus; et mox, fuisse Clephum e genere Beleos. Tempus, quo Langobardi in Italiam irruperint, Chronicon accuratius designat, atque ex eo recentiores nonnulli scriptores (3). Desunt item apud Paulum quae Chronicon habet de navi angariali a Longino missa, de Walderada Theodelindae matre, et de fratre Theodelindae Gundoaldo, quem Agilulfus in Astense civitate ducem constituit; nec Agilulfus a Paulo fuisse dicitur *dux Thuringus*. Non meminit etiam Paulus *castrorum* Romanorum, quae Rothari rex occupavit in ora Liguriae maritima.

Haec ferme habet Chronicon, quae desunt apud Paulum; nonnumquam etiam Paulo contigit, ut auctorem suum aut non intelligeret, aut minus ac-

(1) *Paulus Diaconus Leben und Schriften*, von Dr. Bethmann, in *Archiv der Gesellschaft*, *Bd. X*, *S. 247 ff.* — *Die Geschichtschreibung der Langobarden*, von Dr. Bethmann, *ebendas.*, *S.* 335 *ff.*

(2) In Notis Criticis ad Rotharis Chronicon.

(3) Cf., ex. gr., *Historia Miscella*, *Lib. XVI fin.*, apud *Murat.*, *Rer. Ital. Script.*, *T. I*, *P. I*, *pag.* 111.

curate exscriberet. Hujusmodi sunt quae habet de Zuchilone; tum quod Austrigosam, Wachonis uxorem, dixerit filiam *regis* Gepidorum; dein quod Walderadam a Cusobaldo seu Theodebaldo uxorem datam referat *uni ex suis* qui dicebatur *Gairipald*, cum Gairipaldus non ex aula Theodobaldi fuerit, sed, ut recte habet codex Mutinensis, princeps Bajoariorum. Ubique praeterea apparet Pauli manus, ea exornantis, quae rudiore stylo in Chronico nostro narrantur, aut interpretari studentis, quae obscuriora viderentur: quod utrumque ipsi nonnumquam erroris occasio fuit. Alia sunt, in quibus Paulus a Chronico nostro dissentit, quod aliis fontibus usus sit; et ita quidem, ut tunc vero propiora ea plerumque videantur, quae habet Chronicon nostrum; multa etiam habet, quorum in Chronico de quo agimus nullum vestigium. Iis scilicet permultis non adnumeratis, in quibus extra Langobardicae historiae seriem Paulus discurrit, in antiquiore historiae parte e tribus potissimum scriptoribus historiam suam hausit: quorum duo etiamnum supersunt, Rotharis Chronicon, et Gregorii Turonensis Historia Francorum, cujus tamen nonnisi sex priores Libri, quos solos habent plures vel antiquissimi codices, Paulo innotuerunt. Fredegarii Chronicon, quo usus est dum in Galliis libellum conscripsit de Gestis episcoporum Mettensium [1], ei ad manus non fuit dum in Italia suae gentis historiam exararet. Tertius, quo Paulus in antiquiore Langobardicae historiae parte usus est auctor, jamdiu periit, Secundus Servus Dei, Tridentinus. Ter Secundi meminit Paulus in Historia sua Langobardorum; priore quidem loco [2] his verbis: « Mirandum sane est cur Secundus, qui aliqua *de Langobardorum Gestis* « scripsit, hanc tantam eorum victoriam » (Autharis in Childebertum regem Francorum) « praeterierit; cum haec quae praemisimus de Francorum in« teritu in eorum Historia » (in Gregorii Turonensis Historia Francorum) « hisdem ipsis poene verbis exarata legantur. » Notatu dignior alter locus [3]: « Tunc etiam baptizatus est praenominatus puer Adaloaldus, filius Agilulfi « regis, in Sancto Johanne in Modicia, et susceptus de fonte est a Secundo « Servo Christi de Tridento, *cujus saepe fecimus mentionem*. Fuit autem « festi Paschalis dies eo tempore septimo Idus aprilis; » anno scilicet DCIII. Tertio demum loco [4], incertum e quo fonte, Secundi mortem memorat his verbis: « Sequenti quoque mense martio defunctus est apud Tridentum « Secundus Servus Christi, *de quo saepe jam diximus*, qui usque ad sua « tempora succinctam De Langobardorum Gestis composuit historiolam. » Jamvero cum Paulus, dum semel Secundi meminisset, numquam vero ad ejus auctoritatem provocasset, ejus tamen *saepe mentionem se fecisse* referat: patet, multa quidem ex ejus opere decerpsisse, oblitum vero esse ad ejus-

(1) *Cf. Bethmann, Paulus Diaconus Leben und Schriften*, in *Archiv der Gesellschaft, Bd. X, S.* 306.
(2) *Lib. III, cap.* XXVIII.
(3) *Lib. IIII, cap.* XXVIII.
(4) *Lib. IIII, cap.* XLII.

dem testimonium provocare[1]. Quae neque in Chronico nostro neque apud Gregorium Turonensem leguntur de rebus Langobardorum post eorum in Italiam adventum, ac potissimum de Romanorum statu sub Langobardis, a Paulo e Secundi historia esse deprompta dubitari non potest; idque inter alia dicendum de Libri IIII capite XVI, de cujus tum significatione tum veritate acerrime disputatum a recentioribus rerum Langobardicarum scriptoribus. Quamvis in hanc diem datum non fuerit ipsum Secundi locum in lucem protrahere, qui multas procul dubio dubitationes exemisset: magnum tamen vel ex eo fructum percepimus, quod certo jam constet, ea quae hoc loco Paulus refert esse tribuenda non Langobardo scriptori et a rebus quas narrat duobus saeculis dissito, qui rem sibi minus compertam tradiderit ex vetere fama apud suos velut per manus tradita et per gradus corrupta, sed Romano et coaevo magnique nominis et auctoritatis viro tam inter suos quam inter Langobardos[2]. Quin et quae in priore Libro (cap. II, III, XV-XVII, XX, XXIII, XXIIII) de rebus Langobardicis Paulus plura aut diversa habet ac leguntur in Chronico Rothariano, ea non directo e gentis traditionibus desumpsisse, mihi pro certo est, sed e Secundi potissimum historia, quem cum *usque ad sua tempora* de Langobardorum gestis historiam prosecutum tradat Paulus, patet res Langobardorum etiam ante eorum in Italiam adventum breviter saltem attigisse. Sane iis quae e Rotharis Chronico Paulus habet, nihil ex hoc fonte, seu e traditionibus gentis suae, admiscet. Cum vero, priore e supra citatis locis, Paulus miretur, quamdam Langobardorum de Francis victoriam Secundum in Historia sua non retulisse, patet, bellica etiam Langobardorum gesta eum exposuisse. At quae de Langobardorum in Gallias aut Francorum in Italiam incursionibus Paulus refert, fere omnia ex uno Gregorio Turonensi sunt deprompta, ut omnino de antiquioribus gestis Langobardorum, antequam in Italiam irruerent, Secundus egisse videatur; uti et de gentis origine pauca procul dubio praefatus est, quorum item vestigia videre est apud Paulum. A referendis iis, quae tantum vulgi rumoribus et antiqua fama niterentur, ita alienus Paulus fuit, spectatae omnino fidei quamvis non semper recti judicii historicus, ut quotiens aliqua ei referenda sunt non vetustiorum scriptorum auctoritate fulta, sed quae aut ipse viderit aut a testibus relata acceperit, numquam omittat de testimonio monere, quo narratio nititur. — Et quoniam de Secundo Servo Christi sermo incidit, juvat allatis Pauli locis hoc loco adjungere fragmentum, quod e codice Weingartensi descriptum Garampius cardinalis anno MDCCLXII Bonellio

(1) Ita rem explicat Bethmann, *Archiv der Gesellschaft*, *Bd. X*, *S.* 349. In eamdem prorsus sententiam nos olim his verbis: « Veggasi anche Lib. IV, cap. XXVIII, dove il Varnefrido lo nomina per la seconda volta, colle parole *cujus saepe* « *fecimus mentionem*; dalle quali, e dall'esame della storia di Paolo Diacono, appare che questi da Secondo principalmente « trasse quella parte del suo racconto dei primi tempi della dominazione Langobardica in Italia, che non è derivata (non « computando le digressioni) da due altri storici ora conosciuti, la *Cronica di Rotari* cioè, ed *I primi sei Libri di Gregorio* « *Turonense.* » *Vesme*, *Lettera a Merkel* (Torino, 1847); *pag. 74*, *not.*

(2) *Cf. Gregorii Magni Ep.*, *Lib. VIIII*, *ep.* LII, *et Lib. XIIII*, *ep.* XII.

transmisit, Bonellus primus edidit [1], Troja [2] et Bethmann [3] repetiverunt:

« *A principio usque ad passionem Domini sunt anni VMCCXXVIIII;*
« *passione Christi usque in presentem annum sunt DLIIII; et a presente*
« *Pascha juxta Prophete eloquium, secundum quod humane fragilitati*
« *datum capere intellectum, restant de presenti seculo anni CCXVII. Et*
« *in hoc supra memorato anno fuit bissextus; residentibus in Italia Lon-*
« *gobardis ann. XII, ad quod secunda indictione in ea ingressi sunt, mense*
« *majo.*
« *Acta sunt suprascripta omnia in civitate Tridentina, in loco Anagnis,*
« *presedente* Agnellio Episcopo *an. III expleto.*
« *Ego* Secundus Servus Christi *scripsi hec, conversionis sacre reli-*
« *gionis mee anno XX, imperii Tiberii anno primo, mense junio, in-*
« *dictione XIII.* »

Fuere qui his contineri existimarent finem seu clausulam Historiae Secundi de Gestis Langobardorum; sed longe ultra annum a Christo Nato DLXXX et Ducum tempora constat Secundum historiam protendisse. Vero similius, nostro quidem judicio, censet Bethmann iis exhiberi finem Actorum Synodi habitae anno DLXXX, quod et suadere videtur codicis indoles, ecclesiasticos canones complexi, ex quo Garampius haec in lucem protulit. Optandum sane ut, Weingartensi codice denuo investigato, nova quaestioni lux afferatur; quin et ipsi canones edantur, quibus haec Secundi verba subnexa erant, si quidem referendi ad Synodum Secundi temporibus habitam Anagnis, aut aliquomodo eorum temporum historiam sive civilem sive ecclesiasticam illustrantes.

Inde vero ab extremo Libro III alio praeterea opere, magni sane momenti, sed jam item deperdito, Paulus usus est, Chronico scilicet Ducum Beneventanorum, quod procul dubio accepit dum in Arechis ducis aula resideret; ex quo fusius prosecutus est Beneventanorum ducum historiam, quorum plures Forojuliensem ducatum aliquandiu tenuerunt, ut sic quae de hac superioris Italiae parte habet Paulus, eorum pleraque ex eodem illo Chronico deprompta videantur. Regum etiam catalogos adhibuit, sola regum nomina et regni annos exhibentes, sed hos inaccuratiores; quos secutus Paulus, saepe a Chronico Rothariano et aliis melioris notae fontibus dissidet in numero annorum regni tradendo: qua in re praeter cetera notatu dignum, interregnum post Autharis mortem a Paulo statui decem annorum; in Chronico Rothariano, quocum consentit Fredegarius [4], annorum duodecim. —

(1) *Bonelli, Notizie Storiche della Chiesa di Trento; Trento*, 1762, *pag.* 483, 484.
(2) *Codice Diplomatico Longobardo; Napoli*, 1845, *pag.* 10 *segg.*; *Id., Parte I; Napoli*, 1852, *pag.* 21-24.
(3) *Die Geschichtschreibung der Langobarden*, in *Archiv der Gesellschaft, Bd. X, S.* 350.
(4) *Fredegarius in Chronico, cap.* XLV.

Sed hactenus de reliquiis antiquioribus historiae Pauli Diaconi fontibus; nunc in auctorem et in aetatem Chronici nostri accuratius investigandum.

Chronicon, quod Edicto Rotharis regis praefixum, primi edimus, soli quattuor Legum Langobardicarum codices servarunt, Cavensis, Matritensis, Mutinensis et Gothanus; priores tres ex eodem exemplari derivati, Gothanus ex alio ac priores reliqui et melioris notae exemplari, sed passim interpolatum, et mutato initio, narratione autem usque ad Pippini Italiae regis tempora producta. In codicibus Cavensi et Matritensi Chronicon desinit cum Berthari, cujus regni anni non adnotantur; in Mutinensi cum Grimowaldo, adnotatis regni annis, et Bertharis mentione amandata ad continuationem Chronici, quae paulo post subnectitur. Hinc satis apparet, eam Chronici partem Berthari adhuc regnante fuisse conscriptam. Id ambigitur, utrum antiquiori Chronico subjecta tunc fuerit, an ipsum Chronicon regnante demum Berthari confectum sit. Priorem nos, Bethmann hanc alteram sententiam tuetur (1).

Pauci inter veteres scriptores hoc Chronico usi sunt (2); cum jam inde a saeculo VIIII unam ferme Pauli Diaconi Historiam adhibuerint quicumque de rebus Langobardorum scripserunt. Unus vero hoc Chronicon memorat et nominatim ad ejus auctoritatem provocat Paulus Diaconus, his verbis: « Eodemque tempore Wacho super Suevos irruit, eosque dominio suo sub- « jugavit. Hoc si quis mendacium, et non rei existimat veritatem, relegat « *Prologum Edicti quem rex Rothari de Langobardorum legibus com-* « *posuit*, et poene in omnibus hoc codicibus, sicut nos in hac historiola « inseruimus (3), scriptum reperiet (4). »

Bethmann, recentiorem Chronici originem propugnans, difficultatem ex allato Pauli testimonio evadere conatur, contendens, a Paulo hoc Chronicon appellari quidem Prologum, nec vero adscribi Rothari regi; verba autem *quem rex Rothari de Langobardorum legibus composuit*, non de ipso Prologo seu Chronico esse intelligenda, sed de Edicto; Paulum scilicet adamussim Rothariani Edicti inscriptionem descripsisse, quam manuscripti libri hanc ferme exhibent (5): *In nomine Domini incipit Edictum*, *quem Deo juvante Rothari vir excellentissimo rex Langobardorum renovavit cum primatos judices suos.* » Sane, ait Bethmann, si Rothari regi hoc Chronicon esset adscribendum, cur demum *nomina regum antecessorum suorum* Prologo Edicti *propter futuri temporis memoriam* adjungenda curavisset? quin ex ipso hoc prologo evincitur, Rothari Chronicon de quo agimus non innotuisse. Praeterea si Chronicon ab ipso legislatore esset, omnes, ait ille, codices exhiberent, cum e converso nonnisi in perpaucis prostet codicibus.

(1) *Die Geschichtschreibung der Langobarden*, *S.* 355–361.
(2) Cf. *Auctor Historiae Miscellae*, *Lib. XVI fin.*, apud *Murat.*, *Rer. Ital. Script.*, *T. I*, *P. I*, *pag.* 111.
(3) Verba Chronici nostri haec sunt (cap. v initio): « Eo tempore inclinavit Wacho Suavos sub regno Langobardorum. »
(4) *Pauli Diaconi Hist.*, *Lib. I*, *cap.* XXI.
(5) Cf. Notas Criticas Nostras, *pag.* 269.

Subdit, ne quidem sub Rothari, quamvis privata opera, scriptum videri; eamdem enim ac in superioribus esse in hac postrema Chronici parte et scripturae et narrationis formam. Haec ferme Bethmannus.

Nobis Pauli testimonium ita perspicuum videtur, ut, nostro judicio, ejus verborum alia esse non possit interpretatio, nisi quae, ipso Bethmanno fatente, sua sponte legenti sese offert [1]: a Paulo hujus Chronici seu Prologi Rotharim auctorem dici. Plurima enim sunt quae omnino vetent, quominus *quem* ad *Edictum*, non ad *Prologum*, referamus. Ac primo quidem, numquam in animum inducam, Paulum, quo non alter iis temporibus, ne Beda, Alcuino, Einhardo quidem exceptis, purius latine scripsit aut grammaticae leges accuratius servavit [2], hoc loco tam graviter contra latinae linguae praecepta peccasse. Fuit sane error superiore aevo frequentatus, et tum in vetustioribus Langobardorum legibus, Rotharis scilicet, Grimowaldi et Liutprandi, tum non uno loco in ipso de quo agimus Chronico obvius [3], in quo vox *quem* occurrit pro accusativo casu cujusvis generis; quod jam in recentioribus Edictis, seu Rachis et Aistulfi, non reperias, nedum apud Paulum; ita ut pro certo asserere ausim, hujusmodi mendum nullo confirmari indubio Pauli exemplo. Quod si pro *quem* legas *quod*, nec ad *Prologum* Rotharis sed ad *Edictum* referas, quaenam erit loci sententia? aut quid hoc rei est, *Edictum quod Rothari composuit de legibus Langobardorum*? At revera *Prologus* de legibus tractat; alter quidem Prologus, quem plerique servant codices, sed qui procul dubio in codicibus quibus Paulus utebatur, ut e nostris in Matritensi, nulla inscriptione aut titulo sejungebatur a praecedenti Chronico; quae causa fuit cur utrumque Paulus pro uno habuerit, et *Prologum Edicti* indiscriminatim vocaverit [4]. Jamvero hoc ipsum quod, vel Bethmanno fatente [5], nomine *Prologi* Edicti quod Rothari composuit, Paulus hoc Chronicon designet, manifesto evincit, ni omnia me fallunt, a Paulo Chronicon haberi pro Rothariani Edicti parte, eidem auctori seu legislatori necessario tribuenda.

Fatemur tamen, allato Pauli testimonio non omnem difficultatis nodum solvi, et probari quidem, a Paulo Rotharim habitum fuisse pro Chronici auctore, non vero ei reapse esse tribuendum: cum fieri potuerit, ut recentiores hoc Chronicon Rothari adscripserint, quod scilicet Rothariano Edicto praepositum in codicibus viderent; sed revera alius aut coaevus aut etiam recentior fuerit Chronici auctor, illudque praescripserit Edicto Rothariano: quod sane suadere videntur nonnulla ex argumentis, quae supra e Bethmanno attulimus. Longe quidem abest, ut Chronicon Rothari regi tam certo adscri-

(1) « Zunächst möchte man an Rothari denken; Paulus Worte *relegat Prologum Edicti quem rex Rothari de Langobardorum legibus composuit* SCHEINEN ihn wirklich als Verfasser zu nennen. Aber sie SCHEINEN auch nur; *quem* gehört nicht zu *Prologum*, sondern zu *Edicti*, denn u. s. w. »

(2) Ipso Bethmanno teste, *Paulus Diaconus Leben und Schriften*, in *Archiv der Gesellschaft*, *Bd. X*, *S.* 276.

(3) Cf. Notas Criticas ad pag. 7, vers. 21 (ubi lectio *quem* in textum restituenda), et ad pag. 7 vers. 37.

(4) Cf. locum de quo agimus cum Histor. Lib. IIII, cap. XLIIII fin.

(5) « Paulus also nennt diese Geschichte nur *prologus*. »

bamus, quam id contendimus Paulum fecisse: nec tamen desunt argumenta, quae Pauli testimonium confirment, et si deessent, praestitit in re dubia antiquissimi scriptoris, qui unus hoc Chronicon memorat, auctoritatem sequi. Ac primo, difficultates quae contra afferuntur non hujusmodi sunt, ut solvi nequeant; quaedam etiam ita concidunt, ut iis nostra potius sententia firmetur. Id sane pro nihilo est, quod Bethmann opponit, in perpaucis codicibus hoc Chronicon servari; nonnisi recentioribus enim utimur, Sangallensi et Vercellensi exceptis, Edicti Langobardici codicibus, scriptis videlicet post Langobardici regni casum, et post pervulgatam Pauli historiam [1]; quae potissima causa fuit cur passim negligeretur brevior, rudior, nec producta ultra priorum in Italia Langobardorum regum tempora, Chronici nostri narratio [2]. At e converso Paulus testatur, suo tempore *poene in omnibus* Edicti codicibus fuisse hoc Chronicon. E duobus qui supersunt codicibus Paulo antiquioribus, lacunae spatium initio codicis, ut supra notavimus, probat non fuisse in Vercellensi, quamvis post ea tempora scripto, quibus demum confectum Chronicon Bethmann contendit. De Sangallensi magis dubia res est. Si tamen verum assecuti sumus, suspicati primum e superstitibus codicis foliis, quod ab ipso Rothariani Edicti primo capitulo incipit, fuisse primum quaternionis folium: initio codicis aut nihil periit et ipsum quem omnes ferme codices exhibent Rotharis Prologum amanuensis omisit, aut integer periit quaternio, Chronicon de quo agimus complexus et Rotharis Prologum; indicem enim capitulorum, qui duos ferme quaterniones explevisset, ipsi Rotharis Prologo vix ac ne vix quidem relicto loco, numquam fuisse in hoc codice, libri antiquitas et tota ejus indoles prodit; cum indubium sit hujusmodi indices non legumlatori, sed recentiorum amanuensium arbitrio esse tribuendos, et primitus ne numeri quidem in Sangallensi codice capitulis adscripti fuerint, sed a recentiore sint, quamvis antiqua, manu adjecti. Horum etiam duorum librorum exemplo diluitur quod Bethmann objicit, Chronicon omnes codices fuisse servaturos, si ab ipso esset legislatore; nam, ut nuper monuimus, si hoc Chronicon non extitit in Sangallensi, ipse Rotharis prologus, indubiae fidei monumentum, in eo codice omissus fuisse videtur; passim autem vel optimi et antiquissimi Legum Langobardicarum codices multa omittunt, quae legislatori esse tribuenda certissimo constat. In Vercellensi multi desiderantur Liutprandi prologi; prologi Rachis et Aistulfi unusque Liutprandi in antiquo et optimo Eporediensi; alii atque ipse Rotharis prologus in aliis codicibus: ut nullus omnino supersit codex, in quo non aliquid desit ad Edictum pertinens et a legislatore profectum [3]. Quin et, quod fere notatu dignius, in Eporediensi et in Parisiensi 4613

(1) Anno DCCCXXVIIII, eodem ferme tempore quo Edicti codex post Sangallensem et Vercellensem antiquissimus Eporediensis scribebatur, Pauli Historia Langobardorum jam in ipsis Galliis Einhardo innotuerat.

(2) Notatu dignum rei exemplum attulimus in Notis Criticis ad pag. 5, vers. 15.

(3) Omnium plenissimus codex Parisiensis 4614, in quo tamen deest Liutprandi prologus De anno XX.

plerique Liutprandi prologi, verbis etiam saepe mutatis, in compendium redacti; nae hoc Rotharis Chronicon, ab Edicti argumento prorsus alienum, et cujus, post editam Pauli historiam, vix ulla videbatur utilitas, illi omisissent.

At si hoc Chronicon praeposuisset Edicto suo Rothari, cur denuo *propter futuri temporis memoriam nomina principum antecessorum suorum* Prologo adscribenda praecepisset? Nonne e converso ipsa Prologi verba evincunt, non innotuisse Rothari hoc Chronicon? Ita Bethmannus; cujus unius argumenti vim ipsi fatemur; nec tamen tantam esse contendimus, quae probabili responso dilui non possit. Nos ita scilicet rem se habuisse censemus: Rotharim quidem primitus solum prologum Edicto praeposuisse; mox vero, dum in Langobardicae gentis concilio Edictum per gairethinx firmandum proponeretur, uti esset lex firma et stabilis: eo ipso forte tempore, quo postrema duo capitula post expletum Edictum adjecta sunt, voto gentis suae satisfecisse Rotharim, et brevem Langobardorum historiam Edicto praescribendam curavisse.

Quominus autem hujus Chronici originem cum Bethmanno ad Bertharis tempora retrahamus, vetat primo Gothani codicis auctoritas, in quo hoc additamentum Librorum Cavensis, Matritensis et Mutinensis prorsus desideratur, adstipulante etiam Paulo Diacono, qui hanc Chronici partem non agnoscit; nec quidquam contra probat trium quos memoravimus codicum consensus, quos scilicet ex uno exemplari derivatos, in mendis etiam et lacunis certissimis contra Gothanum codicem et Paulum Diaconum consentire, satis constat (1). Magis etiam movet, quod suo tempore *in omnibus poene codicibus* hoc Chronicon legi Paulus testatur; vix enim in ullo adscribi potuisset, si demum sub Berthari, jam post confecta Rotharis et Grimowaldi Edicta, et eorum exemplaribus per universum Langobardorum regnum vulgatis, non legislatoris voluntate et in publico conventu, sed privata opera alicui exemplari Edicta Rotharis et Grimowaldi complexo adscriptum fuisset. Codices sane qui hoc Chronicon nobis servarunt, vel ipso priorum Edictorum contextu diversae prorsus inter se familiae esse constat; neque ideo ex eodem exemplari derivatos, cui privatus aliquis hanc narratiunculam praeposuerit.

Nec ea praeterea est narrationis indoles et forma, quae ignoto scriptori extremi fere saeculi VII tribui possit. Ne verbum quidem in Chronico de Christiana religione; et quamvis initialis formula Christianum auctorem prodat, historiola de Wodan Winilis dante victoriam paganam adhuc superstitionem redolet, unde et a recentiore scriptore Paulo vix paucis attingitur, et ridiculae fabulae nomine notatur, cui nulla a Christiano homine sit habenda fides. Quin et hanc de Wodan et Frea narrationem, a Christianis

(1) *Bethmann, Die Geschichtschreibung der Langobarden, in Archiv der Gesellschaft, Bd. X, S.* 364.

viris improbatam, inter causas fuisse existimaverim, cur in describendis Edicti exemplaribus haec pars Prologi seu hoc Chronicon passim omitteretur. Sane tota Langobardicarum rerum narratio in Chronico nostro nullo ornata fuco, rudi simplicitate digesta, e gentis traditionibus et hymnis ac cantilenis nec non ex antiquorum virorum recordatione aut omnino aut maximam partem desumpta, Berthari majorem omnino antiquitatem prodit; Rothariano tempori autem convenit, patriis traditionibus nondum adsidua consuetudine cum cultiore populo prorsus deletis, vix anno scilicet post adventum in Italiam Langobardorum septuagesimo sexto, recenti adhuc memoria profectionis e Pannonia; cum praeterea Langobardorum magna pars Arii adhuc erroribus, non pauci ethnicis avitis superstitionibus tenerentur. Sed aliud probstat argumentum, quod rem jam per se probabilem nobis prope certam reddat. Si nempe Berthari demum regnante hoc Chronicon scriptum esset, qui fieri potuisset, ut Paulus, vix quadragesimum post Bertharis mortem annum natus, et in Langobardorum regum aula enutritus, sin minus, ut ipsi contendimus, Rothari tribueret, at saltem, quod nemo negaverit, Prologi Edicti Rothariani nomine designaverit, scripti autem genuinus auctor et fontes historici eum prorsus latuerint? Quin et semel Paulus ad hoc Chronicon iis verbis provocat, e quibus indubie constat longe antiquius fuisse Bertharis temporibus [1]; et si de Chronici auctore minus forte fidendum est ejus testimonio, quod tamen ipsum omnino negamus, haud tanto temporis intervallo a confecto Chronico fuit dissitus, ut de Chronici antiquitate errare potuerit: ut sic omnino constet, Chronicon de quo agimus retrahendum supra Bertharis tempora, atque ideo, quod reliquum est, habendum pro genuino Edicti Prologo, et Rothari regi tribuendum.

Ut autem universam disputationem paucis concludamus, id primum extra dubitationem est, hoc quod edimus Chronicon ipsum esse quod citat Paulus, et ex quo vetustioris ejus historiae maxima pars desumpta est. Illud etiam nemo inficiatur, hoc opus a Paulo citari Prologi nomine, qui Edicto Rothariano praefixus fuerit. Hoc etiam nos docet Paulus, suo tempore *paene in omnibus codicibus* scriptum fuisse; abfuisse ergo a nonnullis. Nec minus certum, nostro quidem judicio, a Paulo Prologum seu Chronicon de quo agimus Rothari regi adscribi; multa praeterea eaque gravissima argumenta suadent, ejus antiquitatem longe ultra Bertharis tempora retrahendam. Superest igitur uti et de auctore sit Paulo habenda fides; et, sicuti codices hoc Chronicon Prologo Rothariano praefixum exhibent, imo Matritensis eidem conjunctum, ita reapse utrumque sit Rothari regi tribuendum. Quod tamen non ita intelligendum, quasi ipse Rothari hoc Chronicon conscripserit, uti procul dubio ne Edictum quidem; sed quod mandato et auctoritate

(1) « Refert hoc loco ANTIQUITAS ridiculam fabulam. », *Hist. Langob. Lib. I., cap.* VIII.

Rotharis regis confectum et editum fuerit, et cum ipso Edicto in publico gentis conventu firmatum.

Fusius hanc quaestionem pertractare visum est, cum ex ea potissimum pendeat Chronici auctoritas, quae prorsus concideret, aut saltem inter angustos sane limites coartaretur, ejus origine ad Bertharis aetatem retracta, tum potissimum si privato consilio exaratum dicamus, ut tot illos regum catalogos, quos veteribus legum codicibus aliisque libris passim adscriptos videmus, non autem publica auctoritate confectum, Rothari regnante, vix sexto et septuagesimo anno post Langobardorum in Italiam adventum, ut ea posteris traderet, quae de gentis origine et gestis, falsa veris admixta, nec eo minus memoratu digna, ab universa gente pro veris habebantur, et in publico gentis conventu, occasione sollemni, dum consuetudines suas primum scriptis mandarent, eidem legum corpori jungenda tradebant, ne moribus, religione, sedibus, lingua etiam mutata, antiquioris eorum historiae longa aetas memoriam aboleret. Accedit quod, quamvis, Bethmanno etiam judice [1], hoc Chronicon eo ipso loco recipiendum et edendum sit quo habent libri manuscripti, et pro Edicti Langobardici parte habendum: ita se quidem res habet si Chronicon publica auctoritate editum, et a Rothari Edicto adjunctum; at si sequioris temporis et privati incertique scriptoris additamentum est, omnino ex hac sede rejiciendum, cum ceteris sive regum catalogis sive id genus chronicis, cujusmodi habent Langobardorum et reliquarum gentium plerique legum codices.

Opus de quo agimus Paulus citat sub titulo Prologi Edicti Rothariani; qui error, ut vidimus, inde ortus, quod in antiquis codicibus, ut etiamnum in Matritensi, hoc Chronicon esset Prologo Rotharis conjunctum; nulla huic praeposita rubrica, quam ideo et nos, quamvis nonnulli optimae notae codices exhibeant, omittendam censuimus. Sed hujusmodi titulus neque argumento respondet, et errori locum praebet, si quidem hoc Chronicon, et ipse Rotharis Prologus, diversae prorsus res, eodem nomine designentur. Ab auctore nullum operi titulum praefixum fuisse, verisimillimum est: Bethmanno titulus est *Origo gentis Langobardorum* vel *Origo Langobardorum*; verum haec, priora sunt Chronici verba, non titulus operis, in quo a gentis origine ad auctoris usque tempora historia perducitur. Nos, recepto in id genus scriptis nomine, Chronicon appellavimus, auctoris nomine adjecto. In capitula etiam, commodioris usus gratia, distinximus tum hoc Chronicon, tum Gothanum ex hoc Rothariano maxima ex parte desumptum; quales in capita et paragraphos partitiones, ob eamdem utilitatis et commoditatis causam, in aliis veterum scriptis recepere, etiam invitis codicibus; tum antiqui editores, tum nuperrime Pertzius in Monumentorum

(1) *Archiv der Gesellschaft, Bd. VII, S. 771.*

Germaniae Historicorum collectione: in codicibus quibus usi sumus omnia ad finem usque continua serie descripta sunt.

Capitulorum indices, qui vulgo singulis Edictis praeponuntur, ita quidem varii, ut in nullo codice cum indicibus alterius quamvis affinis codicis consentiant, certum est non esse ipsis legumlatoribus tribuendos. Fuisse indicem capitulorum in codice Sangallensi non credimus, cum, ut infra notabimus, in eo libro primitus ne capitulis quidem numeri adscripti fuerint; in libro unde Vercellensis descriptus est fuit quidem index capitulorum Rotharis, atque, ut videtur, Grimowaldi, non autem Liutprandi; unde effectum ut amanuensis, ne aut partem operis relinqueret indice rubricarum destitutam, aut ipsum indicem ex ingenio effingeret, quod ab accuratissimi descriptoris fide et proposito alienum, indicis seu rubricarum loco prima singulorum capitulorum Edicti Liutprandei verba descripserit. In Eporediensi, in Vaticano, in Parisiensi 4613, in Matritensi non modo singuli indices tum inter se differunt, tum ab iis quos habent reliqui codices, sed praeterea adsunt quidem rubricae trium priorum Edictorum; omissae sunt Edictorum Rachis et Aistulfi. Jamdiu etiam animadversum [(1)], his indicibus nihil ferme exhiberi nisi ipsa initialia legum verba, deformata plerumque aut contracta; nisi si quando ab ipso legislatore rubrica capitulo praefixa fuerat, quam saepe tamen et hanc corruptam, index repetit. Retinendos tamen censuimus, tum propter eximiam antiquitatem, cum nempe jam fuerint in codice ante Liutprandi tempora scripto unde prior Vercellensis libri pars derivata est; tum quod eos, partim saltem, omnes vel antiquissimi et optimae notae, excepto Sangallensi, codices exhibeant; tum praecipue quod nonnulla eorum videbatur utilitas, sive ob antiquissimas quas servant scribendi formas, in Vercellensi saltem codice ipsi Langobardorum dominationi coaevas, sive quod maximus eorum usus si quis Edicti alicujus contenta ac veluti ambitum oculis complecti velit. Unum alterumve tamen melioris notae codicem in hujusmodi indicibus ducem secuti, infinitam reliquorum varietatem lectionis maxima ex parte negligendam censuimus.

In Edicto Rotharis regis notatu dignum, nullum esse vel antiquissimum et optimae notae librum, in quo capitulorum sive numeri sive ordo cum reliquis codicibus omni ex parte conveniant; quin et saepe capitulorum index ab ipso contextu, sive numero sive ordine capitulorum, dissentit. In plerisque codicibus numerantur capitula CCCLXXXVIII, ne quidem in his tamen eadem, quibusdam scilicet omissis, aliis e converso in plura capitula discerptis. In Sangallensi, deficiente extrema codicis parte, definiri nequit, quinam fuerit in integro Edicto capitulorum numerus: in superioribus vero, e capitulo CCXXIII sunt quattuor capitula effecta; alia etiam

(1) *Merkel* in *Archivio storico di Firenze*, *Appendice*, *Vol. III*, *pag.* 695.

in plures partes dissecta; ut quamvis, nullo lacunae indicio, inter capitula quae in eo codice signantur numeris *CCXXII* et *CCXXIII* capitulum desit, postremum tamen quod in mutilo codice superest capitulum, quod apud nos, ut in Vercellensi, Cavensi, Eporediensi, est *CCCLXXI*, in Sangallensi signetur numero *CCCLXXVII*. Proxime ad codicis Sangallensis ordinem accedit index codicis Matritensis, nec tamen prorsus convenit; textus codicis Matritensis ab utroque recedit, et medium ferme inter Sangallensem et eos quos secuti sumus locum tenet. Inter Vercellensem, Cavensem, et Eporediensem in textu nec frequens nec magni momenti dissensus; Eporediensis in indice, praeter alia leviora, in quattuor capitula dispertit capitulum CCXXIIII, omissis e converso rubricis capitulorum CCXXII, CCLXVI, et CCLXVIII. A superioribus omnibus discessisse videtur exemplar, quo usus qui saeculo X codicem Vercellensem emendavit et ejus lacunas supplevit; in hujusmodi enim supplemento capitula nostra *CCLXXVI*, *CCLXXVII*, *CCLXXXI*, signantur numeris *CCLXXIIII*, *CCLXXV*, *CCLXXVIIII*; capitulis CCLXXIIII, CCLXXV, CCLXXVIII, CCLXXVIIII, CCLXXX numeri non adnotantur. Quin et in antiquissimo Sangallensi codice apparet capitulorum numeros non continua serie eodemque tempore cum ipso Edicti contextu descriptos, sed postmodum, ab antiquissima tamen manu et certe Langobardorum dominationi coaeva, in margine adjectos, ubi versus rubrica scriptus, et majores litterae et extra lineam excurrentes, novi capituli initium indicabant; unde etiam factum, ut in numeris capitulorum nullum adsit indicium omissi, ut diximus, inter capitula CCXXII et CCXXIII capituli nostri CCXVIIII; ex quo utroque arguas, defuisse numeros in exemplari unde Sangallensis descriptus est. Ceterum hoc ipso potissimum argumento, omissorum olim in Sangallensi numerorum, tum dissensu reliquorum codicum moti, nec non indicum singulorum librorum cum ipso contextu, in eam sententiam adducimur, in Edicto Rotharis regis primitus non fuisse singulis capitulis numeros adscriptos, sed aut a librariis aut in foro serius invectos, non tamen longo post compositum Edictum intervallo, cum in Vercellensi sint a prima manu, et reliqui item omnes codices eos exhibeant. Nec erat cur a nobis omitterentur; recipientibus autem, Vercellensis aliique optimae notae codices sequendi potius erant, quam aut reliqui, inter se prorsus dissentientes, Vercellensi et Eporediensi longe recentiores, aut vetustior quidem Sangallensis, sed in quo numeri a secunda manu adjecti, tum in quo, nullo lacunae indicio, capitulum omissum, demum ex quo, extrema sui parte mutilo, de ordine capitulorum post CCCLXXI^{mum} (in Sangallensi CCCLXXVII^{mum}) omnino non constat [1]. Ubi vero, quod nonnumquam accidit, inter Vercellensem, Cavensem et Eporediensem fuit dissensus, quod scilicet

(1) In superiore Edicti parte, quamvis Sangallensis codicis folia multa desiderentur, ordo et numeri capitulorum prope certa conjectura statui possunt.

in alterutro capitula inverso ordine descripta sint, ordinem duximus sequendum quem singulis in locis contextus et librorum auctoritas suadere magis videbatur.

Grimowaldi praeter capitula ex Edicto, quae editiones omnes et codices exhibent, duo vulgavit Muratorius, ex quo Cancianus repetiit, de quibus infra aptior erit disserendi locus. Notandum praeterea, in hoc Edicto duplicem esse manuscriptorum familiam: ad priorem, quam sequimur, pertinent codices Vercellensis, Parisiensis 4613, Cavensis, Guelpherbytanus, et editiones; ad alteram Eporediensis, Parisiensis 4614, Matritensis, atque, ut videtur, emendationes a secunda manu codicis Vercellensis. Quibus inter se differant utriusque familiae codices, monuimus in Notis Criticis. Secundae familiae codices videntur ex uno exemplari derivati, antiquissimo illo quidem, et forte ipsi hujus Edicti promulgationi coaevo. In Vercellensi semel in hoc Edicto quaedam occurrunt dubiae fidei, et quae reliqui codices respuunt; nos, antiquissimi libri auctoritate moti, servavimus in ipso contextu, uncis tamen inclusa.

Edictum Liutprandi legibus nonnullis locupletavimus e libris manuscriptis; prologos et epilogos suis locis restituimus emendatiores; capitula duplici numerorum serie distinximus, altera quidem per integrum Liutprandi Edictum discurrente, altera quae singulorum voluminum seu annorum leges propriis numeris notaret. Prior methodus, in plerisque codicibus frequentata, ut in Vaticano, Cavensi, Matritensi, Parisiensi 4613, Guelpherbytano, id habet incommodi, quod, aliqua forte nova detecta et cuilibet volumini addita lege, sequentium omnium numeri necessario mutentur. Eidem incommodo obnoxia est forma qua haec exhibentur in codice Vercellensi, in quo, ut notavimus, numeri per universum Edictum discurrunt; satis vere quidem, cum Edicta regum post Rotharim nonnisi pro accessione et quasi continuatione Edicti Rothariani habenda sint; nec tamen, ne sincera Edicti indoles corrumpatur, adnumeranda tunc fuissent, ut in Vercellensi factum est, capitula duo ab Edicto aliena (Liutprandi capp. CXXXVIII et CXL); atque hanc numerandi formam vulgo receptam non fuisse abunde probat reliquorum librorum auctoritas. Sed alia potissima causa fuit, cur numeros capitulis a singulis regni annis adscribendos censuerimus; quod scilicet hanc methodum, quam servant Eporediensis, Parisiensis 4614, et codicis Vercellensis supplementa, ut omittam Estensem aliosque forte manuscriptos Libri Legis Longobardorum, procul dubio verior sit, cum non modo formam repraesentet, qua singulis annis volumina Edicto Langobardico adjiciebantur, sed servata aliquando fuerit postquam universae Liutprandi leges in unum veluti corpus seu Edictum sunt redactae; hujus enim pristinae formae vestigia supersunt in verbis *primum omnium*, quae post Prologum ante capitulum primum nonnullorum Voluminum leguntur in plerisque manuscriptis. Quin et quamvis in antiquissimo Vercellensi

legum numeri, ut diximus, continua serie per universum Rotharis, Grimowaldi et Liutprandi Edictum adnotentur, in ejus codicis fonte patet Liutprandi leges fuisse per singulos annos numeratas; cum post Prologum De anno XI, seu Quinti Voluminis, ante capituli numerum ab initio Edicti Langobardici *CCCCXXVI*, ex archetypo nota forte servata sit *KAP PRIMO*. — Capitula vero, quae, ut nuper innuimus, Liutprandi Edicto adjecimus, iis locis recepimus, quibus exhibebant veteres codices; quamvis nonnulla Liutprando quidem deberi, sed ab Edicto esse aliena, certo constet. Memoratorium *De mercedibus Comacinorum* semel censuimus edendum, post Edictum Liutprandi regis, quo loco habent plerique codices; qua de re mox fusius agemus.

Graves etiam difficultates in ordine et natura legum Rachis regis definienda. Sed de varia harum legum indole et origine infra locuturi sumus, ubi de Legibus Langobardicis disseremus ad Edictum non pertinentibus. Quo vero ordine in codicibus sint dispositae, tradidimus in Notis Criticis; quapropter in sincero harum legum ordine statuendo breviter hoc loco officio fungemur. Notitiae capitula discerpi non posse, et in varias singula, ut in Cavensi, transferri sedes, alibi adnotatum; item nihil inserendum, ut factum in Cavensi et Guelpherbytano, inter Rachis Prologum, et capitula ab eodem addita Edicto; demum, capitula duo *in brevi* capitulis Edicto additis proxime esse subjungenda. Id unum ferme hoc loco monendum superest, ipsam temporariam, de qua infra agemus, vim capitulorum quae sub Notitiae nomine edimus, satis innuere, antiquiora haec esse capitulis VI et VII Edicti Rachis, atque ideo eis anteponenda. Nec enim causa fuisset cur, postquam ea quae duobus hisce capitulis continentur, Edicto sancita essent, denuo ab eodem Rachi minus sollemni forma renovarentur. Conjecturae nostrae adstipulantur codices, qui omnes (excepto pro parte Cavensi, universa hoc loco turbante) quattuor haec capitula habent ante capitula ex Edicto. De sede vero capitulorum *in brevi* post Edicti capitula dubitare non sinit concors manuscriptorum Vaticani, Cavensis et Guelpherbytani auctoritas, et ipse horum capitulorum Prologus.

De ordine capitulorum Edicti Aistulfi regis minor dubitatio; quamvis illum quem recepimus, Merkelio etiam probatum [1] omnes codices respuant, quibus servatum est Aistulfi Edictum De anno I. In Parisiensi 4613 et in Matritensi prologus De anno V prorsus deest, et utriusque anni capitula subnectuntur continua serie prologo De anno I, ut universa ad eumdem primum Aistulfi annum pertinere videantur. Similiter se res habet in Cavensi; sed in hoc adest praeterea prologus De anno V, non suo quidem loco, sed ante rubricarum indicem, quem subsequebatur imago Aistulfi regis, et prologus De anno I (utrumque folii defectu periit), tum con-

(1) *Archivio Storico di Firenze*, *Appendice*, *Vol. III*, *pag.* 718.

tinua serie ipsa XXII Aistulfi capitula. Ideo autem in Cavensi prologus De anno V, extra sedem positus, primum locum obtinet, ante ipsum Prologum De anno I, quod illum amanuensis, in conficiendo libro suo, ut saepius notavimus, non uno codice usus, descripserit non ex eodem exemplari unde reliquam Aistulfi legum partem, sed ex alio, in quo, ut in plerisque codicibus, solum adesset Edictum De anno V; ille vero Prologi, quem in altero codice repererat, propriam sedem non agnosceret, universis duobus supra viginti Aistulfi capitulis in suo exemplari, uti in ceteris qui supersunt, continua serie invicem adhaerentibus. Hic vero manuscriptorum in certissimo errore consensus eo notatu dignior, quod Cavensis et Matritensis quidem ejusdem familiae sunt, et in hac parte ex eodem exemplari derivati; non vero Parisiensis 4613. — Nec tamen de sinceritate horum capitulorum ulla dubitatio. Id quippe certissimum est, duo superesse volumina Edicti Aistulfi regis, et bis ab eo addita capitula Edicto Langobardico, novem quidem anno regni Primo, tredecim vero anno Quinto. Prologum et capitula, seu integrum Volumen, De anno I, omittunt plerique codices, eaque nostris demum temporibus innotuerunt; codices qui haec nobis servarunt omittunt suo loco notam De anno V et prologum, ut sic utriusque anni leges inter se cohaereant. Id sane pronum est statuere, jamdiu cognitum prologum De anno V ad jamdiu item cognita posteriora XIII Aistulfi capitula pertinere, quae in omnibus Edicti Langobardici codicibus leguntur; quem autem prologum De anno I perpauci codices habent [1] cum VIIII capitulis quae item in reliquis desunt codicibus, ad eadem haec capitula esse referendum, atque haec ideo primo Aistulfi anno esse edita. Quin et hoc Volumen sub initium regni Aistulfi promulgatum, et quae prioris capituli statuendi causa fuerit, memorat Benedictus Monachus a Monte Soracte, saeculi X scriptor, his verbis: « Langobardi.... fronite « unoque animo Astulpho petierunt, ut frangerent donationes cartule que « Rachisi rex fecerat, uti Langobardorum deinceps non esset. Et petie- « runt Langobardi Astulpho, ut conveniente cum episcopis, abbatibus, « prepositis synodochiorum et cum custodibus ecclesiarum, in Edictis legi- « bus affigerentur. Que jurejurans spopondit Astulphus, esset facturum, « si Langobardi regnum eis concedere. Coronatus est hisdem Astulphus « .... et electus est rex.... Fecit synodum cum Valerius archiepiscopus « Ravenne civitatis, et cum Conaldus archiepiscopus Mediolane civitatis, « et cum jacentiis [2] episcopis, abbatibus, judicibus, fidelibus Langobardis « in regno Italie permanentibus, fecitque capitula sicut Langobardi precati « sunt, et *in Edictis affigi* precepit » [3].

(1) Habere prologum dicimus codices, etiam in quibus olim extitit, sed casu periit, ut in Cavensi.
(2) « *i. e.* circumjacentibus. » Pertzius.
(3) *Benedicti de monte Soracte Chronicon*, *cap.* XVI, XVII, in collectione *Monumenta Germaniae Historica*, *Scriptorum Tom. III*, *pag.* 703, *vers.* 11-24.

Longe difficilior quaestio, unde factum sit, ut integrum Aistulfi Volumen in plerisque Legum Langobardicarum etiam optimis et antiquissimis libris desideretur. Deficientibus veterum testimoniis, nonnisi conjecturis locus, iisque satis incertis (1). Id unum constat, non Papiensium demum scholam Aistulfi Volumen De anno I segregasse ex Edicti Langobardici corpore: deest enim jam in Eporediensi, scripto ante annum DCCCXXXII; deerat in exemplari, unde eodem fere tempore Lupus in usum Evrardi comitis Forojuliensis *Concordiam de singulis causis* concinnavit; deest etiam in Vaticano; deerat in codice, minus certe antiquo, sed antiquo tamen Fuldensi; ut sic desideretur in antiquioribus omnibus codicibus quorum extat memoria. Suspicari quis possit, cum inter civiles dissensiones editum sit, nondum forte Aistulfo omnibus regni Langobardici partibus adhaerentibus, a regni parte, ac potissimum in plerisque Austriae et Neustriae provinciis, receptum non fuisse; cui conjecturae vix obstarent prologi verba *una cum cunctis judicibus et Langobardis universarum provinciarum nostrarum*. Forte etiam quod ille regni potiundi cupiditate adductus constituerat, postmodum ab ipso Aistulfo antiquatum; quo pertinere quis dixerit, nullam in Prologo De anno V reperiri superioris Voluminis De anno I mentionem. Magis tamen crediderim, abrogata haec fuisse a Desiderio, sub ipsum regni initium, dum sibi devincire studet asseclas Rachis quondam regis, qui e coenobio Montecassino egressus regnum, quod fratri per manus tradiderat, recipere conabatur. Id certe ambigi vix potest, non casu sed publico consilio hoc Volumen ex Edicto avulsum, atque in plerisque codicibus omissum; casu autem potius factum, ut servaverint pauci libri, quorum scriptores in antiquo exemplari repererant. Eo autem magis has leges, in multis codicibus omissas, recentiores amanuenses et jurisconsulti non restituere, quod eae nullius jam usus viderentur: aut enim transitoriae erant, ut capp. I, III, V, VI, aut de rebus agebant quae plenius ac saepe aliter regebantur Karoli Magni et sequentium principum legibus, ut capp. II, III, VII, VIII. Capituli VIII etiam, de illicitis matrimoniis, eandem ob causam vix ulla utilitas fuit; servarunt tamen quinque Legum Langobardicarum codices (2): Estensis, Vindobonensis et Veronensis subjectum legibus Karoli Magni, iterumque legibus Hludovici II; Londinensis post leges Karoli Magni; Florentinus post leges Hlotarii: ex quo apparet, Jurisconsultos XI saeculi ineuntis neglexisse quidem Aistulfi Edictum De anno I, non tamen ignorasse. Nec enim dubitari potest, ex Aistulfi Edicto desumpsisse hoc capitulum memoratos codices, non vero ex aliquo Carolingico capitulari. In nullo scilicet capitulari regum Francorum aut imperatorum prostat hoc capitulum;

(1) Cf. *Della edizione delle Leggi Langobardiche ecc. Lettera di* Carlo Baudi di Vesme, Torino 1847, *pag.* 40; Merkel, *Geschichte des Langobardenrechts*, *S.* 18, ubi tamen pro *Rachis* procul dubio legendum *Aistulf*.

(2) Cf. ad hoc capitulum Notas Criticas nostras.

neque ipsum exhibent Italici codices pristinam capitularium formam servantes, Eporedienses duo, Cavensis et Chisianus, imo ne Ambrosianus quidem, quamvis jam glossatorum manum expertus. Ideo autem potius Carolingicis quam priscis Langobardicis legibus subjecerunt recentioris aevi jurisconsulti, quod Edictorum regum Langobardorum inde ab initio fines definiti, ita ut etiam post Langobardici regni casum singula Edicta eam ferme retinuerint formam quam ab ipsis legislatoribus acceperant; dum e converso Libros, si ita appellare licet (1), legum cujusque Italiae regis composuerunt jurisconsulti sequioris aevi, selectis capitulis e singulis cujusque regis capitularibus, additis etiam nonnunquam, ad calcem Librorum, spuriis locis aut aliunde desumptis. Et sane ipsa incerta sedes, post sinceras modo Karoli Magni, modo Hlotarii, modo Hludowici II leges, spurium et additicium capitulum demonstrat; servandum quidem in edendo Libro Legis Longobardorum (2), prorsus autem ejiciendum e sinceris Francorum regum capitularibus (3). Nec minus incerta capituli lectio in Libri Legum Longobardorum codicibus, quam sedes; uti apparet geminam Pertzii editionem conferenti cum Muratoriana e codice Estensi, quae sincero Aistulfi textui propior accedit. E libro Legis Longobardorum transiit in Lombardam (4), in qua, nec non, ut videtur, in codice Estensi, quaedam leguntur ad calcem capituli, quae desunt in reliquis codicibus, et quae sincera esse probat capituli VIII nostri collatio. Notatu dignum et additamentum quod Lombarda atque inde Muratorius habent, *secundum canones et ecclesiae Edictum*; quod postremum, dempta insititia voce *ecclesiae*, genuinum capituli fontem prodit.

Edictum Langobardicum Appendicibus quibusdam ditandum censuimus, monumenta exhibentibus aut inedita aut rariora, quibus Italica historia sub Langobardis aut eos proxime subsecutis temporibus illustratur. In priore Appendice edidimus Chronicon Gothanum, a Rittero olim vulgatum (5); quod scilicet a libro, ubi Rotharis Chronicon ederetur, sejungi vix poterat. Maxima quippe hujus Chronici pars est ipsum Rotharis Chronicon, paucis additis aut mutatis; initium tamen aliunde desumptum, cujus rei probabilem causam attulimus in Notis Criticis; continuatum etiam Chronicon usque ad tempora Pippini Italiae regis. Inter fontes eorum quae a librario supplentur initio Chronici, falso pro Isidoro citatur Hieronymus, et quae de Wandalis ille habet, ad Winiles seu Langobardos transferuntur. Nonnulla procul dubio, ut Gambarae et Agelmundi mentio, tum etiam Wachonis,

(1) Ita scilicet appellantur in codice Veronensi.
(2) Ubi est, ex editione Muratorii, inter leges Karoli Magni cap. CL, et inter Hludowici II leges cap. VIII.
(3) Inter quae, loci origine nondum perspecta, recepit Pertzius, *Monumenta Germaniae Historica*, *Legum T. I*, *pag.* 193, *vers.* 37-39, *et pag.* 528, *vers.* 7-8.
(4) *Lib. II*, *tit.* VIIII, *leg.* 13.
(5) Cf. ad Priorem Appendicem Notas Criticas.

e gentis traditionibus desumpta sunt: reliqua unde deprompserit, mihi prorsus in incerto est; sed minimam aut verius nullam iis auctoritatem habendam existimo. Beowinides ibidem memoratur, quem iterum in extremo Chronico memorat Pippini ducem contra Beneventanos, et mox contra Sarracenos Corsicam vexantes. Farrago est, ita confusa ut plerumque sensum vix praebeat, qua imperitus amanuensis lacunam exemplaris quo utebatur aliquomodo supplere conatus est. Quae autem mox e Chronico Rothariano descripsit, desumpta sunt ex optimo exemplari, pleniore et emendatiore quam fuit illud, ad Bertharis tempora continuatum, ex quo derivata sunt Cavense, Matritense et Mutinense; sunt tamen nonnulla, in quibus interpolatoris manum agnoscas. Magni demum facienda postrema Chronici pars, seu Continuatio, quam vetus scriptor addidit a Rothari ad Pippinum regem. Langobardorum regum post Rotharim anni tantum adnotantur; Radoaldus recte traditur regnasse *menses sex*, cum Paulus habeat *annos quinque et dies septem*, annorum regni sumpto initio vivente adhuc patre, aut verius *annis* quinque adnotatis pro quinque *mensibus*. Postrema vero de Karolo Magno et Pippino coaevus scriptor addidit, post annum DCCCVI, quo Pippinus Mauros fudit in Corsica, et ante annum DCCCX, quo est patri praemortuus [1]. — Ritteri editionem secuti sumus; quem tamen valde inaccurate Chronicon vulgasse, Bethmann testatur [2].

Pauli Diaconi breve compendium, fine etiam mutilum, quod pro vetere scriptore habuit Christius: unde sua deprompserit Paulus Diaconus, hunc ipsum ob Christii errorem censui in Secunda Appendice recudendum, quo facilius et cum Rothariano et cum Gothano Chronico conferatur. Aliam nullam Chronici utilitatem esse nec auctoritatem, jam omnes fatentur.

De Tertia Appendice acturi gravissimam quaestionem aggredimur, nec paucis expediendam, quae maximi momenti est non modo edenti Langobardicas Leges, sed cuilibet in Langobardici regni jura et instituta accuratius inquirenti [3]. Leges Langobardicae, vel si externam earum formam consideres, maxime differunt a legibus ceterarum Germanicarum gentium, quae in Romani imperii provinciis sedem tenuerunt, Salica, Ripuaria, Bajuwariorum, Wisigotthorum, aliisque id genus: in his enim corpus legum seu consuetudinum cujusque gentis, semel auctoritate publica digestum, denuo quidem editum et emendatum aliquando videmus, non vero, pristina forma et habitu servatis, per partes auctum et quodammodo continuatum. Leges seu consuetudines Langobardicas primum a Rothari rege constat in unum corpus redactas, cui nomen Edicto imposuit. Sequentium principum Edicta nonnisi accessio fuere et quasi continuatio Edicti Rothariani; unde

(1) *Della edizione delle Leggi Langobardiche ecc.*, pag. 42–45.

(2) « Welche Ritter aus dieser Handschrift, *aber sehr fehlerhaft*, herausgegeben. » Bethmann, *die Geschichtschreibung der Langobarden*, in *Archiv der Gesellschaft*, *Bd. X*, *S.* 363.

(3) Hanc quaestionem fusius primi tractavimus in Commentatione *Dell' edizione delle leggi Langobardiche ecc.*, *pag.* 44-68.

et Grimowaldus, qui primus aliqua Edicto addidit capitula, in ipso suarum legum Prologo ita provocat ad Rotharis Edictum: « Superiore pagina HUJUS EDICTI legitur. » Eodem EDICTI nomine, nec incongrua appellatione, veniunt universae leges a quopiam rege publicatae; ubi vero ab uno rege saepius leges Edicto additae, corpus legum editarum in unoquoque conventu, VOLUMINIS nomine designatur. Hinc apparet, Edicta regum Langobardorum constituere unum velut juris Langobardici corpus, quod, a Rothari inceptum, a Grimowaldo, Liutprando, Rachi, Aistulfo continuatum, regni Langobardici interitu finitum fuit. Quas Carolingici et eos secuti Italiae reges ediderunt leges, eae sub capitularium forma singulae per se stantes, non vero accessio aut continuatio fuere Edicti Langobardici, quam formam privata opera, sub finem saeculi X aut initium XI, demum nanctae sunt. Verius pro continuatione Edicti Langobardici habendae principum Beneventanorum leges, quae et pro gentis more in Edictum inseri jubebantur; verum his extra arctos Beneventani ducatus fines nulla fuit auctoritas.

Sed Leges Langobardicas accuratius expendenti, praecipue quales nostra aetate pleniores et emendatiores e codicibus in lucem prodierunt, facile apparebit, reliquis intermixtas plures extare ab hoc quod memoravimus Edicti corpore alienas; alias etiam, de quarum origine et indole dubitari potest. Et post vulgatum a Rothari Edictum multas jussiones, sive quo alio nomine sint distinguendae, praeter eas quae Edicto continentur, indubium est edidisse reges Langobardorum, sive eos qui nullas Edicto leges inseruerunt, sive ipsos etiam quorum extant ad Edictum Rotharianum supplementa. De judiciaria regum Langobardorum potestate disserere, a re nostra alienum est; id constat ex pluribus Edicti locis, causas ad principem saepe fuisse delatas, cujus suprema in regno jurisdictio. In Prologo legum De anno XIII (Vol. VII) Liutprandus tradit, *quod venientis homenis in presentia nostra adduxerunt causas inter se altercantes, que nec per usum fuimus certi ad terminandum, nec in Edicti corpore ante insertae; proindeque providimus eas usque ad diem suprascriptum kalendarum martiarum suspendere, dum usque nostri ad nos conjungerint judecis, et una cum his certum ibi terminum devereraus imponere, unde postea nulla esset intentio.* Sed per annos centum et triginta, seu post Rotharim ad Langobardici regni casum, vix decies et novies nec nisi a quattuor regibus capitula Edicto addita sunt; ut necessario si causae ambiguae occurrerent nec Edicto definitae, principes plerumque non ex jure scripto, sed ex consuetudine, vel, si ea abesset, ex aequo et bono sententiam proferre cogerentur; ita tamen ut nonnumquam procul dubio, occasione arrepta, et futuris similibus casibus normam statuerent, praesertim si gravior causa emergeret, cujus sine justitiae praejudicio aut gravi forte rei publicae damno vel in futurum definitio differri non posset. Multa praeterea erant, quae e gentis institutis non in publicis conventibus statuebantur, sed solo prin-

cipis regebantur arbitrio; cujus frequentes jussiones, seu praecepta regia, necessario postulabant regii fisci administratio, rei militaris cura, et alia id genus: sive hujusmodi regia praecepta essent universae genti destinata, sive solis judicibus, actoribus regiis, ceterisque quibus aliqua jurisdictio aut publica administratio erat commissa.

Regia id genus praecepta cum extra gentis concilium ederentur, aut si forte in publico concilio a rege statuta essent, non tamen in Edictum inferri consueverint, fere omnia periere; perpauca quae aetatem tulerunt desunt a plerisque Edicti Langobardici codicibus, illata in quaedam forte exemplaria a diligentioribus amanuensibus, ea scilicet plerumque praecepta quae, quamvis ab Edicto aliena, edita essent in eo ipso gentis conventu, in quo aliae leges Edicto additae, aut quae argumenti ratione conjungenda viderentur capitulis in Edictum receptis. Aliquando etiam accidisse videtur, ut quae princeps propria auctoritate, aliqua necessitate adductus, extra gentis concilium statuisset, ea deinceps, vel consuetudine vel in subsequenti conventu adprobata, in Edictum reciperentur.

Hinc, praeter spuria quaedam capitula, regiae jussiones de quarum indole dubitari potest, et quarum nonnullae supersunt, plerumque inter Langobardicas leges legibus ex Edicto intermixtae, nostro quidem judicio in tres classes distinguendae sunt. Prior est earum, quae cum de rebus agerent quarum cognitio omnium intererat, aut quibus universa gens teneretur, promulgabantur, ut omnibus innotescerent; sed, sola regis auctoritate editae, ex ea una vim suam nanciscebantur. Hujusmodi nonnullae supersunt inter Langobardicas Leges, e quibus etiam earum naturam satis accurate cognoscimus. Proprium iis nomen fuisse videtur Notitiae; hunc quippe titulum praefert Liutprandeum praeceptum, quo etiam praecipuo duce utimur ad regiarum id genus jussionum vim et naturam accuratius definiendam (*In nomine Domini* Noditia *qualiter jubit domnus rex etc.*). Promulgatas fuisse docet ipsum Notitiae nomen, tum hujusmodi jussionum argumentum. Atque ut antiquiorem primum expendamus, quae Grimowaldus statuit capitulis duobus ab Edicto alienis, ne ei qui per triginta annos servierit liceret per pugnam contra dominum de libertate certare, neque ei qui per triginta annos in libertate fuisset, per pugnam libertatis periculum fieret; tum de tradendo ad necem servo, pro cujus culpa compositio nongentorum solidorum esset solvenda: ea hujusmodi fuere, ut sine promulgatione, qua universae genti innotescerent, vana et irrita habenda forent. Liutprandi Notitiam de rebus fisci, e primis quidem verbis datam quis putaverit ad solos *actores regios* (*qualiter jubit domnus rex ad omnis actores suos*); sed, totius Notitiae et argumento et verbis accuratius consideratis, facile apparebit, regia ea jussione multa contineri, quae necessario per promulgationem in omnium notitiam essent deferenda; cujusmodi sunt, quae aldiorum et servorum regiorum favore indulgentur, atque ad ipsorum saltem quorum

intererat notitiam perferenda erant; tum ea, quibus jubet, possessione non turbandos qui bona publica per triginta continuos annos possederint, etsi nondum transacta sexaginta annorum praescriptione, quam ipse in causis fiscalibus superiore lege jusserat observandam; at praecipue postremum Notitiae capitulum, in eos qui aliqua adquisierint ab aldiis, servis et libertis regiis, multa habet, quibus omnino evincitur, hanc regiam jussionem fuisse promulgatam, et ab omnibus in regno Langobardico servandam: idque etiam passim probant ipsa Notitiae verba *Hoc precipimus ut nullus presumat..... precipimus ut qui amodo inventus fuerit..... debet omnis homo considerare..... qui hoc facere presumpserit conponere habet sicut scriptum est*, *etc.* De Rachis vero Notitia vix est quod loquamur; cum eam quoque promulgatam fuisse manifesto evincat integer ejus contextus, ac potissimum tria postrema capitula. Idem ferme dicendum de Memoratorio De mercedibus Comacinorum, quod a Notitiis de quibus locuti sumus vix aut ne vix quidem differt. — Quamvis vero per universum Langobardorum regnum promulgarentur, ejusmodi jussionibus obligabantur quidem regni accolae; sed eae nec nomen legis obtinebant nec vim, cum auctoritatem ex sola tenerent cujusque principis voluntate, qui ex suae jussionis praescripto se judicaturum profitebatur; quo igitur defuncto, omnis harum jussionum concidebat auctoritas, nisi denuo a successore confirmarentur. Id sane primum apparet e Liutprandi loco (Notitiae cap. II), ubi, cum quaedam fisci jura remisisset, ita addit: « Hoc autem *in diebus nostris* « *et in tempore regni nostri* statuimus, QUAMQUAM LEX NOSTRA NON SIT; *post* « *autem nostrum decessum* qui pro tempore princeps fuerit faciat sicut « ei Deus inspiraverit, aut sicut rectum secundum animam suam provi« derit. » Nec sane evidentius potuit hujus praecepti seu Notitiae et ceterarum id genus regiarum jussionum origo, indoles et auctoritas definiri. Haec scilicet tradit Liutprandus non esse LEGEM; quae enim ipse *propter Deum et ejus misericordia*, *sola pietatis causa* (ut habet tertium Notitiae capitulum) *decernit et statuit*, eis reliqui post Liutprandi decessum reges non adligabantur. Et sane quamvis Liutprandus, contra ea quae ipse paucos ante annos, lege in Edictum recepta, statuerat, praescriptionem in causis fiscalibus protendens ad annos sexaginta (Vol. VIII, cap. VIIII), capitulo ejusdem Notitiae primo indulgeat ne possessione cadat qui ultra triginta annos quiete possederit, licet nondum expleta sexaginta annorum praescriptione: quamvis nil adjectum sit, ex quo arguere quis possit temporarium fuisse praeceptum, Liutprandi vita finitum, jam tamen Rachis, vix duodecimo post hanc Notitiam editam anno, non hanc recentiorem, sed superiorem illam ex Edicto Liutprandi legem memorat suo tempore servatam, *quia curtes regia possessio non inpedit nisi per sexaginta annorum curricula* (Rachis Ed. cap. II). His scilicet collatis eruimus, Liutprandeum praeceptum non fuisse legem in Edictum receptam, quae omnes Lango-

bardos perpeti auctoritate vinciret; harum autem regiarum jussionum, quae in Edictum non reciperentur, propria indoles definitur, vim et auctoritatem habentium ex sola voluntate principis, quo defuncto omnis ejusmodi praeceptorum vis concidebat, et jus commune, seu quod Edicto sollemni forma sancitum fuerat, denuo observabatur. In eo igitur haec praecepta seu Notitiae differebant ab iis quae Edicto statuebantur, quod haec, *cum primatus, judices, cunctoque felicissimum exercitum* per gairethinx secundum ritus gentis Langobardorum firmata, *legis firmae et stabilis* auctoritate fruebantur (Roth. cap. CCCLXXXVI): Notitiae vero fuere praecepta regia, quae aut extra gentis conventum data, aut non ejusdem consensu et auctoritate firmata, vim omnem obtinebant ex sola principis ea sancientis auctoritate. — Temporariam hanc vim hujusmodi regiarum jussionum indicant praeterea Grimowaldi et Rachis Notitiae, quarum praescriptum, nonnullis quidem additis, demptis aut immutatis, sed saepe iisdem poene verbis, renovatum videmus capitulis indubie ad Edictum pertinentibus. Capitula sane Grimowaldi duo, quae edimus in Appendice III, et ejusdem capitula I, II, III ex Edicto, tum Notitiae Rachis capitula II et III, et ex Edicto capitulum VII, *eodem tempore ad easdem personas* data esse nemo dixerit. Sed neque ad diversas personas *eodem tempore* data esse possunt, seu capitula ex Edicto universae genti, superiora judicibus ceterisque, quorum curae commissum erat ut ea executioni mandarentur. Primum enim, insolens id prorsus nec alio exemplo firmatum, dein inutile etiam foret; pronum enim magis et facilius fuit, singulis judicibus (quod et procul dubio fieri consuevit) exemplar tradere eorum, quae in concilio gentis statuta essent et Edicto addita. Praeterea si priora quattuor Rachis capitula eodem tempore data essent ac ea quae Edicto addita, priora illa, non universae genti sed solis judicibus regiisque actoribus destinata, jungenda fuissent *Capitulis in brevi*, quorum haec propria natura fuit: at quominus id fiat obstat tum consensus codicum, qui (excepto pro parte capitulorum codice Cavensi, qua de re cf. Notas Criticas ad Prologum *Capitulorum in brevi*) haec exhibent ante Edicti capitula, imo Matritensis et Parisiensis 4613 ante Prologum; obstat etiam horum capitulorum contextus, ex quo nuper innuimus manifesto erui haec capitula non solis judicibus data, sed promulgata et universae genti fuisse destinata. Quin et quae Notitiae capitulis et capitulis ex Edicto statuuntur tum a Grimowaldo tum a Rachi, ea in multis quidem et re et verbis simillima, saepe tamen diversa, in nonnullis etiam inter se pugnantia; ut omnino utraque eodem tempore data esse non possint. Superest igitur ut diverso tempore sint edita, et quidem Notitia ante capitula Edicto addita; ita suadente primum ipso ordine, quo, ut diximus, Rachis capitula habentur in codicibus; tum quia, postquam haec semel Edicto statuta, nec erat cur extra Edictum paulum immutata renovarentur, nec etiam quae Edicto constituta fuerant, minus sollemni forma poterant immutari.

Superest igitur ut dicamus, cum extra publici concilii tempus causae ad Grimowaldum essent delatae de servis, qui, fulti capitulo Rothariani Edicti CCXXVIII, se per pugnam contra certissimos dominos in libertatem vindicare contenderent, aut de liberis hominibus, quibus per pugnam servitii jugum quis imponere conaretur; tum de servis qui, forte colludio inito cum extranea persona, culpam commisissent qua dominis gravior compositio esset solvenda: cum haec ei dura et impia (cf. Grimowaldi Prologum, et de simili re Rotharis capp. CLXIII, CLXV, CLXVI) merito viderentur, cavisse ut qui per triginta annos servierit, ne ei liceret de statu et libertate cum domino suo per pugnam certare; item ne ei qui per triginta annos in libertate permansisset, status periculum per pugnam fieret, sed questio per sacramentales dirimeretur; demum si servus culpam fecisset, unde ex Edicto nongentorum solidorum deberetur compositio, dominus non componeret nisi solidos sexaginta, sed servum noxae traderet occidendum. Cum vero ut supra notavimus, apud Langobardos ea demum esset lex firma et stabilis, quae primatum, judicum reliquorumque Langobardorum consensu firmata esset in gentis concilio: rem Grimowaldus denuo sanciendam proposuit in proximo concilio, in quo et alia plura Edicto adjecta, et ea quae de triginta annorum praescriptione et de servis noxae statuerat propria auctoritate, neque ideo in perpetuum valitura, confirmata sunt atque accuratius definita. Similis origo Notitiae et capitulorum VI et VII Edicti Rachis regis; quae nimirum statuerat Rachis necessitate urgente, quod jam *nec alicubi ad orationem posset exire aut ubicumque caballicare*, *propter reclamationem multorum hominum*, eadem mox paululum immutata, capitulis Edicto additis, in gentis concilio confirmata sunt, omissis tamen quae habentur Notitiae capitulo I, quo scilicet nihil novi statuit rex, sed judices, minis etiam adjectis, ad rectam et adsiduam populis justitiam servandam hortatur, atque ut a sculdahis, centenariis et locopositis suis servandam curarent; omisso etiam capitulo IIII, cum ea quae hoc capitulo statuuntur non pertineant ad Langobardorum jura et officia, quae Edicto definiri consueverunt, sed in eo agatur de rebus, in quibus summa potestas esset regi, supremo Langobardorum exercitus ductori, a quo definiendum quid, prout occasio postularet, arimannis seu exercitalibus faciendum esset quotienscumque a rege aut a duce in concilium aut ad arma vocarentur. Hinc in ipso capitulo aliud memoratur hujusmodi praeceptum Rachis regis, quod, eamdem ob causam ab Edicto alienum, jamdiu interiit [1].

Alteram classem statuimus regiarum jussionum, quae extra gentis conventum a principe, iis ipsis de causis quas nuper innuimus, editae, dein tamen, sive expresso sive tacito gentis consensu, videntur quales primitus

(1) *De ferratura quidem et aliam armaturam vel caballos ita debet omnis judex arimannos suos distringere*, SICUT JAM PER ANTERIOREM NOSTRAM JUSSIONEM PRECEPIMUS.

prodierant fuisse in Edictum receptae. Hujusmodi sunt quaedam Liutprandi capitula, quae mox singula expendemus.

Tertia et postrema classis est regiarum jussionum, quae cum publicae rei administrationem, non singulorum jura et officia spectarent, non per universam gentem promulgabantur, sed sive judicibus dabantur, sive aliis publicis ministris, de rebus ad singulorum officia spectantibus. Unum superest earum exemplum inter Langobardicas Leges, ex quo hujusmodi ab Edicto aliena praecepta cognoscimus in *brevi* seu *breviculo* scripta fuisse, cujus scilicet exemplar tradebatur singulis, quorum curae et jurisdictioni quae a principe statuebantur essent commissa.

Indicia quibus capitula ab Edicto aliena, cujus demum ea classis sint, a reliquis distinguantur, pleraque apparent ex iis quae diximus de singulis harum jussionum speciebus; ea etiam per summa capita enumeravimus in Notis Criticis. Notandum tamen, si aliquod forte capitulum desit in aliquo exemplari, non ob hoc unum sive spurium esse dicendum, sive ab Edicto alienum, sive additicium; cum vel ex antiquissimis manuscriptis, sinceriorem Edicti textum exhibentibus, vix ullum sit, in quo non aliquae leges prorsus sincerae et ad Edictum pertinentes omissae sint sola scribentis incuria; uti in Sangallensi Rotharis cap. CCXVIIII; in Eporediensi Rotharis cap. CCCXXXVIII; in Cavensi Rotharis cap. LXX, et pars Liutprandi capitulorum XCVII et XCVIII; in Matritensi Rotharis cap. CCXC. — Superest ut leges recenseamus, de quibus aliqua ex hujusmodi indiciis ambiguum faciunt utrum ad Edictum sint referendae, et singularum originem et indolem accuratius perpendamus.

1.) Rotharis cap. CCL^a plerique codices omittunt, inter quos vetustiores et melioris notae omnes. Blumius olim suspicatus fuerat, hoc quidem capitulum Rothari tribuendum, atque Edicti, dum primum conficeretur, partem constituisse, sed rejectum postea, forte quod gentis concilio, dum singulae Edicti praescriptiones perpenderentur, minime probaretur; casu tamen servatum in nonnullis codicibus. Verum hoc capitulum non modo ab Edicto esse alienum, sed spurium, et a Carolingici aevi glossatoribus profectum, jam omnes consentiunt.

2.) Jamdiu notatum, in extremo Edicto Rotharis regis plura legi capitula, sejuncta ab iis quae de simili argumento in ipso extant Edicti corpore; quae idcirco post confectum Edictum, forte in ipso gentis conventu, addita videantur. Sed ea, licet extra sedem posita, omnino pertinent ad ipsum Edicti Rothariani corpus. Capitulo CCCLXXXVI, quod universi Edicti clausula quodammodo dici potest, inter cetera statuitur, *ut quod adhuc per suptilem inquisitionem de antiquas legis Langobardorum, tam per nosmetipsos quam per antiquos, memorare potueremus, in hoc Edictum subjungere deveamus*; quae praeterea Edicto statuta fuerant, per gairethinx secundum ritus gentis confirmata, legis stabilis et perpetuae auctoritate do-

nantur. Post hoc capitulum duo adhuc subsequuntur; quae excipit praescriptio, quibus Edicti exemplaribus esset in judicio adhibenda fides. Priore ex hisce capitulis (cap. CCCLXXXVII) statuitur, ut qui hominem liberum casu, nolens, occiderit, compositionem quidem pro eo solvat, sed *faida non requiratur*, *eo quod nolendo fecit*; altero vero (cap. CCCLXXXVIII) decernitur *ut causas que fenitas sunt non revolvantur; quae autem non sunt fenitas, et a* PRESENTE *vigisima secunda die minsis hujus novembris, indictione secunda, incoatae aut commute fuerit, per hoc edictum incidantur et finiantur.* Hinc dubitari vix potest, decimo kalendas decembres, seu vicesimam secundam novembris, anno DCXLIII, fuisse diem promulgati Edicti Rothariani; tum, utraque haec capitula addita quidem esse post confectum et in gentis concilio excussum [1], sed ante promulgatum Edictum: quo etiam factum, ut in nullo Edicti codice haec capitula desiderentur. Hanc autem ipsam ob causam censeo notatos quidem in prologo Rotharis regis indictionem et regni annum, non vero pro more et mensem et diem; quod alio scilicet die (post initium tamen septembris, ut docet memorata in Prologo *indictio secunda*) Rothari Edictum *Ticini in palatio* absolutum concilio gentis Langobardorum expendendum obtulisset; decimo kalendas decembres vero, jam per gairethinx gentis suffragio comprobatum, editum et promulgatum fuerit, ex ea ipsa die pro lege habendum. Hinc, nostro quidem judicio, postrema duo capitula, serius adjecta et post absolutum sed ante promulgatum Edictum, nec pro alienis ab Edicto, nec etiam pro addititiis haberi possunt.

3) Capitula Grimowaldi duo, quae damus in Appendice III inter Langobardicas Leges ad Edictum non pertinentes, primus e codice Mutinensi edidit Muratorius in Notis, ut varietatem ad Grimowaldi Edicti capitula I, II, III (cf. quae de hac re disserimus in Notis Criticis); repetiit eodem loco Cancianus; omiserunt reliqui editores. Praeter codicem Mutinensem servavit procul dubio etiam codex Gothanus, qui in parte habet eamdem quae in Mutinensi collectionem cui titulus *Concordia de singulis causis*, nisi forte ea capitula cum manuscripti folio perierunt; desunt in reliquis omnibus codicibus. De antiquitate collectionis quae his duobus codicibus continetur, supra locuti sumus; non modo Edictum non est glossatorum manu interpolatum, sed ea collectio est ipsa glossatorum ad Langobardicas Leges aetate antiquior. Scriptura quidem seu orthographia in his duobus capitulis, ut passim in codice Mutinensi, a pristina seu Langobardica forma recedit; sed in ipso legum contextu nihil est quo eas spurias suspicemur. — Antequam innotescerent aliae id genus Langobardicae Leges, quae nostra demum aetate editae sunt, aliquid certi proferre de horum capitulorum origine et natura non modo difficile sed ferme impossibile videri poterat:

(1) Quo etiam quis referat priora capituli CCCLXXXVIII verba, *Et hoc* ADDIMUS *hac decernimus*.

num, praecepta regia dicere non dubitamus, seu Notitiam, sola regis auctoritate, ut supra monuimus, vulgatam, extra gentis concilium; quae idcirco praecepta nec in Edictum illata fuerunt, et illorum temporaria fuit auctoritas; et casu tantum a diligentiore quopiam librario inter Langobardicas Leges recepta transiere in librum, quo usus Lupus Evrardo comiti exemplar confecit. — Has igitur leges omnino sinceras et Langobardicas censemus; ab Edicto autem esse alienas, nulla dubitatio est.

4) Memoratorium de mercedibus Comacinorum adscribunt Grimowaldo codices duo, quorum unus, Eporediensis, e codicibus has leges exhibentibus antiquissimus. Sed cum reliqui plures codices Liutprando tribuant, nec desint quae suadeant duobus illis codicibus non servari genuinam Memoratorii a Grimowaldo editi formam, de eximio hoc antiquitatis monumento agemus quo loco plerique codices exhibent, seu ad calcem Edicti Liutprandi regis.

5) Liutprandi capitulum xxviii, seu ultimum De anno VIIII, omittunt plerique codices, inter quos antiquissimi Vercellensis, Eporediensis, Vaticanus; deest apud Heroldum; deest etiam in Libro Legis Longobardorum, atque adeo in Lombarda: e codicibus Leges Langobardicas chronologica serie digestas exhibentibus soli habent Parisiensis 4613, Cavensis, Matritensis, Guelpherbytanus, forte etiam Gothanus; habet praeterea collectio cui titulus *Concordia de singulis causis*, e cujus codice Mutinensi primus edidit Muratorius in Notis, ex quo repetiit Cancianus; procul dubio adest etiam in ejusdem collectionis codice Gothano, nisi locus in codicis lacunam incidit. Monuimus in Notis Criticis, in codice Parisiensi hoc capitulum legi post epilogum Voluminis Quarti, seu De anno VIIII, atque omnino sincerum videri hunc ordinem, quem et secuti sumus, firmatum auctoritate etiam codicis Cavensis, in quo, turbato quamvis, ut in Matritensi, legum ordine in Voluminibus Tertio et Quarto, epilogus tamen proxime subsequitur capitulum xxviii (in eo codice xxiiii), huic nostro autem proxime subjectitur inscriptio et prologus sequentis Voluminis. Capituli sedes, ejus defectus in plerisque codicibus, tum mirus consensus cum iiii ejusdem Voluminis capitulo, incertam ejusdem indolem et originem faciunt. Id manifestum est, ad ipsum Liutprandi Quartum Volumen, prout kalendis martiis indictione quarta in gentis conventu sancitum est, hoc capitulum non pertinere. Nos, quarti nec non postremi hujus capituli tum verbis tum sententiis accurate perpensis et collatis, hujus capituli eamdem censemus fuisse originem, quam duobus Grimowaldi capitulis statuimus: capitulum scilicet a Liutprando editum ante tempus publici conventus habendi anno regni ejus VIIII, a diligentioribus quibusdam librariis, in quorum manus inciderat, Edicto ejusdem anni esse subjectum; cum mox ad gentis concilium res delata esset, eadem denuo statuta sunt, et paulo accuratius definita. Difficultatem faciunt verba *sicut supra*, quae forte ad ipsum capitulum iiii,

verius tamen ad Rotharis capitulum CCXLIII referenda, probare videntur, hoc item capitulum Edicto insertum fuisse. Sane in postremo capitulo Notitiae Liutprandeae de rebus fisci princeps ad Edictum quidem item provocat, non tamen utitur formula *in anteriore Edicto* aut alia id genus; ex quo ipso arguas ea capitula ab Edicto esse aliena, uti e converso hoc loco verba *sicut supra* significare videntur, capitulum ad Edictum pertinere. Forte duo ea postrema verba adscititia sunt, atque amanuensi debentur, qui hoc capitulum hoc loco recepit quasi appendicem legibus De anno VIIII, potissimum autem superiori capitulo IIII; magis tamen censuerim, esse ab ipso Liutprando, dum capitulum ederet, in proximo gentis conventu firmandum et in Edictum inferendum; quod tamen secus accidit, cum in eamdem ferme sententiam novo capitulo res accuratius fuerit definita, nec vero prius illud in Edictum receptum.

6) In paucioribus codicibus, seu ferme in solis Vercellensi et Estensi, ac forte in nonnullis aliis manuscriptis Libri Legis Longobardorum, desideratur Liutprandi capitulum LXIIII, seu Sexti Voluminis postremum; in aliis tamen etiam codicibus indicia sunt addititium esse: ut in Parisiensi 4614, in quo adnexum est superiori capitulo X, ut pars videatur ejusdem capituli; et in Londinensi, in quo alio loco legitur, seu post capitula De anno XIIII. Notandum etiam, eamdem ferme esse hujus capituli initialem formulam, ac alterius item addititii Liutprandei, seu postremi De anno XXIII; ac, post Christi invocationem legibus praeponi solitam, simile etiam esse initium Notitiae Rachis regis. Capituli autem sedes, epilogo Voluminis comparata, statui nequit, cum nullus Sexto Volumini adpositus sit epilogus. Verba *unde in anteriore Edicto legitur* satis probant in eum finem promulgatum fuisse ut in Edictum inferretur; cum vero adsit in plerisque codicibus, nec aliud capitulum in eamdem sententiam in Edictum illatum fuerit, dubitare vix licet quin sive tacito sive etiam expresso gentis consensu comprobatum mox fuerit et in Edictum receptum.

7) Quattuor Liutprandi regis capitula, quorum priora duo, codicem Vercellensem secuti, edidimus in ipso Edicti corpore, duo reliqua in Appendice III, nil hoc loco addemus, quo universa huic principi asseramus; cum id satis, nostro quidem judicio, praestitum sit in Notis Criticis ad has leges in Appendice III. Ex universo quattuor horum capitulorum contextu satis apparet, haec, simul edita, pertinere ad idem praeceptum regium seu Notitiam, quam ad omnes actores suos de fisci juribus datam vulgavit Liutprandus; quo autem anno, eruitur e codice Vercellensi, qui priora duo ex hisce capitulis exhibet subnexa Volumini De anno XXI. Nec tamen ad Edictum pertinere, multa probant, quorum pleraque jam supra passim attigimus. Ac primo, id patet e veterum librorum consensu, quorum vix unus aut alter eadem agnoscit. Secundo, rem confirmant verba *In nomine Domini Notitia etc.*, quae manifesto initialia sunt, nec in mediis capitulis

cujuspiam anni reperienda; ut idcirco his non capitula ejusdem Voluminis continuari, sed alterius regii praecepti initium fieri appareat. Quin et forte prologus huic Notitiae olim erat praepositus, qui jam intercidit; sub initium quippe capituli II leguntur verba *sicut superius diximus*, quae genuina esse librorum consensus probat, et quae nisi ad deperditum prologum vix est quo referri possint. Turbatus etiam cuilibet videri poterit capitulorum ordo, cum in extremo eodem capitulo legatur *curtis nostra medietatem de aldiones et duas partes de servos*, SICUT SUPERIUS DIXIMUS, *habeat*, quamvis de aldiis hoc nonnisi subsequenti seu tertio Notitiae capitulo indultum sit; verius tamen haec ad eumdem deperditum prologum referenda existimaverim, ubi Liutprandus aliqua de universa re praefatus fuerit. Sed haec capitula esse ab Edicto aliena maxime probatur ex ipso eorum contextu; ut his potissimum ducibus Notitiarum, seu regiarum jussionum extra gentis conventum prolatarum, vim et indolem supra definierimus. Censemus autem ipso publici conventus tempore, anno regni XXI, haec capitula vulgasse Liutprandum; secus enim fieri vix potuisset ut capitulis Edicti ejus anni jungerentur tum in Vercellensi codice, tum in exemplari quo usus est glossator codicis Eporediensis.

8) De capitulis quae inter Liutprandea distinximus numeris CLV[a], et CLV[b], tum de Heroldino § II Tituli LXXXVI Legum Liutprandi regis, non est cur loquamur; cum spuria esse certo constet ac Liutprando falso tributa, et de singulorum origine ac genuino auctore suis locis monuerimus.

9) Miror, qui ante nos de Vercellensi codice disseruere, non memorasse ineditum postremum Liutprandi capitulum, seu cap. XII Voluminis XV (De anno XXIII), cujus priores versus leguntur in extremo indice rubricarum (fol. 18 recto); ipsum capitulum cum postremo libri quaternione periit. Auctoritas codicis antiquissimi, minus decennio post hanc editam legem scripti, genuinum esse certo probat; ejus in reliquis omnibus codicibus defectus argumento est editum non esse in publico conventu cum reliquo Decimoquinto Liutprandi Volumine. Jam supra monuimus, initium hujus capituli et verbis et sententia maxime convenire cum initiali formula addititii item Liutprandei capituli LXIIII, et Rachis regis Notitiae. In hunc tamen finem editum censemus, ut in Edictum inferretur, in quod verius consuetudine, nec ea satis constanti, quam gentis consensu in novo concilio, fuerit receptum; novum enim post id tempus sub Liutprando habitum fuisse gentis conventum non constat, capitula certe nulla seu nova Volumina Edicto sunt addita. Monuimus in Notis Criticis, capitulum pro lege habitum, seriore seu Carolingica lege citatum fuisse et confirmatum.

10) Memoratorium de mercedibus Comacinorum jam supra memoravimus inter Grimowaldi regis, cui bini codices adscribunt, leges ab Edicto alienas; ceteri Liutprando tribuunt, et ita quidem ut unus (Gothanus) adjungat legibus De anno regni XVII (anno DCCXXVIIII); quattuor reliqui subnectunt

extremo Liutprandi Edicto. Non pertinere ad Edictum Langobardicum, etiam Merkel animadvertit [1], nec quisquam facile negaverit. Quamvis auctoritas Guelpherbytani codicis, ac potissimum Eporediensis, inter codices qui has leges servarunt antiquissimi, dubitare non sinat, Memoratorium De mercedibus Comacinorum a Grimowaldo primum editum fuisse: quae aut quot capitula huic regi debeantur, certo definiri nequit. Vix enim erit qui in animum inducat, exemplaribus Eporediensi et Guelpherbytano priore exhiberi genuinam horum capitulorum formam, prout ea Grimowaldus promulgavit; partitio enim et partim rubricae capitulorum in his codicibus manifesto falsa sunt, et librario tribuenda videntur, qui in codice, ex quo communi fonte hac in parte Eporediensis et Guelpherbytanus derivati sunt, suppleverit e pleniore Memoratorio edito a Liutprando rege quae inter leges Grimowaldi deesse animadvertit. Vix enim alio modo explicaveris, quomodo factum fuerit ut, testibus exemplaribus Parisiensi et Guelpherbytano altero, has leges postmodum Liutprandus minus plenas ediderit quam a Grimowaldo promulgatae fuerant; tum denuo integras, quales olim Grimowaldus vulgavit, aut verius quales habent codices Cavensis et Matritensis; nec quomodo in codicibus, qui Memoratorium Grimowaldo adscribunt, capitulum *De furno*, numero et rubrica omissa, conjunctum sit capitulo *De marmorariis*, et capitulum *De opera* capitulo *De annona*, cum quibus neutrum quidpiam habet commune; demum unde orta capituli *De muro* falsa divisio in tria capitula, *De muro*, *De muro albato*, et *De materia*. Quin et quotiens et qua forma ab ipso Liutprando promulgatum sit Memoratorium De mercedibus Comacinorum haud satis liquet; codices enim qui Liutprando adscribunt nec eadem omnes habent capitula, et in textu varietates sunt, quas ipsi legislatori verius quam amanuensi tribueris. — His omnibus accurate perpensis, id primum pro certo habemus, Memoratorii formam et ambitum, qualem exhibent exemplaria Eporediense et Guelpherbytanum prius, pro sincera haberi non posse. In ceteris magis incerti haeremus; si tamen conjectura definiendum, quid Grimowaldo debeatur, quid Liutprando: ea nobis sententia est, Grimowaldo esse abjudicanda Memoratorii capitula postrema duo, quae desunt in exemplaribus Parisiensi et Guelpherbytano altero, et quorum primum in Eporediensi et Guelpherbytano priore, quae exemplaria integrum Memoratorium Grimowaldo tribuunt, capitulo *De marmorariis* est perperam assutum; a Liutprando etiam, cum primum ipse Memoratorium promulgaret, adjecta fuisse partem capituli II et capitulum IIII, quae in iisdem Eporediensi et Guelpherbytano priore aut superioribus item falso conjuncta, aut ab eisdem sine causa divulsa; ut haec omnia in codice, communi horum fonte, habenda sint pro additamentis, quae dum, ut diximus, ab amanuensi e pleniore Liutprandi Memo-

(1) *Die Geschichte des Langobardenrechts, S. 18.*

ratorio in Memoratorium a Grimowaldo vulgatum inferuntur, suis quidem locis posita sunt, ad fidem codicis unde ea decerpebantur, falso autem in capitula distincta. Ab ipso autem Liutprando saepius has leges promulgatas opinamur: primum quidem quas habent exemplaria Parisiense 4613 et Guelpherbytanum alterum; denuo autem quales prostant in Cavensi et Matritensi, duobus scilicet capitulis, *De furno* et *De puteo*, auctiores; qui duo codices [1] nostro judicio genuinam exhibent integri Memoratorii formam et ambitum. Alterutra autem promulgatio incidere videtur in annum regni Liutprandi XVII, quo loco Memoratorium habet codex Gothanus; nisi forte eo codice alia est a ceteris diversa Memoratorii editio. Serus me sane hac in re sed gravis urget dolor, has leges edentem in subsidium non adhibuisse Gothanum codicem, in quo uno praeter eos quibus usus sum contineri, nuperrime ex Merkelii scripto cognovi [2], non modo editione jamdiu absoluta, sed his ipsis Prolegomenis ex parte conscriptis. Ex hoc ipso enim, quod in eo uno codice Memoratorium ad Liutprandi annum XVII referatur, pronum est conjicere, in hac parte diversae prorsus a ceteris esse familiae, atque ideo magnam inde et universae quaestioni lucem, et lectioni in dubiis locis subsidium, expectari posse.

Nec tamen a nobis Memoratorium saepius edendum videbatur, primum quidem post Grimowaldi Edictum, sive id ea forma, quam, a vero procul dubio abhorrentem, habent exemplaria Eporediense et Guelpherbytanum prius, sive ea quam ipsi ex conjectura statuimus; iterum autem inter Liutprandi leges, ad fidem exemplarium Parisiensis et Guelpherbytani alteri; tertio e Cavensi et Matritensi ad calcem Edicti Liutprandei. Praeter inutilem enim earumdem rerum repetitionem, plura exinde oriebantur incommoda; primum, quod inter Grimowaldi leges Memoratorium ea forma edendum fuisset, aut quae manifesto falsa, aut quae sola eaque satis dubia conjectura niteretur; dein quod textus Memoratorii minus accuratus, saepe et prorsus mendosus singulis in locis dandus fuisset: omnes enim codices habent falsas lectiones, quae nonnisi comparatione omnium librorum, etiam diversae familiae, emendari poterant. Accedit, eorum quae de universa re statuimus multa esse, quae nonnisi conjecturis nitantur, partim quidem certioribus, partim vero omnino dubiis. — Hinc satius visum est, quid et quo loco singuli codices habeant adnotasse, integram etiam accurate retulisse ex omnibus libris lectionis varietatem, ut de singulis locis tuto ferri judicium possit; sed Memoratorium ipsum semel edere, et eo quidem loco quo habent plerique codices, atque ii potissimum, qui genuinam integri Memoratorii formam servarunt.

(1) In Cavensi deest capitulum *De marmorariis*; quod tamen casu, seu incuria amanuensis, accidisse existimaverim, qui a verbis *annonas ei non repotetur* capituli v oculis transilierit ad eadem verba in cap. VI.

(2) *Litterarisches Centralblatt für Deutschland;* Leipzig, 1853, 5 *November*, *N.°* 45, *S.* 737.

11) Nostris temporibus Rachis leges ineditis pluribus capitulis sunt locupletatae. Nova haec capitula ad Edictum non pertinere, nulla dubitatio est [1]; magis ambigitur, quaenam fuerit eorum origo et indoles. Qua in re priora quattuor capitula, quae sub *Notitiae* nomine edimus, distinguenda a postremis duobus, seu a Capitulis *in brevi*. Prioribus illis eadem scilicet magna ex parte statuuntur, quae in capitulis VI et VII ex Edicto; ut omnino eodem tempore utraque data esse non possint. E capitulo I apparet, Notitiam editam esse kalendis martiis, quo ipso mensis die edita sunt capitula Edicto addita; annus autem incertus. Argumenta quae superius attulimus, et similium regiarum jussionum quae inter Langobardicas Leges supersunt comparatio, eo nos adducunt, ut pro certo habeamus, quattuor haec capitula exhibere praeceptum Rachis regis, editum quidem in gentis aut saltem optimatium conventu, non tamen adhibitis sollemnibus, quibus ea firmae legis et stabilis vim et auctoritatem acquirerent in Edictum inserendae; mox vero anno regni secundo, kalendis martiis, in sollemni gentis concilio, Rachim de iisdem rebus statuisse, ita tamen ut non ipsa pristina quae ediderat praecepta in Edictum reciperentur, sed de eisdem rebus aliis verbis et paulo aliter statueretur. Haec igitur capitula quin ad primum Rachis regis annum referenda sint, vix dubitamus.

12) Praeter quattuor priora, ab Edicto aliena sunt etiam postrema duo Rachis regis capitula; qua de re, ut reliqua omittam, dubitare non sinunt prologi verba: « Ista quae superius scripta tenentur, in Edictum scribantur; et ista duas capitula de subtus in brevi previdimus statuere. » Hinc etiam apparet, 1° haec duo capitula esse capitulis ex Edicto proxime subjicienda; 2° duo, nec plura, esse hujusmodi capitula; 3° ex ipso prologi contextu arguere licet, haec etiam in ipso gentis conventu fuisse constituta: ideo autem videntur in Edictum illata non fuisse, quod his mandata continerentur temporaria, seu occasione belli prolata; tum potissimum quod ea non promulganda, sed, in *brevi* seu *breviculo* scripta, judicibus tradenda, ut per fines quisque suos servanda curarent; quo potissimum haec *Capitula in brevi* differunt a reliquis plerisque superius memoratis, quae reges, non adhibitis quidem formulis sollemnibus secundum ritus gentis Langobardorum, promulgabant tamen, ut omnibus innotescerent, et universa gens iis teneretur. Notandum insuper, quae statuuntur priore ex his capitulis, fuisse etiam post Langobardici regni casum servata, uti apparet e Carolingico capitulari Langobardico anni DCCLXXXIII, cap. XVII, quo ita statuitur: « *Sicut consuetudo fuit sigillum et epistola prindere, ita et nunc sit factum* » [2]. Conjiciat autem quis, non legis perpetuo valiturae vim habuisse hujusmodi capitula

(1) Cf. Merkel, in *Archivio Storico di Firenze*, *Appendice*, *T. III*, *pag.* 716.
(2) *Monumenta Germaniae Historica*, *Legum T. I*, *pag.* 47.

in brevi, cum et in Edictum recepta non essent, nec ad anteriorem legem sed ad consuetudinem provocet renovatae legis auctor.

De capitulo, quod inter Rachis leges Muratorius, Georgisch, Canciani octavum numerant, ipsi autem in Notis Criticis dedimus, non est cur loquamur; cum omnium consensu spurium sit, quin et ejus originem prodat vetus glossa in margine codicis Veronensis: *pro* (?) *sequentis rusticitate* (1). Nec nisi in codicibus Libri Legum Longobardorum adest hoc capitulum, neque ex hac collectione transiit in Lombardam.

13. Aistulfi leges priores novem, e quibus constat Edictum De anno I, quamvis desint in plerisque codicibus, ad Edictum pertinere evincitur ex prologo, et e Benedicti de Monte Soracte testimonio. Codex Parisiensis 4613 exhibet praeterea in extremo Edicto, post Aistulfi cap. XXII, fragmentum, quod pro sincera Aistulfi lege nemo facile est habiturus; quin et totus loci contextus esse ostendit glossam francici aevi aut etiam recentioris ad Aistulfi capitulum VIII De anno V.

14. Aliud vero capitulum, quod ineditum dedimus e codice Guelpherbytano, legis quidem formam et habitum praefert; sed figmentum esse scriptoris ejusdem codicis, nobis certissimum est: qua de re conferenda quae monuimus in Notis Criticis. Quam sane arbitrio indulserit scriptor codicis Guelpherbytani, allatis exemplis supra ostendimus.

Quas hucusque longo ordine recensuimus leges, eae quo loco et ordine inter Langobardicas edendae sint, praesertim quas ab Edicto alienas esse dicimus, haud facile definitu est. Vel scilicet omnes chronologico ordine adjungendae legibus ex quibus constat ipsum Edicti corpus; vel omnes in unam sedem amandandae, Appendicis loco, post expletum Edictum; vel demum singulae eo loco recipiendae quo habent codices, illis tantum legibus in extremum volumen rejectis, quibus nullus codex certam sedem inter Langobardicas assignat. Prior utraque methodus probabilis, et procul dubio commodior, magnis tamen difficultatibus obnoxia. Ut enim omnes hujusmodi leges chronologica serie recipiantur inter capitula ex Edicto, nimium conjecturis indulgendum, magis fortasse quam par sit in critica ac ferme dixerim principe veteris monumenti editione. Sic Grimowaldi capitula duo, quae Muratorius primus protulit e codice Mutinensi, essent, nullo libro adstipulante, ponenda ante ejusdem Edicti capitula; item postrema duo capitula Notitiae Liutprandeae, quae ne ullus quidem codex habet inter Leges Langobardicas, essent medio Liutprandi Edicto inserenda; quin et, obstantibus codicibus, Liutprandi capitulum XXVIIII forte retrahendum ante Volumen De anno VIIII. Si hae leges in ipsum quidem recipiantur Edicti corpus, sed typorum forma aliave nota ab Edicti capitulis distinguantur, haud raro incertum erit, quaenam capitula hoc indicio pro

(1) *Canciani, Barbarorum Leges Antiquae, Vol. V, pag. 92. not.*

alienis ab Edicto notanda sint, cum prostent capitula, de quibus definiri nequit, utrum in Edictum recepta fuerint, necne; si vero leges ad Edictum non pertinentes, et in ipsum Edicti corpus chronologica serie receptae, nulla nota a ceteris distinguantur, indoles et natura tum Edicti ipsius, tum legum, quae ab Edicto alienae sunt, falso proditur, et Edictum adscititiis et spuriis nec ejusdem auctoritatis capitulis admixtis corrumpitur. Omnibus e converso hujusmodi legibus in finem seu in Appendicem conjectis, hoc idem primum incommodi evenit, quod nimium conjecturis indulgendum sit, cum de quorumdam capitulorum indole plerumque probabilibus, saepe tamen prorsus incertis constet conjecturis. Partes praeterea dissociantur, quae primitus inter se adhaerebant, et quae nonnumquam sine sententiae damno divelli nequeunt; cujusmodi sunt capitula *In brevi* Rachis regis, quae si ab Edicti capitulis sejungantur, nullus jam erit sensus verborum prologi *Ista quae superius scripta tenentur, in Edictum scribantur.* Capitula de quibus egimus sub numeris 1, 8, 13, 14, spuria esse diximus, atque idcirco sunt ab Edicti contextu procul dubio amandanda; e converso Rothariana capitula duo, de quibus disseruimus sub numero 2, utpote ad ipsum Rotharis Edictum pertinentia, ab ipso sejungi neutiquam possunt. Ea vero quae Notitiae nomine designavimus, ac recensuimus sub numeris 3, 4, 7, 10, 11, utpote ab Edicto Langobardico prorsus aliena, ab eo sejungenda; idemque dicendum videtur de Liutprandi capitulo de quo sub numero 5, sed de eo magis dubia res est. Ob eamdem causam ab Edicto sejungenda forent, obstante quamvis, ut diximus, prologo, Rachis capitula in brevi, de quibus sub numero 12. Capitula demum quae expendimus sub numeris 6 et 9 incertae naturae sunt, cum non constet utrum, sive lege sive consuetudine, in Edictum recepta fuerint; sed prioris ipse contextus ab Edicto sejungi vetat, atque idcirco alteri quoque servanda sedes quam habet in codice Vercellensi, cum utrumque capitulum ejusdem prorsus generis esse appareat. His difficultatibus perpensis, tutius duximus, librorum manuscriptorum, quos in adornanda editione duces nobis statuimus, auctoritati pressius adhaerere, et singulas Langobardicas Leges eo loco et ordine edere, quo habent veteres codices; iis tantum in extremum opus seu in Appendicem amandatis, quibus nullus manuscriptus codex certam sedem dabat in ipso Edicti Langobardici corpore et contextu, itemque illis spuriis, quas nondum veteres Editores inter genuinas Edicti leges receperant, et quas nunc primum genuinis immiscere, durum et a proposito nostro alienum videbatur. Atque eo magis postremam hanc viam sequendam duximus, quod, ut nuper innuimus, de editione critica ageretur, quae princeps haberi potest veteris textus Legum Langobardicarum; quae ideo ad veterum librorum fidem accuratissime fuit exigenda, nec quidpiam in ea conjecturis tribuendum, nisi ubi mendum certissimum, quae autem restituimus prope indubiis nituntur argumentis. Legum tamen universarum, quae ad

hanc classem referri possunt, in Appendice III indicem adjecimus, ut uno intuitu appareat, quot et quaenam inter Langobardicas supersint leges ad Edictum non pertinentes.

Capitulorum Karoli Magni, Pippini, Hludowici et Hlotarii innotuerunt Italici codices quattuor, Eporedienses scilicet duo, Cavensis et Chisianus: horum antiquissimus Eporediensis ille, quo continentur Leges Langobardorum, de quo supra locuti sumus. Lectione cum reliquis tribus plerumque convenit; dignus tamen omnino cujus ratio habeatur in nova Capitularium editione [1]. Ex eo dedimus in Appendice IIII capitulare Karoli Magni ineditum, quod deest in reliquis codicibus; uno etiam capitulo auximus capitulare, quod Pertzius e codicibus Cavensi et Chisiano primus ediderat, et tribuerat Hlothario imperatori, atque anno DCCCXXV adsignaverat. Exhibent hoc capitulare quattuor quos memoravimus Italici libri manuscripti; principis a quo latum sit nomen ii non praeferunt, nec anni notam; diem tamen et mensem produnt verba postremi capituli *Et hoc damus in mandatis, ut quicumque homo ab hac presenti die vicesimo mensis februarii etc.* Ante hoc capitulum in utroque Eporediensi posita sunt capitularis Karoli Magni Aquisgranensis anni DCCCV capitula *Ad omnes generaliter*, quibus subnexa, nulla praeposita inscriptione, capitula tria, quae et in codice Tegernseensi a ceteris sejuncta et per se posita sunt, excerpta scilicet e Synodo Rhispacensi, quam anno DCCXCVIIII haud immerito tribuit Pertzius. In neutro codice ullum est indicium, quo hoc capitulare, legibus Karoli Magni subnexum, alteri principi tribui videatur; quin et in recentiore Eporediensi hoc capitulare subsequitur alia ejusdem Karoli lex, quam habet Pertzius ut partem capitularis 54 (*Legum Tom. I, pag.* 116, *vers.* 2-13); tum aliud capitulum, quod e codicibus Chisiano et Cavensi Pertzius primus edidit, et Hludowico tribuit; desunt utraque haec capitula in antiquiore Eporediensi. Tum demum in utroque Eporediensi subsequitur capitulare Hludowico inscriptum, uti et in Cavensi et in Chisiano, quod Pertzius edidit sub numero 106; tum alia ejusdem Hludowici capitularia, in quorum altero tamen subito abrumpitur recentior Eporediensis codex mutilus. In vetustiore post alia demum Hludowici capitularia inscriptio est, quae prodit, sequentia capitula Hlotario esse tribuenda. His perpensis, quibus vix obstat auctoritas librorum Cavensis et Chisiani, in quibus, ipso Pertzio teste [2], capitulare de cujus aetate et auctore disserimus extra sedem positum est, nec vero Hlotario tributum, sed legibus admixtum Hludowici I cum inscriptione *Item alia capitula*: capitulare quod Pertzius a Hlothario in Maringo anno DCCCXXV editum

(1) In Bibliotheca Capituli Vercellensis adest Capitularium Ansegisi codex vetustissimus et optimae notae, sed situ et vetustate pessime habitus.

(2) *Monum. Germ. Hist.*, *Legum T. I*, *pag.* 239, *vers.* 20-21.

censuit, verius Karolo Magno videtur tribuendum. Hoc quippe capitulare quamvis soli servaverint italici quos nuper memoravimus quattuor libri manuscripti, codices tamen Libri Legum Longobardorum, tum codex Ambrosianus, in quo item pristinus Carolingicarum legum ordo prorsus turbatus est, habent capitulum primum inter leges Hludowici I, Ambrosianus vero praeterea postremum inter leges Hlotharii; quin et in fine capitularis, ubi reliqui codices habent *Facta notitia anno dominorum nostrorum*, Ambrosianus addit *tercio*. Hoc potissimo ac ferme dixerim uno indicio ductus fuisse videtur Pertzius, dum hoc capitulare Hlothario et anno DCCCXXV adsignavit: haud pauca tamen prostant argumenta, quae Ambrosiani codicis hac in parte auctoritatem infirment. Ac primo, idem hic codex Ambrosianus, qui postremum legis capitulum habet inter Hlotharii leges, primum capitulum, ut innuimus, cum aliis codicibus habet inter leges Hludowici I; ut vel hoc uno argumento appareat, capitulare in eo codice esse incertae sedis et auctoris, nec quidpiam hac in re esse tribuendum Ambrosiani codicis auctoritati. Praeterea capitula *De expeditione Corsicana*, quae reapse a Hlothario *in curte Maringo* edita esse codices testantur, non *tertium* sed *sextum* Hlotharii annum in subscriptione proferunt; quin et, quamvis in hoc uno capitulari, quod vix credibile, anni Hlotharii a coronatione Romana, anno DCCCXXIII mense aprili, computentur, *secundus*, non *tertius*, imperii annus decimo kalendas martias anno DCCCXXV adnotandus fuerat. Sed praeter auctoritatem codicum duorum Eporediensium, alio praeterea argumento contendimus, hoc capitulare Karolo Magno esse tribuendum. Primum scilicet hujus legis capitulum adest in Collectione quadam, quam habet codex Sancti Pauli in Karinthia, scriptus inter annum DCCCXVII et DCCCXXIII [1], e vetustiore tamen libro descriptam [2], et in qua nulla prostat lex aut legis particula anno DCCCVII recentior: de qua Collectione, cum eadem illa sit, quae aliud longe maximi momenti documentum, Liutprandi Notitiam seu praeceptum ad actores regios, nobis servavit, fusius hoc loco disserere non abs re erit. Habet codex Paulinus primo quidem loco Pippini capitulare, quod a Pertzio editum sub numero 52; tum Leges Ribuariorum, Salicam, Bajuvariorum, Alamannorum, Aegidianae Epitomes Breviarii Alariciani partem [3], Legem Burgundionum, tum eam de qua disserimus capitulorum Collectionem, dein Karoli Magni capitularia duo (apud Pertzium 40 et 23), tum Hludowici tria (apud Pertzium 112, 113 et 114), edita haec anno DCCCXVII; post quae, recentiore demum manu,

(1) Haenelius (*Lex Romana Wisigothorum*, Lipsiae, 1849, *in Prolegomenis*, *pag.* LXXVIII) scriptum tradit prioribus X saeculi lustris; monet tamen, praefectum Sancti Blasii, quem Gerbertum esse suspicatur, codicem existimare saeculo VIIII conscriptum fuisse in ea parte Burgundiae, quae Ottonum aevo cum Lombardia conjuncta erat. Nos Pertzii sententiam sequimur, argumento quod mox afferemus firmatam. Scripturae codicis specimen vide apud Pertzium, *loc. cit.*, *Tab. II*, *num.* 1.

(2) Cf. Notas Criticas nostras ad Liutprandi Notitiam in Appendice III, *pag.* 446.

(3) Usque ad Codicis Theod. Lib. V, Tit. I, const. 2. Minus accurate Pertzius hoc codice contineri tradit *Breviarii Alariciani partem*.

Hlotarii capitularia duo (apud Pertzium 24 et 35), edita annis DCCCXXIII et DCCCXXV; ut probum sit conjicere, superiorem codicis partem ante annum DCCCXXIII conscriptam fuisse, et haec duo capitula serius demum adjecta. Collectio autem, quam nuper memoravimus, constat e XCIII capitulis, excerptis e vetustioribus Pippini et Karoli Magni capitularibus: et ita quidem, ut usque ad capitulum LXXII sincerus capitularium ordo, qualem scilicet habent veteres codices, ab excerptore servatus sit; reliqua haberi possint pro appendice, in qua, nullo ordine servato, capitularium excerpta conjecta sint, quibus et iis intermixta Notitia Liutprandi regis ad actores suos; ut facile appareat, hoc supplementum non, ut superiora, ex aliquo capitularium codice esse depromptum, sed e membranis singulorum capitularium exempla separatim exhibentibus. Pertzius Collectionem hanc in tres partes divisam esse tradit; sed continua serie capitulorum numeri adnotantur, his tantum capitularibus, ex quo excerpebantur, inscriptione forte servata: unde et Pertzius capitula quaedam e partibus secunda et tertia in idem capitulare conjecit(1). Primum locum tenet in hac Collectione capitulare anni DCCLXXVIIII, quod Pertzio est 11, *Legum Tomo I*, *pag.* 36, *col.* 1 (Collectionis *capp.* I-XXIII); tum, nulla praeposita inscriptione, qua a superioribus secernatur, Pertzii capitulare 33, anni DCCXC, *pag.* 70 (*capp.* XXIIII-XXXVII). Subsequitur, sed praeposita inscriptione, capitulare Pertzii 26, anni DCCLXXXIII, *pag.* 46, quod et in aliis codicibus superiori postponitur(2) (*capp.* XXXVIII-LIIII). Hucusque capitularia integra exscripta; in reliqua Collectionis parte aliqua tantum capitula decerpta sunt. Et primum quidem adest capitularis, de cujus aetate et auctore disserimus, capitulum I (Collectionis *cap.* LV), quod antiqui codicis testimonio ductus ipse Pertzius hoc capitulum Karolo Magno vindicavit, sed ut partem capitularis (apud Pertzium 80, *pag.* 148), quod, consarcinatum ex hoc capitulo et aliis nonnullis, quae excerpta e capitularibus editis exeunte anno DCCCV et anni DCCCVI, proxime sequuntur in hac Collectione, promulgatum suspicatur autumno anni DCCCVI aut vere anni insequentis(3).

(1) Capitulare 80, *Monum. Germ. Hist. Legum Tom. I*, *pag.* 148.
(2) Cf. Pertz, *loc. cit.*, *pag.* 70, *vers.* 3-4.
(3) De hoc et similibus capitularibus, quae, nullo probabili fultus argumento, eruit ex hac Collectione, tamquam repetitam recentissimarum plerumque legum promulgationem, ipsum incertum haesisse Pertzium, ex eo evincitur, quod ei accidit in capitulari 80. In Monito quippe huic capitulari praefixo tradit, extare hoc capitulare in codice Sancti Pauli inter Karoli Magni leges, capp. 55-66; quum reapse in ipso capitulari sint non XII capitula sed XVIIII, quae Collectionis Paulinae respondent capitulis LV-LXXIII. Hinc scilicet evincitur, dum Monitum scripsit, in mente habuisse, hoc capitulare solo finire capitulo de quo agimus, et capitulis undecim decerptis e capitulari ad Theodonis villam, cui capitulari sedem, ut videtur, aliquantum ante eam, quam nunc obtinet, tributurus erat; capitula vero excerpta e capitulari ad Niumagam et quae proxime sequuntur in Collectione Paulina aut omittere, aut ex iis aliud capitulare conficere. Nec sane afferri causa potest, cur nonnullis Paulinae Collectionis capitulis nonnisi ad sincerorum capitularium textum emendandum uti debuerit (capitulis LXXIII-LXXX, LXXXVIII-XCIII, non adnumeratis scilicet prioribus LIIII Collectionis capitulis, quibus integra capitularia tria exhibentur), ex aliis autem, a Collectione divulsis, ac denuo propositis, nova capitularia conficere (80, 85, et 88); nec etiam, cur hoc aut illo potius loco singulorum ex hisce capitularibus fines posuerit, obstante nonnumquam, ut in capitularibus 85 et 88, ipsa argumenti ratione. Id unum apparet, capitularia confinxisse Pertzium e Collectione Paulina ubi in capitula incidit, quae inter cognitas Karoli Magni leges non prostabant. Prorsus autem horum conficiendorum capitularium causa evanescit, capitulari Pertzii 129 suo auctori et tempori restituto, capitulis vero LXXXIII-LXXXVII Liutprando vindicatis.

Hoc scilicet capitulum excipiunt in Collectione, de qua agimus, capitula undecim e capitulari 71, ad Theodonis villam, mense decembri anno DCCCV editi, *pag.* 132 (*capp.* LVI-LXVI); dein e capitulari 76, ad Niumagam, mense martio, anno DCCCVI, *pag.* 143, capitula tria (*capp.* LXVII-LXIX); capitularis 78, Aquensis, anno DCCCVI exeunte, *pag.* 146, capitula tria (*capp.* LXX-LXXII); tum capitulum (*cap.* LXXIII), quod Pertzius edidit ut octavum capitularis 40, mense junio anno DCCCI, *pag.* 84; quo tamen loco cum desit fere in omnibus codicibus, quos inter Eporedienses duo, magis crediderim, pertinere ad capitulare editum post capitulare Aquense, ante mensem vero augustum sequentis anni; cum et in Paulino codice et in vetustiore Eporediensi hoc capitulum proxime subsequatur capitulare 83 Ingelheimense, anni DCCCVII, mense augusto, *pag.* 151; in Eporediensi vero praecesserat capitulare 71, anni DCCCV exeuntis. E capitulari Ingelheimensi sex capitula in Collectionem de qua agimus recepta sunt (Collectionis *capp.* LXXIII-LXXVIII). Hucusque capitularia vetere ordine servato, ut supra notavimus, aut integra recepta aut excerpta videntur scilicet, exeunte anno DCCCVII aut ineunte DCCCVIII, Collectio italicas in eam diem Pippini et Karoli Magni leges complexa. Reliqua tredecim capitula excerpta videntur, ut super innuimus, e schedis capitularia exhibentibus, non in unum volumen congesta, sed prout singula seorsim prodierant: unde factum ut non modo nullus certus ordo in hac parte servetur, sed et Carolingicis sit admixta Langobardica lex, quae in schedis Carolingicas leges exhibentibus in collectoris forte manus inciderat. Primum quippe in hac extrema Collectionis parte adest capitularis 55, Aquensis, anni DCCCIII, *pag.* 117, capitulum II (Collectionis *cap.* LXXX); tum iterum capitularis 71, exeunte anno DCCCV editi, *pag.* 132 (cfr. et *pag.* 153) capitula duo (Collectionis *capp.* LXXXI-LXXXII); dein Liutprandi regis Notitia, capitulis inverso ordine dispositis, quod forte membranae ab utraque parte scriptae posteriorem paginam pro priore habuerit librarius (*capp.* LXXXIII-LXXXVII); demum priora quinque capitula capitularis 53, anni DCCCIII, *pag.* 113 (*capp.* LXXXVIII-XCII).

Ex hoc conspectu eorum quae Paulino codice continentur in hac XCII capitulorum Collectione, duo sunt quae, nostro quidem judicio manifesto se produnt: primum quidem, hanc Collectionem non esse aliquod Carolingicum capitulare, seu non fuisse publica opera confectam et promulgatam, qualem habet Paulinus codex; secundo, non modo integram Collectionem, sed ne singula quidem capitula, aut quampiam Collectionis partem, pertinere ad novam promulgationem eorum quae ante paucos annos statuta erant, sed universa librarii aut jurisperiti cujuspiam arbitrio, ac privata opera, esse in unum congesta (1). Capitulare vero, unde Collectionis

(1) Hujusmodi sane excerpta prostant aliarum veterum Legum, ac praesertim Romanarum. E Collectione autem

cap. LV desumptum est, itemque capitulum quod in IIII Appendice edimus atque eidem capitulari vindicamus, jam, ducibus codice Sancti Pauli et duobus Eporediensibus, Karolo Magno restituemus, et anno DCCCV, X kalendas martias, adsignabimus, quo item anno dira fames per imperium Francorum grassata est, cujus mala lenire hoc aliisque capitularibus conati sunt Karolus Magnus et Pippinus.

Capitularium seu verius Edictorum quae Beneventani principes ediderunt nullam aptiorem aut veriorem esse sedem quam post Edicta regum Langobardorum, jam supra monuimus; sunt enim accessio et quasi continuatio prioris Edicti, ipsaque *in Edicti paginam* inserenda praecipiuntur. Cum tamen eorum nulla umquam vis et auctoritas fuerit in superiore hac Italiae parte, cujus Historica Monumenta edenda suscepimus, nova eorum editio a re nostra prorsus aliena erat. Vulgandum tamen censuimus Adelchis ducis capitulare, cujus prologum ineditum dabat codex Matritensis, cum perpetuis emendationibus ad ipsa capitula jamdiu edita e codice Cavensi. Notis chronologicis, quas prologus exhibet, corruptis in codice unico, annus quo ab Adelchi editum sit capitulare certo definiri nequit; indictio enim annum DCCCLVII designat, duodecimus vero ducatus annus fuit DCCCLXIIII. Id notatu dignum, et Arechim et Adelchim Duces appellari; cum tamen constet Arechim, post Langobardici regni casum, se Principem appellari voluisse, ne Francorum regum gasindius et subditus videretur. Sed prae ceteris memoratu dignissimum quod idem prologus habet de Karolo Francorum rege, qui Desiderii soceri sui sceptro invidens et insidians, *contra eumdem subdole et callide agere non refugit:* quo antiquissimo testimonio confirmatur, quod recentiores Itali historici innuunt, silent Franci ceterique qui Karolo ejusque filiis regnantibus scripsere, dolo magis quam vi armorum prostratam dominationem et eversum regnum Langobardorum a Karolo rege Francorum.

Inscriptiones Langobardicas, eas scilicet quae in nostris regionibus detectae sunt, exhibuimus in V Appendice; praesertim cum et antiquitate praestent ceteris id genus monumentis quae in reliquis supersunt Italiae partibus, et ex iis unam ineditam primi in lucem protulerimus, reliquarum plerasque minus accurate olim vulgatas, ad fidem marmoris accuratiores dederimus, ferme omnes autem aliquid conferant ad incertos Langobardorum regum annos indubiae fidei monumentis accuratius definiendos. Unam aut alteram inscriptionem, nullius sane momenti, notisque chronologicis destitutam, quae incertis indiciis ad Langobardorum tempora referri poterat, censui omittendam.

In Appendicibus VII, VIII et VIIII dedimus veteres glossas et glossaria quaedam. Glossae Eporedienses eo ceteris ad Leges Langobardicas glossis

quam habet Paulinus liber non descripta sed simili modo excerpta est quam, nonnisi XXXVII capitulorum, exhibet codex Chisianus, et procul dubio exhibuere postrema folia, nunc deperdita, codicis Cavensis.

praestant, quod et antiquiores sunt, ad eorum, quos Merkel *antiquorum* nomine designat [1], tempora procul dubio retrahendae, et in iis prima reviviscentis Romani juris appareant vestigia: Justiniani Institutionibus jam, nondum vero Codice nec Juliani Novellis, in subsidium vocatis. Glossae, quas ad Francicum jus ex altero Eporediensi codice edidit Peyronus, longe recentiores sunt, utpote post scriptum demum librum, initio XI saeculi non antiquiorem, in vacuo spatio adjectae a posteriore manu. Utraeque autem in foro natae, nec ad Papiensium scholam referendae, ex qua, Merkelio judice [2], derivatae sunt glossae quas habent codices Libri Legis Longobardorum, tum pleraque Lombardae exemplaria.

E glossariis, ceteris praestat quod, ex antiquiore exemplari descriptum, habet codex Cavensis; aliud hujusmodi Glossarium est in Codice Vaticano VMI, brevius quidem [3], sed quod nonnulla argumenta suadent derivatum esse ex eodem fonte ac codicis Cavensis, dignum idcirco quod in lucem protrahatur. In his sane glossariis, quae VIIII saeculo exeunte aut X ineunte recentiora non esse notat Pertzius [4], pleraeque vocum quidem interpretationes ex ipso legum contextu aut e Paulo Diacono derivatae nec raro corruptae; aliae tamen debentur glossatori, qui falsas quidem nonnumquam interpretationes commentus est, saepe tamen veram aut obsolescentis jam nec dum prorsus demortuae vocis significationem exhibet, aut nondum longa aetate prorsus oblitteratam; aliquae etiam desumptae sunt e deperditis jam vetustioribus glossariis et antiquis scriptoribus. Sic inter varias quas veteres proferunt etymologias vocis Lex, ea non extat, si non vera, certe non contemnenda, quam habet Glossarium Cavense [5]. Nec minus notatu dignae, quamvis nonnumquam inaccuratiores, interpretationes vocum *Arimannus*, *Guidrigild*, *Pleuma*, *Maccinam* (*Machina*), aliaeque non paucae. Id vero existimaverim, quod habet Cavensis codex e duobus glossariis consarcinatum esse; cum nec litterarum ordo accurate servatus sit, et plures voces bis legantur, diversa etiam nonnumquam orthographia [6], aliquando eadem, saepius diversa adjecta interpretatione. Cavense hoc glossarium edidit etiam Massmann [7], nuperque ex editione nostra repetiit Carolus Troya [8]. — Longe minoris auctoritatis et pretii Glossarium, quod edimus e codice Matritensi; non nullius tamen et ipsum utilitatis, et cum Cavensi et cum Edicti contextu cum aliquo fructu conferendum.

Legem spuriam ineditam, ineuntis saeculi XI, quam, ab alia manu

(1) *Geschichte des Langobardenrechts*, *S.* 15, 28.
(2) *Ebendaselbst*, *S.* 29.
(3) *Archiv der Gesellschaft*, *Bd. V*, *S.* 132; *Bd. X*, *S.* 371.
(4) *Archiv der Gesellschaft*, *Bd. V*, *S.* 255. Cf. etiam Merkel, *Geschichte des Langobardenrechts*, *S.* 26.
(5) Prostat similis glossa ad *c.* 1 *C. Th. br. De constit. princ.* (1, 1), in cod. Vaticano Reginae Sveciae 1048, edita ab Haenelio, *Lex Romana Wisigothorum* (Lipsiae, 1849), *pag.* 460.
(6) *Arimannus*, *Asto*, *Cespitibus*, *Faida*, *Gafar* (*Gafandus*), *Siliquas*, *Silmundia*, *Roborem*, *Uecorin* (*Guecorin*, *Uegoren*); *Widribora* (*Guidribora*), *Zabas*.
(7) In *Haupt's Zeitschrift*, *I*, 561; cf. Merkel, *Geschichte des Langobardenrechts*, *S.* 52, *Anmerk.* 3.
(8) *Codice Diplomatico Longobardo*, *T. II*, *pag.* 458 *segg.*

adjectam exhibet membrana custos codicis Vercellensis LXXVI, Cresconii collectionem Canonum complexi, adjecimus, quod non inutilis videretur illustrandae historiae hujus nostrae Italiae partis, in qua hae de nuptiis et de concubinis clericorum controversiae in bella et sanguinem exarserunt. Ardentissimus in hac contentione fuit Leo episcopus Vercellensis, quo dictante [1], ut traditur, lex de hac re promulgata est ab Ottone imperatore, anno DCCCCLXVII in conventu Veronensi [2]. Prostant de eadem re acta, *per manus* ejusdem Leonis exarata, Synodi quae habita dicitur Papiae kalendis augustis, anno MXXII, praesentibus Benedicto Papa, tum episcopis Mediolanensi, Ticinensi, Novocomensi, Taurinensi, Dertonensi et Vercellensi; extat et sub Heinrici imperatoris nomine lex, quae Synodus statuerat suo decreto firmantis [3]. Quamvis autem hujus Synodi acta *humanis inserenda* statuantur *et inscribenda legibus, per omnem imperii latitudinem, ne factiosi hujus decreti scientiam dissimularent, quod omnium libris inscriptum, per ora omnium evolabit*; quamvis *cum senioribus terrae, cum domesticis palatii et cum imperii primoribus* Heinricus firmasse dicatur, et per universum imperium promulgasse: haec Synodi acta et Heinrici constitutio in nullo Libri Legum Longobardorum, ibidem circa ipsa ea tempora confecti, sive alio veterum legum codice reperitur. De hujus synodi et decreti fide et sinceritate disserere, a re nostra alienum est; id vero comparanti vix dubium erit, spuriam quam edidimus legem confictam fuisse ab eodem Leone episcopo Vercellensi, cui debentur Acta, sive spuria ea sint sive sincera, Synodi Ticinensis. Verbis autem in inscriptione constitutionis nostrae *In septimo libro Gaji* non majorem auctoritatem tribuo, quam sex constitutioni praescriptis imperatorum nominibus; universa quippe pro figmento habeo falsarii, cui visum est his subsidiis majus auctoritatis pondus legi quam comminiscebatur accessurum.

Praecipuorum quibus usi sumus librorum manuscriptorum scripturae imaginem adjecimus. E Vercellensi codice et ex Eporediensi scripturae specimina ipsi summa cura descripsimus; Parisiensium misit Champoillon-Figeac; Vaticani idem ille Heyse, qui ex eodem codice Rachis capitula duo *in brevi* denuo in nostros usus descripsit; Sangallensis, Cavensis, et Matritensis sumptibus Academiae Historicae nostrae desumpta sunt; Gothani demum et Guelpherbytani e Pertzio repetivimus.

Addendas etiam curavimus picturas, ad fidem Matritensis codicis accurate repetitas, quae in eo libro singulis Edictis praepositae sunt. Eas praeterea adjicere in animo erat quas habet codex Cavensis; sed artifices,

(1) Cf. Merkel, *Archivio Storico di Firenze*, *Appendice*, *Vol. III*, *pag.* 728, 729. De rei tamen veritate dubitari potest; longe enim post annum DCCCCLXVII Leo ad Vercellensem episcopatum evectus est.

(2) *Monumenta Germaniae Historica*, *Legum T. II*, *pag.* 33.

(3) Primum edita a Cossarto in *Tom. IX*, *Parisiis*, 1671, Collectionis Conciliorum, ex codice jam deperdito; inde repetita in Mansi Conciliorum Collectione, *Tom. XVIIII*, *Venetiis*, 1774, *pag.* 343-356. E Cossarto repetiit, omissa praefatione seu prologo, Pertzius, *Monumenta Germaniae Hist.*, *Legum T. II*, *pag.* 561-564.

quibus hujusmodi picturae ad fidem codicis effingendae committerentur, frustra per eas partes quaesiti. Hujusmodi imaginum duplex utilitas: quod pictoriae artis specimina nobis servaverint, qualis ea fuit rudibus illis temporibus; tum quod vestiendi formas aliaque haud pauca nobis prodant, quorum notitia nullo scripto testimonio aliove id genus monumento ad nos pervenit. Id quippe procul dubio est, hujusmodi imagines non effictas arbitrio eorum, qui ineunte saeculo XI codices Cavensem et Matritensem scripserunt, sed in eos transiisse e vetustiore libro, quamvis pictoris partim incuria partim arbitrio plerumque aliquantum immutatas. Imago, exempli gratia, quam ante Rotharis Chronicon habet codex Cavensis, in quo Wodan et Frea exhibentur, nomen Winilis dantes et victoriam, omnino, non quidem proxime descripta, sed derivata dicenda est e Legum Langobardicarum codice circa ipsa Rotharis tempora exarato, priscis populi traditionibus vetustate et mutata religione nondum deletis. In Vercellensi quidem codice nullae picturae sunt, nisi initio Edicti rudes quidam ornatus, tum passim initio capitulorum et in inscriptione Edictorum majores et coloratae litterae; at in Sangallensi litterae initiales elegantiores, satis accurate delineatae, piscium plerumque aliisve id genus imaginibus formatae; multi autem supersunt saeculi VIIII ineuntis manuscripti libri, ut Paulinus de quo supra locuti sumus, Karoli Magni aliorumve principum imagines exhibentes; fuere etiam hujusmodi imagines, ut ex versibus apparet libro praescriptis quos supra retulimus, in codice quem Lupus conscripsit, et ex quo Mutinensis et Gothanus derivati sunt; ut omittam vetustiores Romani aevi libros, Notitiam Dignitatum aliosve id genus.

Adjiciendas item censuimus tabulas, quibus ordo capitulorum superiorum editionum cum nostra, tum nostrae cum superioribus editionibus et cum praecipuis Legum Langobardicarum codicibus comparatus sisteretur; ut quae ad veterum editionum fidem citantur, in hac nostra facilius reperiantur; tum ut de singulorum librorum ordine, indole et lacunis judicium proferri possit: hoc enim potissimum indicio, magis quam ipso contextu, Legum Langobardicarum manuscripti libri sincerum Edicti textum exhibentes in varias veluti familias distinguuntur.

Operi addenda supersunt de Langobardis et eorum historia fusior disquisitio, Muratorii et Canciani Notae historicae omnes tum nostrae aliquot, demum glossaria et indices.

Haec de universa editione, ejusque origine, consilio, subsidiis monenda videbantur. Superest ut enixae diligentiae et diuturno labori, quo eam adornare studuimus, respondere judicent viri docti, patriarum historiarum et juris periti.

Scribebam Taurini, kalendis juliis, MDCCCLIIII.

EDICTA

REGUM LANGOBARDORUM

INCIPIT

EDICTUM

ROTHARIS REGIS.

(Decimo kalendas decembres, anno DCXLIII.)

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JEISU CHRISTI

Incipit origo gentis nostre Langobardorum, què egressa est ab insula que dicitur Scandanan, quod interpretatur *in partibus Aquilonis*, ubi multae gentes habitant; inter quibus erat gens parva, quae Winnilis vocabatur. Et erat cum eis mulier nomine Gambara, habebatque duos filios: nomen uni Ybor, et nomen alteri Ajo. Ipsi cum matre sua nomine Gambara principatum tenebat super Winnilis.

II. Moverunt se ergo duces Wandalorum, id est Ambri et Assi, cum exercitibus suis, et dicebant ad Winnilis: *Aut solvite nobis tributa, aut preparate vos ad pugnam et pugnate nobiscum.* Tunc responderunt Ybor et Ajo cum matre sua Gambara, dicentes: *Melius est nobis pugnam preparare, quam Wandalis tributa persolvere.* Tunc Ambri et Assi, hoc est duces Wandalorum, rogaverunt Godan, ut daret eis super Winnilis victoriam. Respondit Godan dicens: *Quos sol surgente antea videro, ipsis dabo victoriam.* Eodem tempore Gambara cum duobus filiis suis, id est Ybor et Ajo, qui principes erant super Winnilis, rogaverunt Fream uxorem Godan, ut ad Winnilis esset propitia. Tunc Frea dedit consilium, ut, cum sol surgeret, Winnilis et mulieres eorum, crines solute circa faciem in similitudinem barbae, cum viros suos venirent. Tunc lucescente caelo dum sol surgeret, gyravit Frea uxor Godan lectulum ubi recumbebat vir ejus, et fecit faciem ejus contra orientem, et excitavit eum. Et ille aspiciens vidit Winnilis et mulieres eorum habentes crines solutas circa faciem in modum barbae, et dixit: *Qui sunt isti Langobardi?* Et dixit Frea ad Godan: *Domine, sicut dedisti nomen, da illis et victoriam.* Et dedit eis victoriam, ut ubi visum esset vindicavent se, et victoriam haberent. Ab illo tempore Winnilis Langobardi vocati sunt.

III. Et moverunt se exhinde Langobardi, et venerunt in Goltidam; et postea possederunt Aldonus, Anthabus, et Bainaib, seu et Burgundaib. Et dicitur quia fecerunt sibi regem nomine Agelmund, filium Ajo, ex genere Gugingus. Et post ipsum regnavit Lamicho, ex genere Gugingus. Et post ipsum regnavit Lethuc, et dicitur quia regnasset annos plus minus quadraginta. Et post ipsum regnavit Aldihoc, filius Lethuc. Et post ipsum regnavit Godehoc.

IIII. Illo tempore exivit rex Odojacer de Ravenna cum exercitu Alanorum, et venit in Rugilanda, et expugnavit Rugos, et occidit Fewane regem Rugorum, et secum multos captivos duxit in Italiam.

Tunc exierunt Langobardi * de suis regionibus, et habitaverunt in Rugilanda annos aliquantos. Et postea regnavit CLAFFO filius Godehoc, Et post ipsum regnavit TATO filius Claffonis. Sederunt Langobardi in campis Feld annos tres. Et pugnavit Tato cum Rodolfo rege Herulorum, et occidit eum, et tulit bandonem ipsius ** et capsidem; post eum Heruli regem non habuerunt. Et occidit Wacho filius Unichis Tatonem regem barbane suo cum Zuchilone; et regnavit WACHO. *** Et pugnavit Ildechis filius Tatoni; et fugit Ildechis filius Tatoni ad Gippidos, ubi mortuus est. Injuria ejus vindicanda Gippidi scandalum commiserunt cum Langobardis.

V. Eo tempore inclinavit Wacho Suavos sub regno Langobardorum. Wacho habuit uxores tres: una Ratecunda, filia Pisen, regis Thuringorum. Et post eam accepit uxorem Austrigosam, filiam Gippidorum, et habuit Wacho de Austrigosam filias duas: nomen une Wisecarda, quam tradidit in matrimonio Theodeperto regi Francorum; et nomen secundae Walderada, quam habuit uxorem Cusobald, rex Francorum, quam odio habens tradidit eam Gairipald in uxorem, principi Bajoariorum. Et postea accepit Wacho tertiam uxorem, filiam regis Herulorum, nomine Sigelenda; de ipsa habuit filium nomine Waltari. Et mortuus est Wacho; et regnavit filius ipsius WALTARI post ipsum annis septem, et farigaldus. Isti omnes Lethingis fuerunt.

VI. Et post Waltari regnavit AUDOIN. **** Audoin ex genere fuit Gausus. Ipse adduxit Langobardos in Pannonia. Et mortuus est Audoin in Pannonia; et regnavit ALBOIN filius ipsius post eum, cui mater fuit Rodelenda. Eo tempore pugnavit Alboin cum rege Gippidorum nomine Cunimund; et mortuus est Cunimund in ipsa pugna, et debellati sunt Gippidis. Tunc tulit Alboin uxorem Rosemunda, filia Cunimundi, quem predaverat; quia jam mortua fuerat uxor ipsius Hlodsuinda, quae fuit filia Hlothari regis Francorum, de qua habuit filia nomine Albsuinda. Et habitaverunt Langobardi in Pannonia annos quadraginta duo.

VII. Ipse Alboin adduxit Langobardos in Italia, invitatus a Narsete patricio. Et movit Alboin rex Langobardorum de Pannonia mense aprilis a Pascha, indictione prima; secunda vero indictione ceperunt praedare in Italia; tertia autem indictione factus est dominus Italiae. Et regnavit Alboin in Italia annos tres, et occisus est in Verona in palatio ab Helmechis et Rosemunda uxorem suam, per consilium Peredeo.

VIII. Voluit Helmechis regnare et non potuit, quia volebant eum Langobardi occidere. Tunc mandavit Rosemunda ad Longinum prefectum, ut eos reciperet Ravenna. Mox ut audivit Longinus, gavisus est, et misit navem angarialem, et tulerunt Rosemunda et Helmechis et Albsuinda filia Alboin regis, et omnis thesauros Langobardorum secum duxerunt in Ravenna. Tunc ortare cepit Longinus prefectus Rosemunda ut occideret Hilmichis, et esset uxor Longini. Audito consilio ipsius, temperavit venenum, et post balneo dedit ei in caldo bibere. Cumque vivisset Helmechis, mox intellexit quod malignum vivisset, precepit ut et ipsa Rosemunda biberet invita: quod cum vibisset ipsa, mortui sunt ambo. Tunc Longinus prefectus tulit thesaurum Langobardorum et Albsuinda filia Alboin regis; jussit eam ponere in navem, et transmisit eam Constantinopolim ad imperatorem.

VIIII. Reliqui Langobardi levaverunt sibi regem nomine CLEPH, de genere Beleos; et regnavit Cleph annos duos, et mortuus est. Et judicaverunt duces Langobardorum annos duodecim, regem non habentes. Post haec levaverunt sibi regem nomine AUTHARI, filio Clephoni. Et accepit Authari uxorem Theodelenda, filia Gairipald et Walderadae, de Bajoaria; et venit cum Theodelenda frater ipsius nomine Gundwald, et ordinavit eum Authari rex ducem in civitatem Astense; et regnavit Authari annos septem.

X. Et exivit AQUO dux Thuringus de Taurinis, et junxit se Theodelendae reginae, et factus est rex Langobardorum. Et occidit duces revelles suos, Zangrolf de Verona, Minulf de Insula Sancti Juli, et Gaidulf de Bergamum, seu et alios qui ei revelles fuerunt. Et genuit Aquo de Theodelenda filiam unam nomine Gumtiperga, et filium unum nomine ADELWALD. Et regnavit Aquo annos XX et V. Adelwald filius ejus regnavit post mortem patris sui annos duodecim. Et post ipsum regnavit ALROALD annos septem.

XI. Et post ipsum regnavit ROTHARI, de genere Arodus; et rupit civitates vel castra Romanorum quae fuerant circa litoralia, de prope Lune usque in terra Francorum, quam Ubitergium ad partem orientis. Et pugnavit circa fluvium Scultenna, et ceciderunt a parte Romanorum octo milia numerus.

[XII. Et regnavit Rothari annos decem et septem. Et post ipsum regnavit ARIPERT annos novem. Et post ipsum regnavit GRIMOALD. Eo tempore exivit Constantinus imperator de Constantinopolim, et venit in partes Campaniae, et regressus est in Sicilia, et ibidem occisus est a suis. Et regnavit Grimoald annos novem.

* *Pro* de suis regionibus—*Pugnavit Tato* *Chron. Gothanum* de Pannonia, et venerunt et habitaverunt in Rudilanda annos plurimos, et ad suam dogmam perduxerunt. Ante Peronem regnavit Godoin; post Peronem tenuit principatum Langobardorum Claffo; et post Claffonem regnavit Tatto. Eo tempore redierunt Langobardi in campis Filda, fecerunt ibi annos tres. Et post haec pugnavit Tatto

** *Pro* et capsidem. Post eum *Chron. Gothanum* et populum ipsius in fugam misit; ibi praedavit omnia bona eorum: postea Heroli

*** *Pro* Et pugnavit — ubi mortuus est. *Chron. Gothanum* et expugnavit Heldechis filium Tattonis, et fugit Heldechis ad Gibidos, et ibi mortuus est.

**** *Chron. Gothanum addit* Mater autem Audoin nomine Menia uxor fuit Pissae regis.

XIII. Post Grimuald regnavit Pertari annis xviii. Postea Cunipert filius ejus regnavit annis xiii. Liutpert, filius Cunipert, regnavit annis v. Aripert, filius Rachipert, regnavit annis xii. Asprand regnavit annos iii. Liutprand filius ejus regnavit annos xxiii. Utprand regnavit menses viii. Post ipsum vero Rachis, filius Pimoni, annis v. Post ipsum regnavit Aistulfus frater ejus annis viii, qui persecutus est a rege Francorum. Post ipsum regnavit Desiderius annos xvii et menses iii; et ductus est captivus in Franciam. Et postea regnavit Carolus annos xl.]

Ego in Dei nomine ROTHARI vir excellentissimus, et septimodecimo rex gentis Langobardorum, anno, Deo propitiante, regni mei octabo, aetatisque tricesimo octabo, indictione secunda, et post advento in provincia Italiae Langobardorum, ex quo, Alboin tunc temporis rege, praecedentem divina potentia, adducti sunt, anno septuagesimo sexto, feliciter. Dato Ticino, in Palatio.

Quanta pro subjectorum nostrorum commoda nostrae fuit sollicitudinis cura et est, subter adnexa tenor declarat; precipue tam propter adsiduas fatigationes pauperum, quam etiam superfluas exactiones, ab his qui majore virtute habentur, quos modo vim pati cognovimus. Ob hoc, considerantes Dei omnipotentis gratiam, necessarium esse prospeximus presentem corregere legem, quam priores homines renovent et emendent, et quod deest adiciant, et quod superfluum est abscindant. In unum previdimus volumine conplectendum, quatinus liceat unicuique, salva lege et justitiam, quiete vivere, et propter opinionem contra inimicos laborare, seque suosque defendere fines.

Tamen, quamquam haec ita se habeant, utilem prospeximus, propter futuri temporis memoriam, nomina regum antecessorum nostrorum, ex quo in gente nostra Langobardorum reges nominati ceperunt esse, in quantum per antiquos homines didicimus, in hoc membrano adnotari jussimus.

Fuit primus rex Agelmund, ex genere Gugingus.
Secundus Lamisso.
Tertius Leth.
Quartus Sildehoc, filius Leth.
Quintus Godehoc, filius Sildehoc.
Sextus Claffo, filius Godehoc.
Septimus Tato, filius Claffoni. Tato et Unichis filii Claffonis.
Octabus Wacho, filius Unichis, nepus Tatoni.
Nonus Walthari.
Decimus Audoin, ex genere Gausus.
Undecimus Alboin, filius Audoin, qui exercitum, ut supra, in Italia adduxit.
Duodecimus Cleph, ex genere Beleos.
Tertiodecimus Authari, filius Cleph.
Quartodecimus Agilulf, Turingus, ex genere Anawas.
Quintodecimus Adlowald, filius Agilulf.
Sextodecimus Ariowald, ex genere Caupus.
Septimodecimus Ego in Dei nomine qui supra ROTHARI rex, filius Nanding, ex genere Arodus. Nanding filius Noczoni; Noczo filius Alamund; Alamund filius Alaman; Alaman filius Hilzoni; Hilzo filius Wehiloni; Wehilo filius Weoni; Weo filius Frochoni; Frocho filius Fachoni; Facho filius Mammoni; Mammo filius Obthora.

Et hoc generaliter damus in mandatis, ne aliqua fraus per vicium scriptorum in hoc Edictum adibeatur, si aliqua fuerit intentio nulla alia exemplaria credatur aut suscipiatur, nisi quod per manus Ansoald notario nostro scriptum aut recognitum seu requisitum fuerit, qui per nostram jussionem scripsit.

I. Si quis hominum contra animam regis cogitaverit.

II. Si quis cum rege de morte alterius consiliaverit.

III. Si quis foris provincia fugire temptaverit.

IIII. Si quis inimicus intra provincia invitaverit.

V. Si quis scamaras intra provincia celaverit.

VI. Si quis in exercito seditionem levaverit.

VII. Si quis contra inimicos pugnando collegam suum dimiserit.

VIII. Si quis in concilium aut quolibet convento scandalum commiserit.

VIIII. Si quis qualecumque hominem ad regem accusaverit.

X. Si homo liber in alterius morte consiliaverit.

XI. De consilio mortis.

XII. Si plures homines homicidium fecerint.

XIII. Si quis dominum suum occiderit, ipsum occidatur.

XIIII. De morte.

XV. Si quis sepultura hominis mortui ruperit.

XVI. Si quis hominem mortuum in flumen aut foris invenerit.

XVII. Si quis ex varonibus nostris ad nos venire voluerit.

XVIII. Si quis manus armata super quemcumque ad regem venientem injecerit.

XVIIII. Si quis per injuria sua vindicandam super quemcumque currerit.

XX. Si quis ducem suum contempserit ad justitiam.

XXI. Si quis in exercito ambulare contempserit.

XXII. Si quis ducem suum contempserit ad justa causa persequendam.

XXIII. Si dux exercitalem suum molestaverit.

XXIIII. Si gastaldeus exercitalem suum molestaverit.

XXV. Si quis res suas ab alio in exercito requisierit.

XXVI. De wecworin, id est orbitariam.

XXVII. Si quis homini libero viam antesteterit.

XXVIII. Si quis servo alieno vel ancille seu aldio aut liberto viam antesteterit.

XXVIIII. Si quis messem aut pratum seu qualibet clusura vindicandum viam antesteterit.

XXX. Si quis hominem liberum de cavallo in terra jactaverit.

XXXI. De walapautzo.

XXXII. Si homo liber nocte in curte alterius inventus fuerit.

XXXIII. Si servus in curte aliena nocte inventus fuerit.

XXXIIII. Si quis in curte aliena irato animo sagittaverit.

XXXV. Si quis in ecclesia scandalum penetraverit.

XXXVI. Si quis intra palatium ubi rex praesens est scandalum penetraverit.

XXXVII. Si liber homo in eadem civitate ubi rex preest scandalum penetraverit.

XXXVIII. Si servus in eadem civitatem ubi rex preest scandalum commiserit.

XXXVIIII. Si liber homo in alia civitate scandalum commiserit.

XL. Si servus in alia civitate scandalum commiserit.

XLI. De homine libero battuto.

XLII. De homine libero legato.

XLIII. De ferita aut percussura hominis liberi.

XLIV. Si quis alium pugno percusserit.


XLV. De plagas, et conpositiones plagarum.

XLVI. De plaga in caput cutica rupta.
XLVII. De plaga in caput ut ossa rumpantur.
XLVIII. De oculo evulso.
XLVIIII. De naso absciso.
L. De labro absciso.
LI. De dentes priores.
LII. De dentes maxillares.
LIII. De aure abscisa.
LIIII. De plaga in faciem.
LV. De plaga in naso.
LVI. De plaga in aurem.
LVII. De brachio transforatum.
LVIII. Si quis alium in brachio puncxerit.
LVIIII. Si quis alium intra capso plagaverit.
LX. De plaga in coxa.
LXI. De numero plagarum.
LXII. De incisione manus.
LXIII. De digita manus.
LXIIII. De secundum digitum.
LXV. De tertium digitum.
LXVI. De quartum digitum.
LXVII. De quintum digitum.
LXVIII. De incisione pedum.
LXVIIII. De policem pedis.
LXX. De secundum digitum.
LXXI. De tertium digitum.
LXXII. De quartum digitum.
LXXIII. De quintum digitum.
LXXIIII. De omni plaga aut ferita.
LXXV. Si infans in utero matris occisus fuerit.
LXXVI. De aldiis et servus ministerialis.
LXXVII. De aldio et servo ministeriale percusso.
LXXVIII. De aldio et servo ministeriale percusso ut ossa non rumpantur.
LXXVIIII. De aldio alieno et servo ministeriale percusso ut ossa rumpantur.
LXXX. De plaga in faciem.
LXXXI. De oculo evulso.
LXXXII. De naso absciso.
LXXXIII. De aure abscisa.
LXXXIIII. De labro absciso.
LXXXV. De dentes excussos.
LXXXVI. De dentes maxillares.
LXXXVII. De brachio rupto.
LXXXVIII. De manu abscisa.
LXXXVIIII. De digita manus.
XC. De secundum digitum.
XCI. De tertium digitum.
XCII. De quartum digitum.
XCIII. De quintum digitum.
XCIIII. De coxa rupta.
XCV. De pede absciso.
XCVI. De digita pedum.
XCVII. De secundo digito.
XCVIII. De tertio digito.
XCVIIII. De quarto digito.
C. De quinto digito.
CI. De plaga intra capso.
CII. De brachio aut coxa transforata.
CIII. De servos rusticanos.
CIIII. De plaga in faciem.
CV. De oculo evulso.
CVI. De naso absciso.
CVII. De aure abscisa.
CVIII. De labro absciso.
CVIIII. De dentes.
CX. De brachio aut coxa transforata.
CXI. De plaga quae intra capso fiet.
CXII. De brachium, coxa, aut tivia rupta.
CXIII. De manu abscisa.
CXIIII. De digita manus.
CXV. De secundo digito.
CXVI. De tertio digito.
CXVII. De quarto digito.
CXVIII. De quinto digito.
CXVIIII. De pede servo rusticano absciso.
CXX. De digita pedum.
CXXI. De secundo digito.
CXXII. De tertio digito.
CXXIII. De quarto digito.
CXXIIII. De quinto digito.
CXXV. De servo rusticano battudo.
CXXVI. Si membrum sideratum fuerit.
CXXVII. Omnes vero plagas aut feritas.
CXXVIII. De eo qui plagas fecerit.
CXXVIIII. De aldio occiso.
CXXX. De servo ministeriale occiso.
CXXXI. De alio ministeriale qui secundus est.
CXXXII. De servo massario occiso.
CXXXIII. De bovulco occiso.
CXXXIIII. De servo rusticano, qui sub massario est, occiso.
CXXXV. De pastores porcarios occisus.
CXXXVI. De pegorario, caprario, seu armentario occiso.
CXXXVII. Si infans parbus de massario occisus fuerit.
CXXXVIII. De arbore communiter inciso hominem quem occiserit.
CXXXVIIII. De veneno temperato.
CXL. Si liber aut libera venenum alii dederit.
CXLI. Si quis alii venenum mortiferum dederit.
CXLII. Si servus aut ancillam venenum alii dederit.
CXLIII. De eo qui post accepta conpositione se revindicaverit.
CXLIIII. De magistros comacinos.
CXLV. De rogatos aut conductos magistros.

CXLVI. De incendio.
CXLVII. De foco foris nove pedes a focolare portatum.
CXLVIII. Si quis fogum in itinere fecerit.
CXLVIIII. De molino inciso.
CL. De molino capelato.
CLI. Si quis molino in terra aliena edificaverit.
CLII. Si operarius rogatus ab alio in opera mortuus fuerit.
CLIII. De grados cognationum.
CLIIII. De filius legitimus et naturalis.
CLV. Nulli sit licentiam naturales filios equales instituere cum legitimo.
CLVI. De filio naturale, qui de ancilla alterius natus fuerit.
CLVII. De eo qui de filio naturale nascitur.
CLVIII. De filia legitima et filio naturales.
CLVIIII. Qualiter dividant filias legitimas et filii naturales.
CLX. De filias et sorores legitimas.
CLXI. De mundio inter legitimos et naturales.
CLXII. Si unus ex naturalibus occiditur.
CLXIII. Si quis in morte parenti sui insidiatus fuerit.
CLXIIII. Si quis ex parentibus dixerit de nepote aut consobrino suo, quod de adulterio natus sit.
CLXV. Si quis dixerit de uxore aliena, quod mundium ad eum pertineat.
CLXVI. De suspectionem in maritus, quod uxorem suam occidisset.
CLXVII. De fratres qui in casa commune remansit.
CLXVIII. De exheredatione filiorum.
CLXVIIII. De justas culpas.
CLXX. Ut vivo patre non liceat res suas filius cuicumque thingare.
CLXXI. Si quis se desperaverit de filiis.
CLXXII. De thinx, quod est donatio.
CLXXIII. Si quis res suas alii thingaverit.
CLXXIIII. Nulli sit licentia thinx quod antea fecit in alios transmigrare.
CLXXV. De launegild.
CLXXVI. De lebroso.
CLXXVII. De transmigratione libero homini.
CLXXVIII. De sponsalibus et nuptiis.
CLXXVIIII. Si dixerit sponsus de sponsa sua quod adulterassit.
CLXXX. Si postquam puella sponsata habet lebrosa apparuerit.
CLXXXI. De nuptiis.
CLXXXII. De nuptiis et mundio.
CLXXXIII. De traditione puelle aut mulieris.
CLXXXIIII. De exenio nuptiali.
CLXXXV. De incestas et inlecitas nuptias.
CLXXXVI. Si vir mulieri violentias fecerit.
CLXXXVII. De violentia mulieris libere.
CLXXXVIII. Si puella libera aut vedua sine voluntate parentum ad marito ambolaverit.
CLXXXVIIII. De fornigationis causam.
CXC. De sponsata alterius.
CXCI. De rapto sponsata alterius.
CXCII. Si pater aut frater aut aliquis ex parentibus puellam alii sponsaverit.
CXCIII. Si puella libera servum alienum foris provincia secuta fuerit.
CXCIIII. Si quis cum ancilla fornigatus fuerit.
CXCV. De crimen in puella injecto.
CXCVI. De crimen adulterii.
CXCVII. De crimen nefando.
CXCVIII. De crimen in puella qui in alterius mundio est.
CXCVIIII. Si vedua in domo patris regressa fuerit.
CC. De occisione mulieris.
CCI. De muliere libera occisa.
CCII. Si mulier in morte mariti sui consiliaverit.
CCIII. Si mulier maritum suum occiserit.
CCIIII. Nulli mulieri liceat in sua potestate esse.
CCV. De aldia violentiata.
CCVI. De liberta violentiata.
CCVII. De ancella violentiata.
CCVIII. De rapto.
CCVIIII. De ancilla rapta.
CCX. De rapto qui in curte regis duxerit.
CCXI. Si quis oxorem alterius tolerit.
CCXII. Si quis cum oxorem suam alium fornigantem invenerit.
CCXIII. De crimen adulterii.
CCXIIII. Si quis liberam puellam absque consilium parentum duxerit.
CCXV. De sponsata mortua.
CCXVI. Si aldius oxorem liberam tolerit.
CCXVII. Si aldia servo tulerit ad maritum.
CCXVIII. Si aldius aldia uxorem tulerit.
CCXVIIII. Si aldius ancilla sua aut alterius uxorem tulerit.
CCXX. Si ancilla in casa alterius ad maritum intraverit.
CCXXI. Si servus liberam mulierem tulerit.
CCXXII. De ancilla matrimonii gratiata.
CCXXIII. De eo qui sine herede moritur.
CCXXIIII. De manumissionibus.
CCXXV. De filius liberti.
CCXXVI. De eis qui a dominis suis libertatem meruerint.

CCXXVII. De emptionibus et vinditionibus.
CCXXVIII. De possessione.
CCXXVIIII. Qui rem alienam asto vindiderit.
CCXXX. De mancipio lebrosus.
CCXXXI. De ancilla conparata.
CCXXXII. De cavallo conparato.
CCXXXIII. Si quis de servo conparaverit.
CCXXXIIII. De servo massario.
CCXXXV. De aldius.
CCXXXVI. De terminos effossos.
CCXXXVII. De servus qui terminum effosserit.
CCXXXVIII. De arbore signato.
CCXXXVIIII. Si servus arborem signatum inciderit.
CCXL. De snaida in silva alterius facta.
CCXLI. De servo qui snaida fecerit.
CCXLII. Si quis sine jussionem regis aurum figuraverit.
CCXLIII. De cartola falsa.
CCXLIIII. Si quis per murum de castro aut civitatem discenderit.
CCXLV. De pignerationibus et debitum.
CCXLVI. Si quis ante contestationem pigneraverit.
CCXLVII. Nulli liciat alium pro alio pignerare.
CCXLVIII. Si quis per errore alio pro alio pigneraverit.
CCXLVIIII. De gregis aequarum seu porcorum.
CCL. Si cavallus domitus aut bovis seu baccam pigneraverit.
CCLI. Si homo liber qui devitor est.
CCLII. Nulli leciat pro qualevit devitum casa pignerare.
CCLIII. De furtis.
CCLIIII. Si servus furtum fecerit.
CCLV. De proditorem.
CCLVI. Si servus in fuga furtum fecerit.
CCLVII. Si mulier libera furtum fecerit.
CCLVIII. Si aldiam aut ancillam in furtum inventa fuerit.
CCLVIIII. Si liber homo servum suum furtum facere jusserit.
CCLX. De inventionem aliqua.
CCLXI. Si servus aliena ancilla oxorem habens furaverit.
CCLXII. Si servus dum in fuga est cuilevet aliquid comendaverit.
CCLXIII. Si plures homines furtum fecerent.
CCLXIIII. Si liber aut servus foris provincia fugire voluerit.
CCLXV. De portonario.
CCLXVI. Si portunarius furonem sciens transposuerit.
CCLXVII. Si portunarius mancipium fugacem transposuerit.
CCLXVIII. Si portonarius hominem liberum fugacem transposuerit.
CCLXVIIII. Si mancipium alicujus post alterum fugierit.
CCLXX. De illum, post quem mancipium fugierit.
CCLXXI. De curtem regis.
CCLXXII. De ecclesia.
CCLXXIII. Si servus intra provincia vagaverit.
CCLXXIIII. Si quis mancipium fogacem habuerit.
CCLXXV. De fugam mancipii.
CCLXXVI. Si quis mancipium sciens fugacem exceperit.
CCLXXVII. De forore.
CCLXXVIII. De curte rupta.
CCLXXVIIII. De concilio rusticanorum.
CCLXXX. De rusticanorum siditionem.
CCLXXXI. De furta et pena finita.
CCLXXXII. Si quis de casa ligna furaverit.
CCLXXXIII. De lignamen adonatum.
CCLXXXIIII. De orto.
CCLXXXV. De sepe.
CCLXXXVI. De axegias.
CCLXXXVII. De sepe stantaria.
CCLXXXVIII. De plovo.
CCLXXXVIIII. De tintinno.
CCXC. De jugo.
CCXCI. De sogas.
CCXCII. De vite uvarum.
CCXCIII. De palo carracio.
CCXCIIII. De vite incisa.
CCXCV. De travicem vitis.
CCXCVI. De uvas.
CCXCVII. De ambulatorias.
CCXCVIII. De cabistro.
CCXCVIIII. De rete.
CCC. De arbores.
CCCI. De poma incisa.
CCCII. De ulivo.
CCCIII. Si homo aut quolivit peculium in sepe alterius se inpegerit.
CCCIIII. Si cavallus aut quolivit peculium in clausura aliena se inpalaverit.
CCCV. De fossato circa campo facto.
CCCVI. De poteo.
CCCVII. De arma.
CCCVIII. Si quis sua auctoritate arma alterius tullerit.
CCCVIIII. De feras.
CCCX. De pedica.
CCCXI. De fera plagata.
CCCXII. De fera inventa.
CCCXIII. De fera celata.
CCCXIIII. De fera sagittata.
CCCXV. De cervo domestico.
CCCXVI. Si quis cervum alienum intrigaverit.
CCCXVII. De aves domestigas.
CCCXVIII. De apes.

CCCXVIIII. Si quis de arbore signato apes tolerit.
CCCXX. De aceptores.
CCCXXI. Si quis de arbore signato aceptores tulerit.
CCCXXII. De canis incidatus.
CCCXXIII. De homine ravioso.
CCCXXIIII. De animalibus raviosis.
CCCXXV. De quatrupedia.
CCCXXVI. De animalibus qui hominum intrigaverit.
CCCXXVII. De cavallo conducto.
CCCXXVIII. Si animal alium occiserit.
CCCXXVIIII. De cane furato.
CCCXXX. Si quis canem alienum occiserit.
CCCXXXI. De cane damnum facientem.
CCCXXXII. De vacca prignante.
CCCXXXIII. De equa prignante.
CCCXXXIIII. De ancilla prignante.
CCCXXXV. De animal excoriatum.
CCCXXXVI. De animal mortuum in flumine.
CCCXXXVII. De cavallo plagato.
CCCXXXVIII. De coda cavalli.
CCCXXXVIIII. Qui cavallum alienum plagaverit.
CCCXL. Qui cavallum alienum ascenderit.
CCCXLI. De disfigurato cavallo.
CCCXLII. Si quis animale alieno pro suo preserit.
CCCXLIII. De piculium in damnum inventum.
CCCXLIIII. De piculio asto in damno misso.
CCCXLV. Si quis porcus aut pecura asto in damnum miserit.
CCCXLVI. Si quis piculium de damnum ad clausura minaverit.
CCCXLVII. Si hominem quelibet animal secutus fuerit.
CCCXLVIII. Si quis alium hominem rogaverit.
CCCXLVIIII. De porcus, si in isca alterius paverit.
CCCL. De porcus, si in prato fossas facientem.
CCCLI. De verre.
CCCLII. De porcario battuto.
CCCLIII. Si duo porcarii inter se rexaverent.
CCCLIIII. De campo alienum arattum.
CCCLV. De campo exarato.
CCCLVI. De prato segato aut exarato.
CCCLVII. Si quis campum alterius cum peculium delierit.
CCCLVIII. Non devit eterantibus erba negare.
CCCLVIIII. De sagramentis.
CCCLX. De wadia et fidejussorem.
CCCLXI. Si wadia de sagramento.
CCCLXII. Si post sagramentum judicatum aliquis moritur.
CCCLXIII. De sacramentum ruptum.
CCCLXIIII. De eo qui sacramentum repromittit.
CCCLXV. De devitum patris mortui.
CCCLXVI. Si aliqua inter homenis surrexerit intentio.
CCCLXVII. De waregang.
CCCLXVIII. De camphionibus.
CCCLXVIIII. De causas regales.
CCCLXX. Si servus regi morh fecerit.
CCCLXXI. De causas hominum.
CCCLXXII. Si servum regi furtum fecerit.
CCCLXXIII. De servo regi.
CCCLXXIIII. De sculdahis.
CCCLXXV. De gastaldius et actoris regi.
CCCLXXVI. De aldia aut ancilla.
CCCLXXVII. Si quis hominem liberum unum oculum habentem excusserit.
CCCLXXVIII. Si mulier liberam in scandalum cocurrerit.
CCCLXXVIIII. De cassina.
CCCLXXX. De piculio.
CCCLXXXI. Si quis dixerit arga alterius.
CCCLXXXII. Si quis impincxerit hominem liberum.
CCCLXXXIII. Si quis hominem liberum per barbas traxerit.
CCCLXXXIIII. De brachio, coxa, vel tibia.
CCCLXXXV. De mundio puelle.
CCCLXXXVI. Presentis vero dispositionis nostre.
CCCLXXXVII. Si quis hominem liberum occiserit.
CCCLXXXVIII. Et hoc addimus ac definimus.


ROCTHA
RIREX.

Cap. I.

Si quis hominum contra animam regis cogitaverit aut consiliaverit, anime suae incurrat periculum, et res ejus infiscentur.

II.

Si quis cum rege de morte alterius consiliaverit, aut hominem per ipsius jussionem occiserit, in nullo sit culpavelis, nec ille nec heredis ejus quoquo tempore ab illo aut heredis ipsius requisitionem aut molestias patiatur; quia, postquam corda regum in manum Dei esse credimus, non est possevilem ut homo possit aduniare quem rex occidere jusserit.

III.

Si quis foris provincia fugire temptaverit, morti incurrat periculum, et res ejus infiscentur.

IIII.

Si quis inimicus intra provincia invitaverit aut introduxerit, anime suae incurrat periculum, et res ejus infiscentur.

V.

Si quis scamaras intra provincia celaverit aut anonam dederit, anime suae incurrat periculum, aut conponat regi solidus nonientos.

VI.

Si quis foris in exercitum seditionem levaverit contra ducem suum aut contra eum qui ordinatus fuerit a rege ad exercitum gobernandi, aut aliquam partem exercitum seduxerit, sanguinis sui incurrat periculum.

VII.

Si quis contra inimicus pugnandum collegam suum dimiserit, aut anstalin fecerit, id est si eum diceperit et cum eum non laboraverit, anime suae incurrat periculum.

VIII.

Si quis in concilium vel in quolebit conventum scandalum comiserit, nonientos solidus sit culpavelis regi.

VIIII.

Si quis qualemcumque hominem ad regem incusaverit quod anime perteneat periculum, leciat ei qui accusatus fuerit cum sacramentalibus satisfacere et se aduniare. Et si tales causam emerserit ut adest homo in presentia qui crimen mittat, liceat ei per camphionem, id est per pugnam, crimen ipsum de super se, si potuerit, eicere; et si ei provatum fuerit, aut det animam, aut qualiter regi placuerit conponat. Et si provare non potuerit, et cognoscitur dolosae accusassit, tunc ipse qui accusavit et probare non poterit widrigild suo conponat, medietatem regi, et medietatem cui crimen injectum fuerit.

X.

Si quis homo liber in alterius morte consiliaverit, et ex ipso consilio mortuos non fuerit, tunc ipse consiliator conponat soledus vigenti.

XI. *De consilio mortis.*

Si homenis liberi inter se in morte alterius consiliaverit sine regis consilium, et ex ipso tractatus mortuos non fuerit, conponat unusquisque soledos vigenti; et si ex ipso consilium mortuos fuerit, tunc ille qui homicida est conponat ipsum mortuum sicut adpraeciatus fuerit, idest widrigild.

XII.

Si duo aut tres homenis sive amplius liberi humicidium penetraverint, et voluerent se adunare ut

in unum conponant sicut adpreciatum fuerit, sit eis adunandi licentia. Et si aliquis se de ipsis subtraxerit, et non potuerit se purificare sicut lex habit, quod nec plaga nec ferita in ipsum hominem qui occisus est non fecissit, tunc sit culpavelis sicut et alii qui conposuit; et si se purificaverit, sit absolutus a pena humicidii. Si tamen in consilio fuerit, conponat, ut supra, soledos xx, aut certe de ipsum consilium se purificet si potuerit.

XIII.

Si quis dominum suum occiserit, ipsum occidatur. Si quis ipsum humicida defensare voluerit qui dominum suum occiderit, sit culpavelis soledus noningintos, medietatem regi, medietatem parentibus mortui; et qui illius mortui injuriam vindicandam denegaverit solacia, si quidem rogatus fuerit, unusquisque conponat solidos quinquagentia, medietatem regi, et medietatem cui solacia denegaverit.

XIIII. *De morh.*

Si quis humicidium in absconso penetraverit in homine libero, servo, vel ancilla, et unus fuerit aut duo tantum qui ipsum humicidium fecerit, noningentos solidos conponat. Si vero plures fuerint, si ingenuus, qualiter in angargathungi ipsum humicidium conponat; si servus aut libertus, conponat ipsum ut adpretiatus fuerit. Et si expolia de ipsum mortuum tolerit, id est plodraub, conponat octugenta solidus.

XV. *De crapworfin.*

Si quis sepulturam homenis mortui ruperit, et corpus expoliaverit aut foris jactaverit, dcccc soledus sit culpavelis parentibus sepulti; et si parentis non fuerit proximi, tunc gastaldius regis aut sculdahis requiret culpam ipsam, et a curte regis exegat.

XVI. *De rahairaubus.*

Si quis hominem mortuum in flumine aut foris invenerit, et expoliaverit aut foris jactaberit aut celaberit, conponat parentibus mortui solidos lxxx. Et si eum invenerit et expoliaverit, et mox vicinibus patefecerit, et cognuscitur quod pro mercedis causam, nam non furandi animo, reddat spolia quas super eum invenit, et amplius ei calomnia non generetur.

XVII.

Si quis ex baronibus nostris ad nos voluerit venire, securus veniat, et inlesus ad suos revertatur; nullus de adversarius illi aliquam in itenere injuria aut molestiam facere presumat. Tantum est ut ille qui ad regem festinet venire oneste veniat, et nulla lesione aut damnum cuicumque in ipsum itenere ad regem veniendum aut rediendum faciat; nam si fecerit, sicut subter adnexum est conponat.

XVIII.

Si quis ex adversariis manum armatam super quemcumque ad regem venientem injecerit, suam injuriam aut qualemcumque culpam vindicandam, dcccc solidos sit culpavelis, medietatem regi, et medietatem cui injuriam inlata fuerit.

XVIIII.

Si quis pro injuriam suam vindicandam super quemcumque manu armata aut exercitum usque ad quattuor homenis in vico intraverent, ille prior pro inlecita presumptione moriatur, aut certe conponat solidos dcccc, medietatem regi, et medietatem cui injuriam inlatam fuerit; et illi qui cum ipsum fuerunt, si liberi sunt, unusquisque octugenta solidos conponat, medietatem regi, et medietatem cui injuriam passum: excepto si in ipsum vicum casas incenderint aut hominem occiserint, secundum qualiter adpreciatum fuerit ita conponatur illi, cujus casas incesas fuerit aut parentes aut servus occisus fuerit.

XX.

Si quis de exercitalibus ducem suum contempserit ad justitiam, vigenti solidos regi et doci suo conponat.

XXI.

Si quis in exercitum ambolare contempserit aut in sculca, dit regi et doci suo solidos xx.

XXII.

Si quis de ipsum exercitum docem suum ad justam causam persequendam denegaverit solacia, unusquisque conponat regi et doci suo solidos viginti.

XXIII.

Si dox exercitalem suum molestaverit injuste, gastaldius eum solaciet, quousque ad praesentiam regi aut certe aput docem suum ad justitiam perducat.

XXIIII.

Si gastaldius exercitalem suum molestaverit contra rationem, dux eum solaciet, quousque veritatem suam invenerit.

XXV.

Si quis res suas ab aliom in exercitum requisierit,

et noluerit ille reddere, tunc ambolit ad docem; et si dox aut judex qui in loco ordinatus est a rege veritatem aut justitiam non servaverit, conponat regi, quam et cujus causa est, solidos vegenti, causa manentem.

XXVI. *De wecworin, id est urbitariam.*

Si quis mulier libere aut puellae in viam se anteposuerit, aut aliquam injuriam intolerit, noningentos solidos conponat, medietatem regi, et medietatem cui ipsa injuria inlata fuerit, aut ad quem mundius de eam pertenuerit.

XXVII.

Si quis homini libero viam antesteterit, viginti solidos ei conponat, sic tamen ut aliquam lesionem in carnem ipsius non faciat; nam si fecerit, et vigenti solidos pro eo quod antestetit conponat, et feritas aut plagas si fecerit sicut subter in hoc Edictu adnexum est conponat.

XXVIII.

Si quis servum alienum aut ancillam seu aldium aut libertum viam antesteterit, vigenti solidos dominum ejus conponat.

XXVIIII.

Si quis messem suam aut pratum seu qualevit clausura vindicanda homini prohibuerit, id est antesteterit ut non ingrediatur, non sit culpavelis sicut ille qui hominem sempliciter viam ambolantem antesteterit, eo quod laborem suum vindicavit.

XXX. *De marahworfin.*

Si quis hominem liberum de cavallo in terra jactaverit per quodlevit ingenium iniquo animo, octuagenta solidus ei conponat; et si aliquam lesionem ei fecerit, sicut in hoc Edictum adnexum est ei conponat.

XXXI. *De walapautzo.*

Si quis homini libero violentia injuste fecerit, id est walapautzo, octugenta solidos ei conponat. Walapautz est, qui se furtim vestimentum alium induerit, aut se caput latrocinandi animo aut faciem transfiguraverit.

XXXII. *De curte.*

De homine libero, si nocte in curte alterius inventus fuerit et non dans manus legandi, et occiditur, a parentibus non requiratur. Et si manus dederit ad legandum, et legatus fuerit, dit pro se octugenta solidos: quia non convenit rationi, ut homo noctis tempore in curtem alienam silentio aut absconse ingreditur; sed si quacumque utilitatem habet, priusquam intret clamet.

XXXIII.

Si servus in curtem aliena noctis tempore inventus fuerit, et non dans manus ad ligandum, si occiditur, non requiratur a domino; et si manus dederit et legatus fuerit, libere se cum quadragenta solidos.

XXXIIII.

Si quis in curtem alterius irato animo sagittaverit aut lancia jactaverit, aut de foris sepem alium plagaverit intra curtem, conponat solidos vigenti; excepto cum plagas aut feritas fecerit, sicut in hoc Edictum legitur persolvat.

XXXV. *De scandalum.*

Si quis scandalum in ecclesia penetraverit, quadragenta solidos ipsius veneravelis loci sit culpavelis, excepto plagas aut feritas cui fecerit. Et predicti quadragenta solidi per sculdahis aut judicem qui in locu ordinatus fuerit exegantur, et in sacrum altarium ubi injuria facta est conponatur.

XXXVI.

Si quis intra palatium ubi rege preest scandalum penetrare presumpserit, anime suae incurrat periculum, aut redemat anima sua, si obtenere potuerit a rege.

XXXVII.

Si quis liber homo in eadem civitatem ubi rex preest, aut tunc invenitur esse, scandalum penetrare presumpserit, id est si incitaverit et non percusserit, sit culpavelis solidos duodicem in palatio regis; nam si perfecerit et percusserit, sit culpavelis in palatio regis solidos vigenti et quattuor: excepto plagas aut feritas si fecerit, sicut in hoc Edictum adnexum est conponat.

XXXVIII.

Si servus in eadem civitatem in qua rex tunc invenitur esse scandalum incitaverit, sit culpabilis in palatio regis solidos sex; et si percusserit, sit culpavelis solidos duodicem; excepto feritas aut conpositionis plagarum, sicut in hoc Edictum legitur conponat.

XXXVIIII.

Si liber homo in aliam civitatem scandalum incitare presumpserit, et non percusserit, sit culpa-

velis in palatio regis solidos sex; si autem percusserit aut plagaverit, sit culpavelis in palatio regis solidos duodecim: excepto conpositionis plagarum aut feritas si fecerit, sicut in hoc Edictum legitur conponat.

XL.

Si servus in aliam civitatem scandalom comiserit, solidos tres sit culpavelis in palatio regis; si autem feritas aut plagas fecerit, sit culpavelis in palatio regis solidos sex, excepto plagas aut feritas cui fecerit conponat.

XLI. *De homine libero battuto.*

Si quis hominem liberum insidiatus fuerit cum virtutem aut solatium, vedens eum inparatum sempliciter ambolantem aut stantem subito super eum adveniens, et turpiter eum tenuerit et battederit sine jussione regis, medietatem pretii ipsius ac si eum occisissit ei conponat, eo quod in turpe et in derisiculum ipsius eum male tractavit.

XLII.
De homine libero legato.

Si quis hominem liberum legaverit absque jussionem regis sine causa, duas partis pretii ipsius tamquam si eum occisissit ei conponat.

XLIII. *De ferita aut percussura homenis liberi.*

Si quis hominem liberum subito surgente rexa percusserit, et liborem aut vulnus fecerit, pro una ferita conponat ei solidos tres; si duas fecerit, solidos sex; si tres fecerit, solidos novem; si quattuor fecerit, solidos duodecim: si vero amplius duraverit, feritas non numerentur, sed sit sibi contentus.

XLIIII.

Si quis alium pugno percusserit, solidos tres ei conponat; si alapas, sex.

XLV.

De feritas et conpositionis plagarum quae inter homenis liberus evenerint per hoc tinorem sicut subter adnexum est conponatur, cessante faida, id est inimisitia.

XLVI. *De plaga in caput.*

Si quis alii plagam in caput fecerit ut cutica tantum rumpatur quod capilli coperiunt, conponat solidos sex; si duas plagas fecerit, conponat solidos duodicem; si usque tres fecerit, conponat solidos decem et octo: si vero amplius fecerit, non nomirentur, nisi in istas tres conponantur.

XLVII.

Si quis alium plagaverit in caput ut ossa rumpantur, pro uno osso conponat solidos duodicem; si duo fuerent, conponat solidos viginti quattuor; si tres fuerent, conponat solidos triginta sex; si super fuerent, non nomirentur: sic ita ut unus ossus talis inveniatur, qui a pedis duodicem super viam sonum in scutum facere possit, et ipsa minsura de certo pede hominis mediocris mensuretur, nam non ad mano.

XLVIII. *De oculo evulso.*

Si quis alii oculum excusserit, pro mortuum adprecietur qualiter in angargathungi, id est secundum qualitatem persone, et medietas praetii ipsius conponatur ab ipsum qui oculum excusserit.

XLVIIII. *De naso absciso.*

Si quis alii nasum absciderit, medietatem pretii ipsius ei conponatur ut supra.

L. *De labro absciso.*

Si quis alii labrum absciderit, conponat solidos sexdicem; et si dentis apparuerit unum, duo, aut tres, conponat solidos viginti.

LI. *De dentes priores.*

Si quis alii dentem excusserit qui in risum apparit, pro unum dentem dit soledus sidicem; si duo aut plures fuerent in risu apparentis, per hoc nomiro conponantur et pretietur.

LII. *De dentes maxillares.*

Si quis alii dentem maxillarem unum aut plures excusserit, per unum dentem conponat solidos octo.

LIII. *De aurem abscisam.*

Si quis alii aurem absciderit, quartam partem pretii ipsius ei conponat.

LIIII.

Si quis alii plagam in faciem fecerit, conponat ei solidos sedicem.

LV. *De plaga in naso.*

Si quis alii plagam in nasum fecerit, conponat ei solidos sedicem, si resolutaverit, ut tantum cechatrices appareat.

LVI. *De plaga in aurem.*

Si quis alii plagam in aurem fecerit, conponat ei solidos xvi, si resolutaverit.

LVII. *De brachio transforato.*

Si quis alium in brachio punxerit et transforaverit, conponat solidos xvi.

LVIII.

Si quis alii brachium puncxerit et non transforaverit, conponat solidos octo.

LVIIII. *De plaga in casso.*

Si quis alium intra capsum plagaverit, conponat solidos xx.

LX. *De plaga in coxa.*

Si quis alium in coxa plagaverit aut punxerit, si transforatum fuerit, conponat solidos xvi; si autem transforata non fuerit, conponat solidos octo.

LXI. *De nomiro plagarum.*

Si plures plagas fuerent, usque tres tantumodo nomirentur, et per unamquamque plagam conponantur ut supra; nam amplius si fuerent, non conponantur.

LXII. *De incisione manus.*

Si quis alii manum absciderit, medietatem pretii ipsius sicut adpretiatus fuerit si eum occisissit ei conponat; et si sic sideraverit et non perexcusserit a corpore, quartam partem praetii ipsius ei conponat.

LXIII. *De digita manus.*

Si quis alii policem de manu excusserit, sextam partem pretii ipsius quod homo ipse adpraetiatus fuerit si eum occisissit ei conponat.

LXIIII. *De secundo digito.*

Si quis alii secundum digitum de mano excusserit, conponat solidos sedicem.

LXV. *De tertio digito.*

Si quis alii tertium digitum de mano excusserit, quod est medianum, conponat solidos quinque.

LXVI. *De quartum digitum.*

Si quis alii quartum digitum de manu excusserit, conponat solidos octo.

LXVII. *De quinto digitum.*

Si quintum digitum de manu excusserit, conponat solidos sedicem.

LXVIII. *De incisione pedum.*

Si quis alii pedem excusserit, medietatem pretii ipsius ei conponat; et si sideratus fuerit et non perexcusserit, quartam partem pretii ipsius ei conponat.

LXVIIII. *De policem pedis.*

Si quis alii policem de pede excusserit, conponat solidos sedicem.

LXX. *De secundo digito.*

Si quis alii secundum digitum de pede excusserit, conponat solidos vi.

LXXI.

Si tertium digitum de pede excusserit, conponat solidos tres.

LXXII.

Si quartum digitum de pede excusserit, conponat solidos tres.

LXXIII.

Si quintum digitum de pede excusserit, conponat solidos duo.

LXXIIII.

In omnes istas plagas aut feritas superius scriptas, que inter homenis liberos evenerit, ideo majorem conpositionem posuimus quam antiqui nostri, ut faida, quod est inimisitia, post acceptam suprascriptam conpositionem postponatur et amplius non requiratur, nec dolus teneatur, set sit sibi causa finita, manente amicitia. Et si contegerit de ipsas plagas intra anni spatio qui plagatus est mori, tunc ille qui eum plagavit conponat qualiter in angargathungi, id est secundum qualitatem personae.

LXXV. *De infantem in utero matris mortuo.*

Si infans in utero matris nolendo ab aliquem occisus fuerit, si ipsa mulier libera est, et evaserit, adpretietur ut libera secundum nobilitatem suam, et medietatem quod ipsa valuerit infans ipse conponatur; nam si mortua fuerit, conponat eam secundum generositatem suam, excepto quod in utero ejus mortuum fuerit, ut supra; cessante faida, eo quod nolendo fecit.

LXXVI.
De aldius, et servus ministeriales.

De illos vero ministeriales dicimus, qui docti domui notriti sunt aut provati.

LXXVII.

Si quis aldium alienum aut servum ministirialem percusserit, si vulnus aut libor apparuerit, pro una ferita conponat solidum uno; si duas fecerit, dit solidos duos; si tres fecerit, dit solidos tres; si quattuor ficerit, dit solidos quattuor. si vero amplius duraverit, non nomirentur.

LXXVIII.

Si quis aldium alieno aut servum ministerialem plagaverit in caput ut ossa non rumpantur, pro una plaga dit solidos duo; si duas plagas fecerit, dit solidos IIII; si tres fecerit, conponat solidos VI; excepto operas et mercidis medici: si vero amplius plagas capetis fuerit, non nomirentur.

LXXVIIII.

Si quis aldium alienum aut servum ministerialem plagaverit in caput ut ossa rumpantur unum aut plures, conponat solidos quattuor, excepto operas et mercedis medici.

LXXX.
De plaga in facia.

Si quis aldium alienum aut servum ministirialem plagam in faciem fecerit, conponat solidos duo.

LXXXI. *De oculo evulso.*

Si quis aldium alienum aut servum ministirialem oculum excusserit, medietatem pretii ipsius quod adpretiatum fuerit si eum occidissit ei conponat.

LXXXII. *De nasum abscisum.*

Si quis aldium alienum aut servum ministerialem nasum absciderit, conponat solidos octo, excepto operas et mercedis medici.

LXXXIII. *De aure abscisa.*

Si quis aldium alienum aut servum ministeriale aurem absciderit, conponat solidos duos, excepto operas et mercedis medici.

LXXXIIII. *De labro absciso.*

Si quis aldium alienum aut servum ministerialem labrum absciderit ut dentis appareant, conponat solidos sex, excepto operas et mercedis medici.

LXXXV. *De dentis excussus.*

Si quis aldium alienum aut servum ministerialem dentem excusserit unum aut plures in riso apparentes, pro unum dentem conponat solidos quattuor; si plures fuerent, per hoc nomiro conponantur.

LXXXVI. *De maxillares.*

Si quis aldio alieno aut servo ministeriali maxillaris dentis excusserit, per unum maxillare conponat solidos duo; si vero plures fuerent, per hoc nomiro conponantur.

LXXXVII. *De brachium ruptum.*

Si quis aldium alienum aut servum ministerialem brachium ruperit, conponat solidos sex, excepto operas et mercedis medici.

LXXXVIII. *De mano abscisa.*

Si quis aldius alieno aut servus ministeriales manum absciderit, medietatem pretii ipsius ei conponat.

LXXXVIIII. *De digita manus.*

Si quis aldium alienum aut servum ministerialem policem de manu excusserit, conponat solidos octo, excepto operas et mercedis medici.

XC.

Si secundo digito de manu excusserit, conponat solidos sex.

XCI.

Si tertium digitum de manu excusserit, quod est medianum, conponat solidos duo.

XCII.

Si quartum digitum de manu excusserit, conponat solidos duo.

XCIII.

Si quintum digitum de manu excusserit, conponat solidos quattuor.

XCIIII. *De coxa rupta.*

Si quis aldium alienum aut servum ministerialem coxa ruperit aut tivia, conponat solidos tres, excepto operas et mercedis medici.

XCV. *De pede absciso.*

Si quis aldium alienum aut servum ministerialem

pedem absciderit, medietatem pretii ipsius ei conponat, excepto operas et mercedis medici.

XCVI. *De digita pedum.*

Si quis aldium alienum aut servum ministerialem policem de pede excusserit, conponat solidos quattuor, excepto operas et mercedis medici.

XCVII.

Si secundum digitum de pede excusserit, conponat solidos duos.

XCVIII.

Si tertium digitum de pede excusserit, conponat solidos duos.

XCVIIII.

Si quarto digito de pede excusserit, conponat solido uno.

C.

Si quintum digitum de pede excusserit, conponat solido uno.

CI. *De plaga intra capso.*

Si quis aldium alienum aut servum ministerialem plagam intra capso aut sagitta injecta aut con qualevit arma fecerit, conponat solidos sex, excepto operas et mercedis medici.

CII.
De brachio aut coxa transforata.

Si quis aldium alienum aut servum ministerialem brachium aut coxa transforaverit, conponat solidos tres, excepto operas et mercedis medici; et si sic plagaverit et non pertunderit, conponat solido unum.

CIII.
De servus rusticanus.

Si quis servum alienum rusticano plagam in caput fecerit ut cutiga tantum rumpatur, pro unam plagam dit solidum unum; pro duas dit solidos duos, excepto operas et mercedis medici: si amplius plagas capetis fuerint, non nomirentur. Si autem ossa ruperit unum aut plures, conponat solidos tres; amplius non nomirentur.

CIIII.
De plaga in facia.

Si quis servum alienum rusticanum plaga in facia fecerit, conponat solidum unum.

CV. *De oculo evulso.*

Si quis servum alienum rusticanum oculum excusserit, medietatem pretii ipsius quod adpretiatus fuerit si eum occidissit domino ejus conponat.

CVI. *De naso absciso.*

Si quis servum alienum rusticanum nasum absciderit, conponat solidos quattuor, excepto operas et mercedis medici.

CVII.

Si quis servum alienum rusticanum aurem absciderit, conponat solidum unum, excepto operas et mercedis medici.

CVIII. *De labro absciso.*

Si quis servum alienum rusticanum labrum absciderit ut dentis appareant, conponat solidos tres.

CVIIII. *De dentes.*

Si quis servum alienum rusticanum dentem excusserit qui in riso apparit, conponat pro unum dentem solidos duo, pro maxillares vero solido uno; si autem amplius fuerint, per hoc nomiro conponatur.

CX.
De brachio aut coxa transforata.

Si quis servum alienum rusticanum brachium aut coxa transforaverit, conponat solidos duos; si autem plagaverit et non transforaverit, conponat solido uno, excepto operas et mercedis medici.

CXI.
De plaga quae intra capso fiet.

Si quis servum alienum rusticanum intra capso plagaverit, conponat solidos quattuor, excepto operas et mercedis medici.

CXII. *De brachio, coxa
aut tibia rupta.*

Si quis servum alienum rusticanum brachio, coxa seu tibia ruperit, conponat solidos tres, excepto operas et mercedis medici. Et si de ipsa ruptura intra annis spatio sanus factus non fuerit et ad pristinam non redierit sanitatem, quartam partem quod ipse valuerit domino ejus conponat.

CXIII. *De manum abscisam.*

Si quis servum alienum rusticanum manum absciderit, medietatem pretii ipsius domino ejus conponat.

CXIIII. *De digita manus.*

Si quis servum alienum rusticanum policem de manu excusserit, conponat solidos IIII.

CXV.

Si secundum digitum de manu excusserit, conponat solidos III.

CXVI.

Si tertium digitum de manu excusserit, conponat solidum unum.

CXVII.

Si quartum digitum de manu excusserit, conponat solidum unum.

CXVIII.

Si quintum digitum de manu excusserit, conponat solidos II: excepto operas et mercedis medici.

CXVIIII. *De pede servo rusticano absciso.*

Si quis servum alienum rusticanum pedem absciderit, medietatem pretii ipsius conponat ut supra.

CXX. *De digita pedum.*

Si quis servum alienum rusticanum policem de pede excusserit, conponat solidos II.

CXXI.

Si secundum digitum de pede excusserit, conponat solido uno.

CXXII.

Si tertio digito de pede excusserit, conponat solido uno.

CXXIII.

Si quarto digito de pede excusserit, conponat solido medio.

CXXIIII.

Si quintum digitum pedis excusserit, conponat solido medio.

CXXV. *De servo rusticano battudo.*

Si quis servum alienum rusticanum percusserit, pro unam feritam, id est pluslai, si vulnus aut libor apparuerit, conponat solido medio; si vero usque quattuor feritas fuerit, conponat solidos duo; amplius si fuerit, non nemiretur.

CXXVI. *Si membrum sideratum fuerit.*

Si de plagas aut feritas superius scriptas aldii, aut servi ministeriales, seu servi rusticani, atque aldias, aut ancillas, manus aut pedis vel quolevit membrum qui plagatus aut percussus est sideratum fuerit, et non perexcusserit, simili modo conponatur tamquam si eum perexcussissit.

CXXVII.

Omnes vero plagas aut feritas tam de aldius quam et de servus ministeriales seu servi rusticani atque aldias aut ancillas, que inter eos eveneret, per hoc tinore sicut superius scriptum est finiatur. Si autem exinde aliquas dubietas fuerit quod evadere aut citius sanare non possit, tunc medietatem pretii de plaga quod arbitrata fuerit dominus accipiat: reliqua vero medietas suspendatur, dum usque cognuscitur si intra anni spatium potest de ipsis plagis evadere. Si evaserit, quod reliquum est conpleatur: si autem de ipsas plagas mortuos fuerit intra anni spatium, sicut subter adnexum est ita domino conponatur, et que pro plagam acceptum est in ipsa summa conpositiones mortui repotetur.

CXXVIII. *De eo qui plagas fecerit.*

Qui plagas fecerit ipse querat medico: et si neclexerit, tunc ille qui plagatus est aut dominus ejus inveniat medicum. Et ille qui caput rumpit aut suprascriptas plagas fecit, et operas reddat, et mercedis medici persolvat, quantum per doctus homenis arbitratum fuerit.

CXXVIIII. *De aldio occiso.*

Si quis aldiam alienum occiderit, conponat solidos sexagenta.

CXXX. *De servo ministeriale occiso.*

Si quis servum alienum ministerialem probatum ut supra aut doctum occiserit, conponat solidos quinquagenta.

CXXXI.

De alio vero ministeriale qui secundus ei invenitur, tamen nomen ministerialem habeat, si quis occiderit, conponat solidos viginti et quinque.

CXXXII. *De servo massario occiso.*

Si quis servum alienum massarium occiserit, conponat solidos viginti.

CXXXIII. *De bovulco occiso.*

Si quis servum alienum bovulco de sala occiderit, conponat soledus viginti.

CXXXIIII.
De servo rustigano qui sub massario est.

Si quis servum alienum rustiganum qui sub massario est occiserit, conponat solidos sedecem.

CXXXV.
De pastores porcarios occisus.

Si quis porcarium alienum occiserit, magestrum tamen illum, qui sub se discipolus havit duo aut tres aut amplius, conponat solidos quinquagenta; de inferioris autem porcarius si quis occiderit, conponat solidos vigenti et quinque.

CXXXVI.

De pecorario, caprario seo armentario occiso, magistro tamen, si quis occiderit, conponat solidos viginti; pro discipolus autem qui sequentes sunt si quis occiderit, conponat solidos sedicem. De illos vero pastores dicimus, qui ad liberos homines serviunt, et de sala propria exeunt.

CXXXVII. *Si infans parvus de massario occisus fuerit.*

Si quis infantem parvolo de servo massario casu facientem occiderit, arbitretur a judice secundum qualem aetatem habuit aut qualem lucrum facere potebat, ita conponatur.

CXXXVIII. *De arbore communiter inciso hominem quem occiserit.*

Si duo aut tres aut plures homines arborem unum inciserent, et alium hominem supervenientem et ex ipsum arborem occiderent, aut quodlibit damnum fecerent: tunc incidentes arborem quanticumque fuerent ipsum humicidium aut damnum pariter conponant. Et si casu faciente ab ipso arbore aliquis ex ipsis qui inciduntt mortuus fuerit, si duo fuerent colleganntes, medietas pretii repotetur illi mortui; et medietatem reddat parentibus collega ipsius; et si plures fuerent, idem modo portio una repotetur illi mortui, et quanticumque fuerent vivi reddant simul summa pretii, cessante faida, ideo quia nolendo fecerunt.

CXXXVIIII. *De venenum temperatum.*

Si quis homo liber aut mulier venenum temperaverit et alii ad bevendum dare voluerit, conponat solidos viginti, sicut ille qui de morte alterius consiliatus fuerit.

CXL.

Si liber aut libera venenum alii dederit ad bevendum, et qui acceperit ex ipsum venenum mortuos non fuerit, conponat qui venenum dedit medietatem pretii ipsius quod adpretiatus fuerit si eum occidissit.

CXLI.

Si quis venenum ad bevendum dederit, et qui acceperit mortuus fuerit, pretium mortui secundum qualitatem persone in integrum conponat.

CXLII.

Si servus aut ancilla venenum alicui dederit, et ille qui accepit mortuos non fuerit, conponat dominus servi vel ancille medietatem pretii quod ipse valuerit qui accepit; et per omnia ipse servus vel ancilla in ipsa conpositione, pro quantus adpretiatus fuerit, ad occidendum tradatur. Et si mortuos fuerit qui accepit, tunc dominus servi vel ancille ipsum hominem in integrum conponat; sic tamen ut servus aut ancilla in ipsa conpositione, pro quanti adpretiatus fuerit, ad occidendum tradatur, et nulla sit redemptio aut excusatio mortis servi vel ancille.

CXLIII. *De eo qui post accepta conpositione se revindigaverit.*

Si homo occisus fuerit liber aut servus, et pro humicidio ipso conpositio facta fuerit, et pro ampotandam inimicitia sagramenta prestita, et postea contegerit ut ille qui conpositionem accepit revindigandi causam occiderit hominem de partem que conpositionem accepit: jubemus ut in dublum reddat ipsam conpositionem iterum parentibus aut domino servi. Simili modo et de plagas aut feritas; qui post accepta conpositionem se vindicare temptaverit, in dublum quod accepit restituat, excepto si hominem occiderit conponatur ut supra.

CXLIIII. *De magistros comacinos.*

Si magister comacinus cum collegantes suos cujuscumque domum restaurandam vel fabrigandam super se, placito finito de mercede, susceperit, et contegerit aliquem per ipsam domum, aut materium elapsum aut lapidem, mori: non requiratur a domino cujus domum fuerit, nisi magister comacinus cum consortibus suis ipsum humicidium aut damnum conponat; quia postquam in fabola firma de mercedis pro suum logrum suscipit, non inmerito damno sustineat.

CXLV. *De rogatos aut conductos magistros.*

Si quis magistros comacinos unum aut plures

rogaverit aut conduxerit ad opera dictandi, aut solacium diurnum prestandum inter servus suos, domum aut casam faciendam, et contegerit per ipsam casam aliquem ex ipsos comacinus mori, non requiratur ab ipsum cujus casa est. Nam si cadens arbor aut lapis ex ipsam fabrigam occiderit aliquem extraneum aut quodlebit damnum fecerit, non repotetur culpam magistri, sed ille qui conduxit ipse damnum susteneat.

CXLVI. *De incendio.*

Si quis casam alienam asto animo, quod est volontarie, incenderit, in treblum restituat ea, quod est sibi tertiam, sub extimationem pretii, cum omnem intrinsecus quidquid intus crematus fuerit, que vicini bone fidei homenis adpraetiaverent, restaurit. Et si aliqua de intrinsecus domui orta fuerit intentio, tunc ille qui damnum pertulit juratus dicat quantum in eadem casa perdedit, et omnia, ut dictum est, in treblum ei restituatur ab illo, qui volontariae hujus mali penetravit.

CXLVII. *De fogum foris novem pedis a fogolarem portatum.*

Si quis focum foris novem pedis a focolare portaverit, et damnum ex ipsum focum sibi aut alterius factum fuerit, ipse, qui portavit, damnum conponat ferquido, id est semilem, ideo quia nolens fecit; et si intra ipsos novem pedis, quod est de fogolarem, damnum fecerit sibi aut alterius contegerit, non ei requiratur.

CXLVIII.

Si quis fogum foris in itinere fecerit, antequam egrediatur extinguat eum, et non neclegenter dimittat; nam si contegerit post egressum ipsius alicui ex ipsum focum damnum aut lesionem fecerit, ipse qui focum fecerit, aut neclegenter dimisit, damnum sicut arbitratum fuerit, caput tantum, conponat: sic tamen ut post relictum foco qua ora eum reliquerit usque ad aliam talem ora diei aut noctis conpotetur, quod sunt oras vigenti et quattuor. Nam si contegerit transire ipso foco super publica via aut ribo, damnum si fecerit, non ei requiratur qui focum dimisit.

CXLVIIII. *De molino inciso.*

Si quis molinum alterius asto incenderit, id est volontariae, in treblom eum restituat sub estimationem rei, cum omnia que intus cremata sunt.

CL.

Si quis molinum alterius capelaverit aut sclusa ruperit sine auctoritate judecis, conponat solidus duodicem illi, cujus molinus esse invenitur. Et si judicem interpellaverit, et judex dilataverit ipsa causa deliberare, aut licentiam dederit averse parti ipsum molinum evertendi, conponat solidos vigenti in palatio regis districtus ab stolesazo.

CLI.

Si quis molinum in terram alienam aedificaverit, et sua provare non potuerit, amittat molinum et omnem operam suam, et ille habeat cujus terra aut ripa esse invenitur; quia omnes scire debent quod suum non alienum est.

CLII. *Si operarius ab alio rogatus in opera mortuus fuerit.*

Si quis operarius rogaverit aut conduxerit in opera, et caso facientem contegerit ex ipsis aut in aqua mori, aut a fulmine percuti, aut a vento arborem movito aut propria morte mori, non requiratur ab eo qui conduxit aut rogavit; tantum est ut per ipsius factum qui conduxit aut ab hominibus ejus non moriatur. Et si a quecumque unus horum occisus fuerit aut lesus, ipse conponat qui eum occiserit aut leserit.

INCIPIT DE FILIIS LEGITIMIS.

CLIII. *De grados cugnationum.*

Omnes parentilla usque in septimum geniculum nomeretur, ut parens parenti per gradum et parentilla heris succedat; sic tamen ut ille qui succedere vult nominatim unicuique nomina parentum antecessorum suorum dicat. Et si intentio fuerit contra curtis regis, tunc ille qui querit preveat sagramentum cum legitimus sagramentalis suos; dicant per ordinem quod *Parentilla nostra sic fuit, et illi sic nobis fuerunt parentes quomodo nos dicimus.*

CLIIII. *De filius legitimus et naturalis.*

Si quis dereliquerit filium legitimum unum, quod est fulfurn, et filius naturalis unum aut plures, filius legitimus tollat duas portiones de patris substantia, naturalis tertia; si duo fuerent legitimi, habeant naturalis quintam partem quanticumque fuerent; si tres fuerent legitimi, habeant naturalis septimam partem; si quattuor fuerent legetimi, habeant naturales nonam partem; si quinque fuerent legetimi, habeant naturalis undecimam partem; si sex fuerent legitimi, habeant naturalis tertiamdecimam partem; si septem fuerent legitimi, habeant naturalis quintadecimam partem: si autem plures fuerent, per hoc nomiro dividantur patris substantia.

CLV.

Nulli sit licentia naturales filius aequales aut consemelis facere legetimis filiis, nisi si filii legetimi post conpletam legetimam aetatem patri consenserit. Legitimam aetas est postquam filii duodicem annus habuerent.

CLVI.

De filio naturale qui de ancilla alterius natus fuerit, si pater conparaverit eum, et liberum thingaverit, libertas illi permaneat; et si non liberaverit eum, sit servus cujus et mater ancilla. Nam si eum conparaverit, et aliquid de res ei per legem thingaverit, habeat ipsas res.

CLVII.

De eo qui de filio naturale generatus fuerit, quod est threus, heres non fiat, nisi ei thingatum fuerit per legem; et si thingatus non fuerit aliquit de res, tamen libertas illi permaneat.

CLVIII.

Si quis dereliquerit filiam legitimam unam, et filium naturalem unum aut plures, et alios parentes proximos aut heredis, aequaliter dividant substantiam defuncti, id est in tres partis: filia legitima accipiat uncias quattuor, quod est tertia pars; naturales filii unus aut plures uncias quattuor, quod est tertia pars; et parentis proximi aut heredis uncias quattuor, id est tertiam pars: et si parentes proximi non fuerent, tunc curtis regias suscipiat ipsas quattuor uncias.

CLVIIII.

Si quis dereliquerit filias legitimas duas aut pluris, et filius naturalis unum aut plures, et alios parentis proximos ut supra, illas filias tollant uncias sex, quod est medietas; naturalis filii uncias quattuor, quod est tertia pars; et parentis legitimi uncias duas, quod est sexta pars: et si parentis non fuerent, curtis regia ipsas duas uncias suscipiat.

CLX.

Si quis dereliquerit filias legitimas unam aut plures, et sorores legetimas unam aut plures, et filius naturalis unum aut plures, tollant filiae et sorores inter se aequaliter dividendum uncias sex, quod est medietas; naturalis filii uncias quattuor, quod est tertiam pars; et duas uncias parentis legitimi, aut curtis regia si parentis legitimi non fuerent, quod est sextam pars. Pro mundio autem suprascriptarum tollant naturalis filii tertiam partem, et heredis legetimi aut curtis regi partis duas.

CLXI. *De mundio inter legitimos et naturales.*

Si fuerint filii legitimi et filii naturalis, et sorores tam legitimas quam naturalis, pro mundio earum tollant legitimi filii partes duas, naturalis vero partem tertiam.

CLXII.

Si fuerent filii legetimi et naturalis duo aut plures, et contegerit casus ut unus ex naturalis occisus fuerit, tollant legitimi fratres pro conpositione illius partes duas, naturalis vero qui remanserint partem tertiam; facultas vero illius mortui ad legitimum fratrem revertatur, nam non ad naturalis. Ideo ita praevidimus, propter faida deponenda, id est inimicitia pacificanda.

CLXIII.

Si quis in morte parentibus suis insidiatus fuerit, id est si frater in morte fratri suo, aut barbanes, quod est patruis, seu consubrini insidiatus aut consiliatus fuerit, et ille cui insidiatur filius non dereliquerit, non sit illi heredis, cujus de anima tractavit, nisi alii parentes proximus; et si parentes proximus aut legitimus non habuerit, tunc illi curtis regia succedat. De animam autem illius humicide sit in potestatem regis judicare quod illi placuerit. Res vero quas humicida reliquid, parentis proximi et legetimi habeant; et si parentes proximi non fuerent, tunc res ipsius curtis regia socientur.

CLXIIII. *Si quis de alio dixerit quod de adulterio natus sit.*

Si quis ex parentibus, id est barbas, quod est patruus, aut quicumque ex proximis, dixerit de nepote suo aut consoprino doloso animo, quod de adulterio natus sit, nam non de certo patre: tunc ille cui crimen mittitur querat sibi liberos homines sacramentales, et praebeat sacramentum quod filius legitimus sit, et per lege res ipsas ad eum perteneat, nec alteri eas per legem dimittere debeat. Si hoc fecerit, habeat et fruatur: quia grave et impium vedetur esse, ut tales causa sub uno scutum per pugnam dimittatur.

CLXV.

Si quis dixerit de oxorem alienam, quod mundius ad ipsum perteneat, nam non ad maritum, tunc ille qui eam habit oxorem preveat sagramentum cum legetemos sagramentales suos duodicem, quod de certo domino mundium ipsius fecissit, et non eum alteri per legem dimittere deveat. Si hoc fecerit, habeat et fruatur; quia injustum vedetur esse, ut tam grandem causam sub unum scutum per pugua dimittatur.

CLXVI. *De suspitione in maritum quod oxorem suam occidissit.*

Si suspectus fuerit quod maritus uxorem suam occidissit, ita discernimus, ut purificet se maritus cum sagramentales suos legitimus, quod mixtos in morte ipsius mulieris non fuissit, nec per se nec per subposita persona: et sit exsolutus ab hoc crimen; quia absordum et impium vedetur esse, ut tales causas sub unum scutum per pugnam dimittatur.

CLXVII.
De fratres qui in casam communem remanserent.

Si fratres post mortem patris in casa commune remanserint, et unus ex ipsis in obsequium regis aut judicis aliquas res adquesiverit serviendum, habeat sibi in antea absque portionem fratrum. Et qui foras in exercitum aliquit adquisiverit, communem sit fratribus quod in casa commune dimiserit. Et si quis ex suprascriptis fratribus gairethinx fecerit, habeat in antea cui factum fuerit. Et qui ex ipsis oxorem duxerit, et de rebus communes meta data fuerit: quando alteri quidem oxorem tollere contigerit, aut quando ad divisionem faciendam venerit, simili modo de cumune rebus refundatur ei alio tantum, quantum frater in meta dedit. De paterna autem vel materna substantia quod relicum fuerit, inter se aequaliter dividant.

CLXVIII.
De exereditatione filiorum.

Nulli leciat sine certas culpas filium suum exereditare, nec quod ei per lege debetur alii thingare.

CLXVIIII. *De justas culpas.*

Justas autem culpas has esse dicemus exhereditandi filium: si filius contra animam aut sanguinis patri insidiatus aut consiliatus fuerit, aut si patrem percusserit volontariae, aut si cum matrinia sua, id est nobercam, peccaverit, juste a patre exheredidetur.

CLXX.

Item sicut nec patribus licitum est filium suum sine justam causam aut culpa exhereditare, ita nec filius leceat vivo patre cuicumque res suas thingare, aut per quodlevit titulum alienare; nisi forte filius aut filias legitimas aut filius naturalis reliquerit, ut ipsis secundum legem conservit.

CLXXI.

Si quis se disperaverit aut propter senectutem aut propter aliquam infirmitatem corporis filius non possit habere, et res suas alii thingaverit, posteaque eum contegerit filius legitimus procreare: omne thinx, quod est donatio, quod prius fecerat, rumpatur, et filii legitimi unum aut plures, qui postea nati fuerent, heredis in omnibus patri succedant. Si autem filias legitimas una aut plures, seu filios naturales unum aut plures post thinx factum habuerit, habeant et ipsi legem suam, sicut superius constitutum est, tamquam si nihil alii thingatum fuissit; et ille cui thingatum est tantum habeat, quantum alii parentis proximi debuerunt habere aut curtis regia suscipere si alii thingatum non fuissit.

CLXXII.
De thinx, quod est donatio.

Si quis res suas alii thingare voluerit, non absconse sed ante liberos homines ipsum gairethinx faciat, quatinus qui thingat et qui gisel fuerit liberi sint, ut nulla in posterum oriatur intentio.

CLXXIII.

Si quis res suas thingaverit, et dixerit in ipso thinx lide laib, id est quod in diae obitus sui reliquerit, non dispergat res ipsas postea doloso animo, nisi fruatur eas cum rationem. Et si talis ei evenerit necessitas, ut terra cum mancipia aut sine mancipia vindere aut locum pigneris ponere debeat, dicat prius illi cui thingavit: *Ecce vedis, quia necessitate conpulsus res istas vado dare; si tibi vedetur, subveni mihi, et res istas conservo in tua potestatem.* Tunc si noluerit ei subvenire, quod alii dederit sit illi stabilem et firmum qui acceperit.

CLXXIIII.
De thinx primus factum.

Non leciat donatori ipsum thinx quod antea fecit iterum in alium hominem transmigrare; tantum est ut ille qui gairethinx susceperit tales culpas non faciat donatori suo, quales solent ingrati filii parentibus suis facere per quas exhereditantur, que in hoc Edictum scripte sunt. Ipse autem qui gairethinx susceperit ab alio, quidquid dereliquerit donator in diem obidus sui habeat licentiam in suum dominium recollegere, et devitum creditoribus reddere, et ab aliis exegere, et quod in fifiduciae nexum positum est reddat devitum, et requirat rem in fiduciae nexu posita.

CLXXV. *De launegild.*

Si quis res suas cuicumque donaverit, et postea qui donavit launegild requisiverit, tunc ille qui accepit aut heredis ejus, si ausus non fuerit jurare quod conpositum sit, reddat ei ferquido, id est semilem, qualis in diem illam fuit quando donatum est; et si juraverit, sit exsolutus.

CLXXVI. *De lebroso.*

Si quis lebrosus effectus fuerit, et cognitum judici vel populo certa rei veritas, et expulsus foris a civitatem vel casam suam, ita ut solus inhabitit, non sit ei licentia res suas alienare aut thingare cuilevit persone; quia in eadem diae quando a domo expulsus est, tamquam mortuus habetur. Tamen dum advixerit, de rebus quas reliquerit pro mercedis intuitu nutriatur.

CLXXVII. *De homine libero, ut liceat cum fara sua migrare.*

Si quis liber homo potestatem habeat intra dominium regni nostri cum fara sua megrare ubi voluerit, sic tamen si ei a rege data fuerit licentia; et si aliquas res ei dox aut quicumque liber homo donavit, et noluerit cum eum permanere vel cum heredis ipsius, res ipsas ad donatore vel heredis ejus revertantur.

CLXXVIII. *De sponsalibus et nuptiis.*

Si quis sponsaverit puellam liberam aut mulierem, et post sponsalia facta et fabola firmatam duos annos neclexerit eam tollere, et dilataverit nuptias exsequi, post transactum biennium potestatem habeat pater aut frater, vel qui mundium ejus potestatem habit, distringere fidejussorem, quatinus adimpleat metam illam quae in diae sposaliciorum promisit. Postea leceat eos ad maritum alii dare, libero tamen; et meta quae exacta fuerit sit in potestatem puellae aut mulieris, eo quod spunsus intra prefenitum tempus oxorem accepere neclexit aut si voluntariae dilatavit, excepto inevitavelem causa.

CLXXVIIII.

Si dixerit sponsus de sponsa sua quod adulterassit, postquam eam spunsatam habuit, leceat parentibus eam purificare cum duodicem sagramentalibus; tunc post purifigatam, accipiat ea sponsus sicut in priori fabula stetit. Et si postquam purifigatam fuerit ea tollere oxorem neclexerit, sit culpavelis sponsus dublam metam quantum dictum est in diae illa, quando favola firmata fuit. Et si parentis, ut dictum est, eam mundare non potuerit de ipso crimen, tunc sponsus recipiat res suas quas dedit, et illa patiatur pena adulterii, sicut in hoc Edictum constitutum est.

CLXXX. *Si puella sponsata lebrosa apparuerit.*

Si contegerit, postquam puellam aut mulier sponsatam fuerit, lebrosa aut demoniaga aut de ambes oculos excegata apparuerit, tunc sponsus recipiat res suas, et non conpellatur ipsam invitus tollere oxorem, nec pro hac causa calomnietur; quia non suum neclictum dimisit, sed peccatum eminentem et egretutinem supervenientem.

CLXXXI. *De nuptiis.*

Si pater filiam suam aut frater sororem legetimam alii ad maritum dederit, in hoc sibi sit contempta de patri vel de matri substantia, quantum ei pater aut frater in diae traditionis nuptiarum dederit, nam amplius non requiratur.

CLXXXII. *De viduam, qualem habeat licentiam.*

Si quis filiam suam aut qualevit parentem in conjugio alii dederit, et contegerit casus ut ille maritus moriatur, potestatem habeat illa vedua, si voluerit, ad alium maritum ambolandi, libero tamen. Secundus autem maritus, qui eam tollere disponit, de suis propriis rebus medietatem pretii, quantum dictum est quando eam primus maritus spunsavit, pro ipsa meta dare deveat ei qui heredis proximus mariti priori esse invenitur. Et si noluerit accepere, habeat ipsa mulier morgincap, et quod de parentes adduxit, id est faderfio. Parentis vero ejus potestatem habeant eam dandi ad alium maritum, ubi ipsi et illa voluerent; et mundium ejus prioris mariti parentes non habeant, pro eo quod ei denegaverunt volontatem suam: ideo redeat mundium ejus ad proximus parentes, qui prius eam ad maritum dederunt; et si parentis non fuerint legetimi, tunc mundius ille ad curtis regi perteneat. Et si talis fuerit mulier, quae maritum non velle aut non possit habere, sit in potestatem illius, ad quem mundius de eam pertenit: et si ipsi eam male habuerit aut tractaverit, et provatur, tunc leceat eam ad parentis suos reverti; et si parentis non habuerit, tunc ad curtis regis habeat refugium, et mundium ejus sit in potestatem regis.

CLXXXIII. *De traditione puellae aut mulieris.*

Si quis pro liberam mulierem aut puellam mundio dederit, et convenit ut ei tradatur ad oxorem, posteaque contegerit, marito mortuo, ut ipsa mulier ad alium maritum debeat ambolare, aut ad parentes reverti aut ad curtem regis: tunc heredis mariti prioris accepiant medietatem de meta, sicut supra constitutum est, et ipsa per mano simili modo retradatur, sicut priori marita tradita fuit; nam aliter sine traditione nulla rerum dicimus subsistere firmitatem.

CLXXXIIII. *De exenio nuptiali.*

Si quando pater filiam suam aut frater sororem alii ad oxorem tradederit, et aliqui ex amicis accepto exenio ipsius mulieris aliquit dederit, in ipsius sit potestatem qui mundium de ea fecit; eo quod maritus, si launechild requisitum fuerit, ipse devit persolvi.

CLXXXV. *De incestas et inlecitas nuptias.*

Nulli leceat novercam suam, id est matriniam, qui fuit uxor patri, neque privignam, id est filiastra, neque cugnata, qui fuit oxor fratris, oxorem ducere; et si ipsam consenserit, vir qui eam ducit conponat pro culpam in curte regis solidos centum, et mox separetur ab ea constrictus a rege; et ipsa mulier habeat medietatem de omnes res suas, et medietatem amittat, et curtis regia suscipiat. Eo quod inlecitas consenserunt celebrare nuptias haec pena susteneat, et mox, ut dictum est, separetur.

CLXXXVI.

Si vir mulieri violentia fecerit, et invitam eam tolerit ad oxorem, sit culpavelis solidos DCCCC, medietatem regi, et mediaetatem parentibus mulieris; et si parentis non habuerit, ipsi nungenti solidi a curtis regi exegantur; et mulier ipsam licentiam habeat cum omnes res suas proprias que ei per lege conpetent, elegendo qui mundium ejus in potestatem debeat habere, vult a patre, si habuerit, vult ad fratres, vult ad barbanes, vult ad manum regia, in ipsius mulieris sit potestatem ubi sibi ipsa elegerit.

CLXXXVII. *De violentia mulieris libere.*

Si quis violento nomine tolerit oxorem, conponat ut supra, et postea mundium ejus faciat. Nam si contegerit casus, ut antequam mundium fecerit mortua fuerit, res ejus parentibus reddatur, et ille vir qui eam violento ordine tulerit oxorem conponat eam mortua, tamquam vero de simile sanguinem, id est si frater ejus occidissit, ita adpraetietur, et ad parentibus pro mortua conponere cogatur, aut cui mundius de ea pertenuerit.

CLXXXVIII.

Si puella libera aut vedua sine voluntatem parentum ad maritum ambolaverit, libero tamen, tunc maritus qui eam accepit oxorem conponat anagrip solidos XX, et propter faida alios vigenti. Et si contegerit eam antea mori quam mundium ejus faciat, res ipsius mulieris ad eum revertantur qui mundium ejus in potestatem habit, nam amplius calomnia praesumptori non generentur. Ideo perdat maritus res mulieris, eo quod mundio facere neglexit.

CLXXXVIIII. *De fornigationis causas.*

Si puellam aut mulier liberam volontariae fornigaverit, cum liber tamen hominem, potestatem habeat parentes in eam dare vindicta. Et si forte ambarum partium steterit, ut ille qui fornigavit eam tollat oxorem, conponat pro culpa, id est anagrip, solidos viginti, et propter faida alios XX; et si non convenerit ut eam habeat oxorem, conponat solidos centum, medietatem regi, et medietatem ad quem mundius de ea pertenuerit. Et si parentis noluerit aut neglexerit in eam dare vindictam, tunc leceat gastaldius regis aut sculdahis ipsam ad manum regis tollere, et judicare de ipsa quod regi placuerit.

CXC. *De sponsata alterius.*

Si quis puellam liberam aut vedua alterius spunsata, illa tamen consentiente, tolerit oxorem, conponat parentibus mulieris vel ad quem mundius de ea pertenuerit anagrip solidos viginti, et propter faida alius vigenti, et mundius ejus qualiter convenerit faciat. Spunsus autem cujus sponsatam fuit, omnia quae in meta dictum fuit quando eam sposavit in dublum ei conponatur ab illo, qui ei disponsatam suam turpe fecit; et postea spunsus, post acceptam dublam conpositionis penas, sit sibi contemptus, et amplius ex hac causa adversus fidejussorem calomnia non requiratur.

CXCI. *De rapto spunsatae alterius.*

Si quis puellam aut veduam sponsata alterius rapuerit, sit culpavelis parentibus puelle aut ad quem mundius de ea pertenuerit solidos noninginta, medietatem regi, et medietatem parentibus puelle, id est pater aut frater aut qui proximi sunt, et mundium ejus si convenerit faciat. Spunso autem, in cujus turpe aut in derisiculum egit, conponat dobla meta quantum dictum est in diae illa quando favola firmata fuerat, et amplius fidejussori aut raptori ab ipsum spunsum calomnia non generetur, sed sit sibi contemptus in ipsa dubla conpositionis poena.

CXCII. *Si parentes de puella sponsa cum alio conludio fecerit.*

Si pater aut frater vel aliquis ex parentibus puellam alii spunsaverit, et postea cum alio extraneo conludium fecerit aut fraudem consenserit cum illum, qui eam aut violenter aut ipsam consentientem duxit oxorem: tunc ipsi parentes, qui hujus conludii fraudis consenserent, conponant sponsum qui eam spunsatam habuit simili poena, ut supra, in dublum meta que dicta fuerat in diae spunsaliorum; et postea spunsus amplius adversus eos aut fidejussorem calomnia non requiratur.

CXCIII.

Si puella libera foris provincia servum alienum secuta fuerit, requirant eos pariter dominus servi et parentis puelle; et si eos invenerent, ambo poenam juxta legem susteneant: nam culpam a domino cujus servus fuerit non requiratur.

CXCIIII.

Si quis cum ancilla Gentilem fornigatus fuerit, conponat ad dominum ejus solidos viginti; si cum Romana, solidos duodicem conponat.

CXCV. *De crimen in puellam injecto.*

Si quis mundium de puella libera aut mulierem potestatem habens, excepto pater aut frater, et in animam ipsius puelle aut mulieris insidiatus fuerit, aut alii invitam ad maritum tradere voluerit, aut volentibus ad ejus violentia faciendam consinsum prebuerit aut consilium dederit, et provatur: amittat mundium ipsius, et illa potestatem habeat de duas vias, vult ad parentes reverti, vult ad curtem regis, cum rebus suis propriis, quae ad eam per legem conpetit, se commendare, qui mundium ejus potestatem debeat habere. Et si vir ille ista crimen negaverit, leceat eum se purifigare, et mundium ejus sicut habuit habere si se purifigaverit.

CXCVI. *De crimen adulterii.*

Si quis mundium de puella livera aut mulierem habens, excepto pater aut frater, et crimen ei injecerit quod adulterasit, amittat mundium ipsius, et illa potestatem habeat cum rebus suis propriis, vult ad parentis reverti, vult ad curtem regis se commendare, qui mundium ejus in potestatem deveat habere. Et si vir ille hoc crimen dixisse negaverit, leceat eum se purifigare si potuerit, et mundium ejus sicut habuit habere.

CXCVII. *De crimen nefando.*

Si quis mundium de puella libera aut mulierem habens, eamque strigam, quod est mascam, clamaverit, excepto pater aut frater, amittat mundium ipsius ut supra, et illa potestatem habeat vult ad parentes, vult ad curtis regi cum rebus suis propriis se comendare, qui mundium ejus debeat habere. Et si vir ille negaverit hoc crimen non dixissit, leceat eum se purificare, et mundium sicut habuit habere si se purificaverit.

CXCVIII. *De crimen in puella injectum, qui in alterius mundium est.*

Si quis puellam liberam aut mulierem, qui in alterius mundium est, fornicariam aut strigam clamaverit, et pulsatus penitens manefestaverit per fororem dixissit, tunc preveat sacramentum cum duodicem sacramentalis suos, quod per fororem ipso nefando crimen dixissit, nam non de certam causam cognovissit; tunc pro ipsum vanum inproperii sermonem, quod non convenerat loqui, conponat solidos viginti, et amplius non calomnietur. Nam si perseveraverit, et dixerit se posse provare, tunc per camphionis causa ipsa, id est per pugnam, Dei judicio decernatur; et si provatum fuerit, illa sit culpavelis sicut in hoc Edictum legitur: et si ille qui crimen misit provare non potuerit, widrigild ipsius mulieris secundum nationem suam conponere conpellatur.

CXCVIIII. *Si vedua in domo patris regressa fuerit.*

Si pater filiam aut frater sororem suam ad maritum dederit, et contegerit casus ut ille maritus moriatur, et pater aut frater mundium ejus liveraverit, sicut supra constitutum est, et illa in domum patris aut fratris regressam fuerit, et alias sorores in casam patris aut fratris invenerit, et postea pater aut frater mortuus fuerit, et illa remanserit in casa cum alias sorores unam aut plures, et a facultatem patris aut fratris venerint dividendam cum alios parentes aut curtis regi: tunc illam veduam, qui in domum patris aut fratris regressa est, habeat sibi in antea morgincap et mephio; de fadarfio autem, id est quantum de alia dona quando ad maritum ambolavit pater aut frater ei dedit, mittatur in confusum, et alias sorores et illa alia soror unam aut plures tollant unamquis in antea tantum, quantum pro mundio pater aut frater liberandum a parentis mariti defuncti dedit. Reliqua patris vel fratris substantia aequa lanciae dividant, sicut in hoc Edictum legitur; et si solam in casam remanserit, in quantum ei per legem conpetit heredis succedat.

CC. *De occisione mulieris.*

Si maritus oxorem suam occiderit inmerentem, quod per legem non sit merita mori, conponat solidos mille ducentos, medietatem illis parentibus qui eam ad maritum dederunt et mundium susceperunt, et medietatem regi, ita ut per actorem regis distringatur, et poenam suprascriptam conponatur. Et si filius de ipsa mulierem habuerit, habeant filii morgincap et faderfio matris suae mortuae; et si filius ex ipsa non habuerit, revertatur ipsa facultas ad parentes qui eam ad maritum dederunt; et si parentes non fuerit, tunc ipsa conpositio et predicta facultas ad curtem regis perveniat.

CCI. *De muliere libera occisa.*

Si quis puellam liberam aut mulierem per qualevit occansonem occiserit, conponat solidos mille ducentos, medietatem parentibus aut ad quem mundium de ipsa pertenit, et medietatem regi; et si parentis non habuerit, tunc ipsa conpositio in integrum ad curtis regis perveniat: sic tamen si asto animo, id est volontariae, eum occiserit.

CCII.

Si mulier in morte mariti sui consiliaverit per

se aut per subpositam personam, sit in potestatem mariti de ea facere quod voluerit, simul et de res ipsius mulieris. Nam si illa negaverit, leceat parentes eam purificare aut per sacramentum, aut per camphionem, id est per pugna.

CCIII.

Si mulier maritum suum occiderit, ipsa occidatur, et res ejus, si filii non fuerint, parentis mariti habeant potestatem.

CCIIII.

Nulli mulieri libere sub regni nostri dicione legis Langobardorum viventem leceat in suis potestatem arbitrium silpmundia vivere, nisi semper sub potestatem virorum aut certe regis deveat permanere, nec aliquid e res moviles aut inmoviles sine volontatem illius in cujus mundium fuerit habeat potestatem donandi aut alienandi.

CCV. *De aldia violentiata.*

Si quis aldia alienam, id est qui jam de matre libera nata est, violentia fecerit, conponat solidos quadraginta.

CCVI. *De liberta violentiata.*

Si quis liberta aliena, id est ipsa persona qui libera dimissa est, violentia fecerit, conponat solidos xx.

CCVII. *De ancilla violentiata.*

Si quis ancillam alienam violentia fecerit, conponat solidos xx.

CCVIII. *De rapto.*

Si quis rapuerit aldiam alienam et in curtem alterius duxerit, et sequens dominus aut parentis ejus, et cui curtis fuerit antesteterit, et non permiserit vindicare aut foris extrahere, conponat solidos quadragenta, medietatem regi, et medietatem cujus aldia est.

CCVIIII. *De ancilla rapta.*

Si quis rapuerit ancillam alienam et in curtem alterius duxerit, et sequens dominus aut parentes ejus et cui curtis est antesteterit, et non permiserit vindicare, conponat qui antestetit solidos viginti, medietatem regi, et medietatem cui ancilla fuerit.

CCX.
De rapto qui in curtem regis duxerit.

Si quis rapuerit aldiam aut ancillam alienam et in curtis regis duxerit, et sequens dominus aut quicumque ex amicis aut servis, et gastaldius aut actor regis antesteterit: pro aldia, de suis propriis rebus conponat illi cujus aldia fuerit solidos xl; pro ancilla, viginti.

CCXI. *Si quis oxorem alterius tolerit.*

Si liber aut servus oxorem alterius tolerit, eamque sibi in conjogio sociaverit, ambo occidantur, sic tamen si ambo consenserent.

CCXII. *Si quis cum oxorem suam alium fornigantem invenerit.*

Si quis cum oxorem suam liberum aut servum fornigantem invenerit, potestatem habeat eos ambos occidendi; et si eos occiserit, non requiratur.

CCXIII. *De crimen adulterii.*

Si quis alium de uxorem suam crimen miserit quod cum ea fornicassit, leciat ei cui crimen mittitur aut per sagramentum aut per pugnam se purifigare; et si provatum fuerit, animae suae incurrat periculum.

CCXIIII.

Si quis liberam puellam absque consilium parentum aut volontatem duxerit oxorem, conponat anagrip solidos vigenti, et propter faida alios xx; de mundium autem qualiter convenerit et lex havet, sic tamen si ambo liberi sunt.

CCXV. *De sponsata mortua.*

Si quis puellam aut veduam sponsatam habuerit, et contegerit casus ut ipsa antea moriatur quam a patre aut qui mundium ejus potestatem habit tradita fuissit, tunc meta, quae data fuerat ab illo sponso, reddatur ei tantum quantum in ipsa meta dedit; nam alias res illius sit, qui mundium ejus in potestatem habere videtur, eo quod ante traditione mortua est.

CCXVI. *Si aldius uxorem libera tolerit.*

Si aldius cujuscumque libera oxorem tolerit, id est fulfreal, et mundium de ea fecerit, et, posteaquam filius habuerit, maritus mortuos fuerit: si mulier in ipsa casa noluerit permanere, et parentes eam ad se recollegere voluerent, reddant praetium quod pro mundio ipsius mulieris datum est illis quibus aldius fuit et mundium ejus fecit; tunc illa absque morgincap aut aliquit de rebus mariti revertatur sibi ad parentes suos cum rebus suis, si aliquid de parentes adduxit. Et si filii de ipsa muliere fuerent, et noluerent in casa patris sedere, res paternas demittant, et mundio pro se reddant

quantum pro matrem eorum datum est; et vadant sibi ubi voluerent liberi.

CCXVII. *De aldia qui servum tolerit maritus.*

Si aldia aut liberta in casam alienam ad maritum intraverit, et servum tolerit, libertatem suam amittat. Et si dominus neclexerit eam replegare ad servitium, mortuo tamen maritum, vadat sibi unam cum filiis suis, et cum omnes res quantas in tempore quando ad maritum intravit secum adduxit, nam amplius nulla consequatur; vitium suum repetat, qui servum consensit.

CCXVIII. *Si aldius aldiam oxorem tolerit.*

Si aldius cujuscumque aldiam aut libertam tolerit oxorem, et filius ex ipso coito habuerint, pater sequantur, sint aldii qualis et pater.

CCXVIIII.

Si aldius ancillam suam aut alterius tolerit ad oxorem, filii qui ex ea nascuntur sint servi cujus et mater ancilla.

CCXX.

Si ancilla cujuscumque in casam alterius ad maritum intraverit et servum tolerit, nihil de ipsa casa marito mortuo consequantur, nisi quantum secum adduxit.

CCXXI.

Si servus libera mulierem aut puellam ausus fuerit sibi in conjugio sociare, anime suae incurrat periculum, et illa qui servum fuerit consentiens habeant parentes potestatem eam occidendi aut foris provincia transvendendi, et de rebus ipsius mulieris faciendi quod voluerit. Et si parentes ejus hoc facere distolerit, tunc leceat gastaldius regis aut sculdahis ipsam in curte regis ducere, et in pisele inter ancillas statuere.

CCXXII. *De ancilla matrimonii gratiata.*

Si quis ancillam suam propriam matrimoniare voluerit ad oxorem, sit ei licentiam; tamen deveat eam libera thingare, sic libera quod est wiribora, et legetimam facere per gairethinx. Tunc intellegatur libera, et legetimam oxorem; et filii qui ex ea nati fuerent legetimi heredis patri efficiantur.

CCXXIII. *De eo qui sine heredis moritur.*

Si quis sine heredis mortuus fuerit et res ipsius ad curtis regis pervenerit, nec donato nec prestito, quicumque ipsius mortui dedit aut prestetit non habeat ponteficium requirendi; quia postquam ad manum regis pervenit, terminum posuit, et sine devitum aut aliquam repetitionem cecidit.

CCXXIIII. *De manomissionibus.*

§ 1. Si quis servum suum proprium aut ancillam suam liberos dimittere voluerit, sit licentia qualiter ei placuerit. Nam qui fulfreae et a se extraneum, id est amund, facere voluerit, sic devit facere. Tradat eum primum in manum alteri homenis liberi, et per gairethinx ipsum confirmit; et ille secundus tradat in tertium in eodem modo; et tertius tradat in quartum; et ipse quartus ducat eum in quadrubium, et thingat in gaida et gisil, et sic dicat: *De quattuor vias, ubi volueris ambolare, liberam habeas potestatem.* Si sic factum fuerit, tunc erit amund, et ei manit certa libertas: postea nullam repetitionem patronus adversus ipsum aut filius ejus habeat potestatem requirendi; et si sine heredes legetimus ipse qui amund factus est mortuos fuerit, curtis regia illi succidat, nam non patronus aut heredis patroni.

§ 2. *Item alio kapitulo.* Similiter et qui inpans, id est in votum regis, dimittitur, ipsa lege vivat, sicut et qui amund factus est.

§ 3. *Item alio kapitulo.* Qui fulfreaq fecerit, et quattuor vias ei non dederit, et amund a se, id est extraneum, non fecerit, talem legem patronus cum ipsum habeat, tamquam si cum fratrem suum aut alium parentem suum liberum Langobardum: id est si filius aut filias legetimas qui fulfreae factus est non dimiserit, patronus succedat, sicut subter scriptum est.

§ 4. *Item alio kapitulo.* Item qui aldium facere voluerit, non illi dit quattuor vias.

Haec sunt quattuor genera manumissionum. Tamen necesse est, propter futuri temporis memoriam, ut qualibit liberum aut liberam thingaverit, ipsa manumissio in cartola libertatis commemoretur; et si cartolam non fecerit, tamen libertas ei permaneat.

CCXXV. *De filius liberti.*

Si libertus qui fulfreae factus est filius dereliquerit legetimos, sint illi heredis; si filias, habeant legem suam; si naturales, habeant et ipsi legem suam: et si casum facientem sine heredis mortuos fuerit, et antea judicaverit se vivo res suas proprias, id est andecawere et arigawere, secundum legem Langobardorum, habeat cui donaverit; nam quantum de res benefactori suo per donum habuit, si eas non oblicavit in libertatem, ad ipsum patronum aut ad heredis ejus revertantur. Et si aliquit in gasindio doces aut privatorum hominum obsequium donum conquisivit, res ad donatorem revertantur. Alias veros res, sicut dictum est, si heredis non dereliquerit, aut se vivo non judicaverit, patronus succedat sicut parenti.

CCXXVI.

Omnes libertis, qui a dominis suis Langobardis libertatem meruerunt, legibus dominorum et benefactoribus vivere deveant, secundum qualiter a dominis suis propriis eis concessum fuerit.

CCXXVII. *De emptionibus et vindicionibus.*

Si quis comparaverit terram, id est solum ad edificandum aut casa mancipiata, et quinque annos inter presentes personas possederit, posteaque ipse vinditur aut heredis ejus pulsaverent dicendo quod praestetissit, nam non vindedissit: ostendat libellus scriptus ubi rogatus fuissit prestandi. Et si libellus non habuerit, nihil aliut faciat emtor, nisi preveat sagramentum secundum qualitatem pegunìae, quod cum praetium suum res ipsas conparassit, nec alteri debeat per legem dimittere; tunc leceat firmiter possedere quod sibi conparavit.

CCXXVIII. *De possessione.*

Si quis alium de rem mobilem aut inmobilem pulsaverit quod malum ordine possedeat, et possessor negaverit, ita prespeximus, quod si per annos quinque fuerit possessio, tunc ille qui possedit aut per sagramentum debeat negare, aut per pugnam defendere si potuerit.

CCXXVIIII. *Qui rem alienam asto vindederit.*

Si quis rem alienam, id est servo aut ancilla seu alias res, sciens alienas esse, non suas, ubicumque transvindederit, et inventum aut provatum fuerit, in actogild eam restituat; et si per ignorantiam vindederit, tunc preveat sagramentum quod credens suum vindedissit, et reddat caput cum notrimen suum qualiter scit.

CCXXX. *De mancipio lebroso.*

Si quis conparaverit mancipio, et postea lebrosus aut demoniosus apparuerit, tunc vinditor si pulsatus fuerit preveat sagramentum singolus, quod in conscientiam ejus de ipsam infirmitatem non fuissit quando eum vindedit, et amplius non calomnietur.

CCXXXI. *De ancilla conparata.*

Si quis conparaverit ancillam alienam, et postea venerit alter homo qui eam suam dicat esse, revertant pariter ad auctorem. Tunc auctor si vindigare non potuerit, preveat sagramentum quod conscius non sit fraudi, nec nullo conludio fecissit, et reddat praecium tantum quantum in diae illa quando eam tradedit accepit, et ancillam ipsam proprio domino restituatur. Et si ancilla ipsa post tempore filius fecerit, tunc ille qui eam prius vindedit, et vindicare non poterit, qualiter scit filius ipsus per suo dispendio reconparit, et proprio domino retradat, quatinus filii matris sequantur. Et si auctor mortuos fuerit sine heredis legetimus, et fagultas ipsius auctori ad curtem regis cecederit, nulla sit repetitio; sic tamen ut dit sagramentum quod de ipsum conparassit, cujus res ad curtem regis ceciderunt.

CCXXXII. *De cavallo conparato.*

Si quis cavallum emerit et auctorem ignoraverit, et venerit certus homo qui ipsum cavallum suum dicat, tunc ille qui emit, sicut diximus, si auctorem non habuerit, nec scit de quem conparassit: preveat sacramentum emptor quia nec fur sit nec colliga furoni, nisi simpleciter cum pretio suo conparassit; et insuper addat in ipso sagramento, si quoquo tempore auctorem invenerit, non negare. Tunc post prestito sagramentum reddat cavallum, et sit sibi contemptus. Ille autem qui se proprius dominus dicit esse, sub tali titulum eum tollat, ut si cognitum fuerit quod malum ordine vindicassit, et alter certus auctor venerit qui suum facere possit ipse cavallus, sibi nonum ei reddantur.

CCXXXIII. *Si quis de servo conparaverit.*

Servus cujuscumque non liceat sine permissione domini sui neque terram neque mancipia neque qualemcumque rem vindere aut liberum dimittere. Si quis de servo conparaverit, et praetium perdat, et quod de servo emit proprio domino reddatur.

CCXXXIIII. *De servo massario.*

Servus massarius licentiam habeat de piculio suo, id est bove, vacca, cavallo, simul et de minuto peculio, in socio dare aut in socio recepere; vindere autem non, nisi quod pro utilitatem casae ipsius est, quatinus casa proficiat, nam non depereat.

CCXXXV. *De aldius.*

Non leciat aldius cujuscumque, qui amund factus non est, sine volontate patrono suo terra aut mancipia vindere, sed neque liberum dimettere.

CCXXXVI. *De terminus effossus.*

Si quis homo liber terminum anticum exterminaverit, et provatum fuerit, sit culpavelis solidos octugenta, medietatem regi, et medietatem in cujus finem terminum fuerit.

CCXXXVII. *De servus qui terminum effosserit.*

Si servus alienus terminum anticum exterminaverit, morti incurrat periculum, aut ematur cum quadragenta solidis.

CCXXXVIII. *De arbore signato.*

Si quis homo liber arborem, ubi teclatura inter fines decernindas signata est, inciderit aut delierit, octugenta solidos sit culpavelis, mediaetatem regi, et medietatem cujus arbor fuerit. Et si servum per jussionem domini sui fecerit, dominus conponat, ut supra, solidos LXXX.

CCXXXVIIII.

Si servus sua auctoritatem arbore ubi teclatura facta est inter finis decernendas inciderit, aut moriatur, aut redemat se cum quadragenta solidis.

CCXL. *De snaida in silva alterius facta.*

Si quis propter intentionem signa nova, id est teclatura aut snaida, in silva fecerit, et sua non adprovaverit, conponat solidos quadragenta, medietatem regi, et medietatem cujus silva fuerit.

CCXLI. *De servo qui snaida fecerit.*

Si servus extra jussionem domini sui teclatura aut snaida fecerit in silvam alterius, manus ei incidatur; et si cum jussionem domini sui fecerit, domino repotetur ut supra.

CCXLII.

Si quis sine jussionem regis aurum figuraverit aut moneta confixerit, manus ei incidatur.

CCXLIII. *De cartola falsa.*

Si quis cartolam falsam scripserit aut quodlevit membranum, manus ei incidantur.

CCXLIIII.

Si quis per murum de castro aut civitatem sine noditia judeci sui exierit foras aut intraverit, si liber est, sit culpavelis in curtem regis solidos vigenti; si autem aldius aut servus fuerit, sit culpavelis solidos x in curtem regis. Et si furtum fecerit, sicut in hoc Edictum legitur pene furti conponat.

CCXLV. *De pignerationibus et devitas.*

Si quis devitorem habit, appellit eum semel, bes, et usque tertio; et si devitum non reddederit aut non conposuerit, tunc deveat eum pignerare in his rebus, qui pignerare lecitum est.

CCXLVI. *Si quis ante contestationem pigneraberit.*

Si quis alio pro qualibit devitum aut causam pignerare presumpserit antequam tertium eum pulsaverit, pignus quod ante contestationem tolit sibi nonum reformit in potestatem domini.

CCXLVII.

Nulli leciat alio pro alio pignerare, excepto illo qui gafan esse invenitur, id est heredis parens proximior, qui illi ad hereditatem, si casus evenerit, venturus est.

CCXLVIII.

Si quis per errore alio pro alio pigneraverit per servum aut ancillam, ita dicernimus, ut postquam cognovit quod male pigneravit, mox ipsum pignum relaxit. Et si pulsatus fuerit a domino servi, tunc preveat sagramentum quia per errorem fecit, nam non asto, et crededit devitorem suum pignerassit, et tunc sit indemnis. Nam si plagas aut feritas fecerit in ipsum pignus, conponat sicut in hoc Edictum legitur. Et si sacramentum dare non presumpserit quod per errore pignerassit, reddat ipsum pignum in actogild.

CCXLVIIII. *De greges aequarum seu porcorum.*

Si quis gregis aequarum seu porcorum sine jussionem regis pigneris nomine abstulerit, ille prior aut moriatur, aut conponat solidos DCCCC, medietatem regis, et medietatem cui pignus abstolerit: et qui cum eum fuerent, si tamen liberi sunt, unusquisque conponat solidos octugenta, medietatem regi, et medietatem quem pigneraverit, ut supra. Et si servi dominum suum secuti fuerent, in conpositione domini repotetur; culpa enim dominus fecit, nam non servus qui dominum suum secutus est.

CCL.

Si quis cavallos domitos aut boves seu vaccas joco domitas pigneraverit sine jussionem regis, sibi nonum redo.

* CCLI.

Si homo liber qui debitor est alias res non habuerit, nisi cavallos domitus aut boves junctorios

* [CCL *.

Si quis alii wadia dederit, et eam recipere neclexerit per fidejussorem, et aput eum remanserit una nocte, aut duae, vel tres, nihil conponat. Si remanserit quarta nocte, conponat solidos duodecim; si remanserit quinta nocte, conponat solidos viginti quattuor; et si remanserit sesta nocte, conponat solidos triginta sex. Et si ille qui eam wadiam acceperit eam reddere neglexerit per fidejussorem, et apud eum remanserit, sic conponat, quomodo ille qui wadiam suam recipere neglexerit.]

seu vaccas, tunc ille qui devitum querit vadat ad sculdahis, et intemit causam suam, quia devitor ipsius alias res non habit nisi quae supra leguntur. Tunc sculdahis tollat bobes aut caballos ipsius, et ponat eos post creditorem, dum usque ei justitia faciat; et si sculdahis dilataverit facere, sit culpavelis in palatio regis solidos XII: et, justitia facta, pignus restituatur.

CCLII.

Nulli leciat pro qualevit devitum casa ordinata tributaria locum pigneris tollere, nisi servus, ancillas, vaccas, pecoras; ita ut ipsum pignus quod tolerit per suam custodiam salvum faciat usque ad prefinitum tempus, sicut supter adnexum est: id est inter eas personas qui intra centum milia intra se habitant, dies vigenti; et si infra istos dies XX quis ille pignum suum, justitiam faciens et devitum reddens, non liberaverit, et post transactos XX dies contegerit ex ipsum pignus mancipius aut quolivit piculium mori, aut humicidium aut damnum facere, aut alivi transmegrare, tunc devitor in suum damnum repotit, qui pignora sua liberare neglexit: nam si infra istos XX dies servus aut ancilla mortui fuerit, aut piculium perierit, aut humicidium aut damnum fecerit, ipse qui pigneraverit in suum damnum repotit, et proprio domino satisfaciat. Et si super centum milia inter se creditor et devitor habitaverit, tunc usque XL dierum spatia pena suprascripta costodiatur.

CCLIII. *De furtis.*

Si liber homo furtum fecerit, et in ipsum furtum temptus fuerit, fegangit sit. Si usque ad decem seliquas furtum fecerit, sibi nonum reddat, et conponat pro tali culpa solidos LXXX, aut anime suae incurrat periculum.

CCLIIII.

Si servus furtum fecerit et tentus in ipsum furtum fuerit usque ad decem seliquas, sibi nonum reddatur, excepto conponat pro culpa solidos XL, aut occidatur.

CCLV.

Si quis per proditorem, id est per certum indicatorem, furtum invenerit, sibi nonum qui furtum fecit ei restituat.

CCLVI.

Si servus dum in fuga est furtum aut damnum fecerit, et in ipsa fuga foris provincia migraverit et non redierit, tunc dominus servi medietatem pro ipsam rem quam furavit aut damnum si fecerit restituat. Nam si recressus fuerit in potestatem domini sui, tunc de quantum tollit, caput tantum, dominus ejus in integrum reddat; cessante in hoc capitulo pena furti, eo quod in fuga fecit.

CCLVII.

Si mulier libera fulfreae super furtum conprehinsa fuerit, furtum quod fecerit sibi nonum conponat, nam alia culpam non requiratur pro eo quod injuria passa est; sed vitium suum repotit, qui operam indigentem facere temptaverit.

CCLVIII.

Si aldia aut ancilla super furtum tempta fuerit, conponat dominus earum furtum ipsum sibi nonum, excepto pro culpam solidos XL.

CCLVIIII.

Si liber homo puerum aut servum suum furtu facere jusserit, et ipse furtus inventus fuerit, sibi nonum conponat, et alterum tantum ad curtem regis persolvat; quia inhonestum esse vedetur et nulli rei convenit rationi, ut homo liber se in furtum debeat misceri aut consensum prevere.

CCLX.

Si quis aurum aut vestis seu qualevit rem in viam invenerit, et super geniculum levaverit, et non manefestaverit aut ad judicem non adduxerit, sibi nonum reddat.

CCLXI.

Si servus dum ancilla aliena habens oxorem furtum fecerit, et ancillam aut filius servus alienus notrierit, omnem furtum quod fecerit servus conponat, nam nihil repotetur in culpam nec in damnositatem ancillae vel filiis ejus. Tantum est si ancilla aut filii simul cum pater ad furtum faciendum non ambolaverit; nam si fecerit, semelis illi efficiantur.

CCLXII.

Si servus dum in fuga est positus res aliquas cuilevit hominum comendaverit, posteaque proprius dominus requisiverit, et ille qui suscepit denegaverit et postea inventum fuerit, pro furtum eas reddat.

CCLXIII.

Si plures homines furtum in unum fecerent tam liberi quam servi, leceat eos si voluerent se insimul adunare, et furtum ipsum in actogild reddere. Si quis se ex ipsis deviderent, pro se tantum legibus conponat, id est ipsum furtum sibi nonum.

CCLXIIII.

Si liber aut servus voluerit foris provincia fugire, et judex, aut quicumque in finis provinciae resedit, eum preserit, teneat eum, et res quas secum detolerit salvas faciat; et mox mandit ad judicem de locum unde fugire cepit, quatinus eum recipiat, et dit pro unum fogacem solidos II, ita ut cum rebus quas secum detolerit reddatur. Et si contegerit eum de legamen fugire, preveat sagramentum ille qui eum tenuit, quod non asto eum laxassit, sed cum tota virtutem costodire voluissit; post datum sacramentum res quas ei tolit reddat, presura autem non querat, et amplius non calomnientur. Et si fugax ille manum ad legandum non dederit, et occisus fuerit, non requiratur, nisi ipsas res reddantur; et si ille qui ipsum fogacem prindere voluerit ab ipso occisus fuerit, nec ipse requiratur.

CCLXV.
De portonario qui super flumen portum custodit.

Si quis portonarium pulsaverit quod fogacem hominem aut furem transposuissit, et portonarius negaverit, ita dicernimus, ut preveat solus sagramentum quod ad conscientiam ipsius non pervenissit quod fugitibos aut fogaces transposuissit, et sit exsolutus calomnia.

CCLXVI.

Si portonarius furonem hominem sciens transposuerit cum aliquas res fortivas, collegas sit furoni, et ipsum furtum conponat; excepto sit culpavelis in curtem regis solidos XX.

CCLXVII.

Si portunarius mancipia fugitiva sciens transposuerit, si provatum fuerit, perquirat eas, et proprio domino cum rebus quas secum detolerit restituat. Et si ipsi fogaces alibi transmegraverit, ut non inveniatur, tunc portitor ipsa mancipia, simul et res de quantas ausus fuerit jurare qui perdedit, ei ab ipso qui sciens trasposuerit reddantur sub extimationem pretii, excepto pro culpa conponat ipse portitor ad curtem regis solidos XX.

CCLXVIII.

Si portonarius hominem liberum fugacem transposuerit, et cognoverit quia fugax est, anime suae incurrat periculum, aut conponat wirigild suo; quia postquam cognovit quod in fugam erat, si eum tenere non potuit, mox innotiscere aut antecurrere debuit.

CCLXVIIII.

Si mancipios cujuscumque post alium hominem fugierit, et dominus secutus invitaverit in pacem ut reddatur in gratiam, et si in gratiam redditus fuerit, et in ipsa culpa dominus in eum vindictam dederit, conponat solidos XX illi de cujus curtem eum tolit; et si dixerit quod pro ipsam culpam in eum vindictam non dedissit, preveat singolus sagramentum ad evangelia, et sit exolutus.

CCLXX.

Si quis ille, post quem mancipius alienus fugierit, et noluerit eum post secundam aut tertiam contestationem reddere, tunc constrictus restituat ipsum mancipium, et alium semilem sub extimationem pretii conponat.

CCLXXI. *De curtem regis.*

Si mancipius cujuscumque in curtem regis refugium fecerit, et gastaldius aut actor regis ipsum mancipium post secundam aut tertiam contestationem reddere dilataverit; ita jobemus, ut reddat ipsum mancipium, et alium semilem de suis propriis rebus dominum quem dilataverit reddere cogatur. Et si ille qui de curtem regis ipsum in gratia recceperit, postea pro ipsa culpa in eum vindictam dederit, conponat in curtem regis unde eum tolit solidos XL.

CCLXXII. *De ecclesia.*

Si in ecclesia aut in domum sacerdotis mancipium cujuscumque confugium fecerit, et episcopus aut sacerdus qui in loco ordinatus est eum reddere in gratia post tertiam contestationem dilataverit, ita decernimus, ut reddat ipsum mancipium, et alium semilem de suis propriis rebus, ut supra. Et si in gratiam redditus fuerit, posteaquae dominus in ipsum vindictam dederit pro ipsa culpa, aut se edoniet ut supra, aut sit culpavelis ecclesiae ipsius solidos XL; ita ut per actorem regis exegantur, et in sagrum altarium ubi injuriam facta est ponantur.

CCLXXIII.

Si servus intra provincia in fuga vagatur, et dominus eum invenerit, et servus ipse fugiens in curtem alienam et dominus ejus insequens eum, adprehinsus fuerit, non repotetur culpam domini pro eo quod in curtem alterius, fororem in servum suum habens, rem suam adprehendere visus est. Et si ille cujus curtis fuerit aut aliquis ex hominibus illius mancipium ipsum de manum tolerit aut antesteterit, nullum penitus qui servum sequitur in curtem ipsam scandalum faciat; si fecerit, qualiter in hoc Edictum legitur conponat. Et qui

servum antesteterit aut de manum tolerit, in ipsius sit periculum; nam si casum facientem contegerit mancipium ipsum mori aut alibi transmegrare, ipse qui eum de manu domini sui tolerit restituat; et si inventus fuerit, ut reddatur non cogatur dominus post tali fatigationem eum in gratia recipere, nisi si voluerit.

CCLXXIIII.

Si quis mancipium fugacem in casa sua, nescientem domino, super novem noctes habuerit, et contegerit ipsum mancipium aliquod malum penetrare, aut mori, aut aberrare, ille qui eum suscepit et celavit, aut mendare neglexit, reddat ipsum mancipium aut pretium ejus, et damnum quod fecerit ipse conponat qui eum post se habuit.

CCLXXV.

Si mancipium alienum refugium post alium fecerit, id est infraida, mox mandit domino ipsius quam citius potuerit aut per scriptum aut per certum hominem, quatenus eum in gratia recipiat; et si noluerit eum recipere, et dilataverit, et contegerit eum alibi translatare, nulla culpa illi sit qui eum prius in casa sua suscepit. Nam si susceperit et non mandaverit, reddat ipsum mancipium et damnum cui fecerit, simul et operas.

CCLXXVI.

Si quis mancipium sciens fugacem susceperit aut anonam dederit aut viam ostenderit, et mancipius ipse fuga lapsus in antea fugirit, ipse eum perquirat qui anonam dedit aut viam ostendere presumpsit: et si eum non inveuerit, reddat pretium mancipii, simul et res quas secum portavit; et si inventum fuerit, reddat ipsum et operas.

CCLXXVII.
De aistant, id est furorem.

Si quis in curte aliena irato animo ingressus fuerit, xx solidos illi conponat cui curtem fuerit.

CCLXXVIII.
De oberus, id est curtis rupture.

Mulier curtis ruptura facere non potest, quod est oberus; absurdum videtur esse ut mulier libera aut ancilla quasi vir cum armis vim facere possit.

CCLXXVIIII. *De concilio rusticanorum.*

Si servi, id est concilium rusticanorum, manu armata in vico intraverint ad malum faciendum, et quicumque liber homo sub regni nostri ditionem positus cum illis in capite fuerit, anime sue incurrat periculum, aut conponat solidos dcccc, medietatem regi, et medietatem cui injuria inlata fuerit. Servi enim qui cum ipso fuerint in eodem concilio, unusquisque xl solidos sit culpabilis, medietatem regi, et medietatem cui supra. Et si liber homo in caput non fuerit, ille prior servus qui eos conduxit moriatur; servi vero reliqui qui cum eo fuerint ex eodem concilio, unusquisque servus xl solidos pro eo conponat, medietatem regi, et medietatem cui injuria facta est.

CCLXXX.
De rusticanorum seditionem.

Si per quacumque causa homines rusticani se collegerint, id est concilios et seditionis facere presumpserint, et cuicumque se anteposuerint, et mancipium aut peculium de manu tullerint quod de casa servi sui dominus tollere voluerit: tunc ille qui in caput ex ipsis rusticis fuerit aut occidatur, aut redimat animam suam quantum adpretiatus fuerit; et unusquisque qui in ipsam seditionem cucurrerit ad malum faciendum, conponat solidos xii, medietatem regi, et medietatem cui injuria fecerit aut se anteponere presumpserit. Et si ille qui rem suam querere aut exegere videtur, ab ipsis rusticis feritas aut plagas habuerit facta, sicut superius statutum est ei conponatur; nam pro presamptione tantum, pena suprascripta patiantur. Et si aliquis ex ipsis rusticis occisus fuerit, non requiratur, quia ille qui eum occisit se defensandum et res suas vindicandum hoc egit.

CCLXXXI. *De furta et pena fenita.*

Si quis de lignario alterius lignum furaverit, conponat illi cujus lignarius fuerit solidos sex.

CCLXXXII.

Si quis de casam erectam lignum quodlevit aut scandolam furaverit, conponat solidos sex.

CCLXXXIII.

Si quis de lignamen adunatum in curtem aut in platea ad casam faciendam furaverit, conponat solidos sex; si autem in silva dispersum fuerit et furaverit, conponat in actogild.

CCLXXXIIII. *De orto.*

Si quis in orto alterius introierit aut salierit ad furtum faciendum, conponat solidos sex; nam si post suam rem ingreditur, et damnum non fecerit, non sit culpavelis.

CCLXXXV. *De iderzon.*

Si quis sepem alienam ruperit, id est iderzon, conponat solidos sex.

CCLXXXVI. *De axegias.*

Si quis axegias de sepe, id est axegiato, una aut duas tolerit, conponat solido uno.

CCLXXXVII. *De sepe stantaria.*

Si quis de sepe stantaria facta vimen tolerit, conponat solidus unum; si autem pertiga traversaria tolerit, conponat solidus tres.

CCLXXXVIII. *De plovum.*

Si quis plovum aut aratrum alienum iniquo animo cappellaverit, conponat solidos tres; et si furaverit, in actogild.

CCLXXXVIIII. *De tintinno.*

Si quis tintinno de super cavallo aut bovem furaverit, conponat solidus sex.

CCXC. *De jugum.*

Si quis jocum furaverit, conponat solidus sex.

CCXCI. *De sogas.*

Si quis sogas furaverit de bovis junctorios, conponat solidos sex; et si qualemcumque rem mediogrem, unde sex solidos aut minus in hoc Edicto sunt judicati, fur ipse supertentus fuerit, non sit figangit, nisi tantum conponat sicut constitutum est.

CCXCII. *De vitem uvarum.*

Si quis vitem expoliaverit, id est aminicula tolerit super tres aut quattuor, conponat solidos sex.

CCXCIII.
De palo, quod est carracio.

Si quis palum de vitem tolerit, conponat solidus sex.

CCXCIIII. *De vitem incisam.*

Si quis vitem de unam fossam asto capelaverit, conponat solido uno.

CCXCV. *De travicem vitis.*

Si quis travicem de vitem inciderit, conponat medio solido.

CCXCVI. *De ubas.*

Si quis super tres uvas de vinea alienam tolerit, conponat solidos sex; nam si usque tres tolerit, nulla sit illi culpa.

CCXCVII. *De ambolatorias.*

Si quis pastoriam de cavallum alienum tolerit, conponat solidos sex.

CCXCVIII. *De capistro.*

Si quis capistrum de caput cavalli tolerit, conponat solidus sex.

CCXCVIIII. *De retis.*

Si quis retis alienas aut nassas levaverit, aut in piscaria aliena piscis tolerit, conponat solidos tres.

CCC. *De arbores.*

Si quis rovere, aut cerrum, seu quercio quod est modola, hisclo quod est fagia, infra agrum alienum aut culturam seu clausuram vicinos ad vicinum inciderit, conponat per arborem tremissis duos. Nam eterans homo si propter utilitatem suam foris clausuram capelaverit, non sit culpavelis.

CCCI.

Si quis castenea, noce, pero aut melum alienum inciderit, conponat solido uno.

CCCII.

Si quis ulivo capelaverit aut socciserit, conponat solidos III.

CCCIII.

Si homo aut quislevit peculius in sepe alterius texta cum vimen se inpegerit, et mortuos aut aliquam lesionem passus fuerit, tunc ille qui sepem ipsam fecit et caput majorem aut minorem de vimen foris dimisit, ipse set culpavelis humicidii aut lesionis.

CCCIIII.

Si cavallus aut quislevit peculius in clausura alterius intus saliendum se inpalaverit, non reddatur ab ipso cujus sepem est; et si ab infra in foris salierit et se inpalaverit, tunc ille cujus sepe esse invenitur eum conponat. Et si intra ipsam clausura damnum fecerit, conponatur ei cujus clausura est.

CCCV.

Si quis fossatum circa campum suum fecerit, et cavallus aut alter peculius ibidem cecederit, aut homo peregritaverit, non requiratur ab ipso cujus fossatum invenitur esse, quia pro salvationem campi sui fecit, nam non dolose tractavit; et si eum occulte cooperierit, damnum si factum fuerit, conponatur ab ipso qui occulte fecit.

CCCVI. *De puteo.*

Si aliquit in poteo alterius cecederit, et mortuum aut debeletatum fuerit, non requiratur cujus poteus est; quia poteus aquae comunis omnium utilitatis invenitur esse.

CCCVII. *De arma.*

Si quis alii armam suam simpliciter prestaverit, et ille qui acceperit aliquid mali cum ipsam fecerit, non requiratur illi culpa qui prestetit, sed ei qui malum cum ipsa penetravit. Et contrario si ille qui prestetit consensum ad malum faciendum habuit, collegas illi sit ad ipsum malum sanandum.

CCCVIII.

Si quis suam auctoritatem arma alterius tollere presumpserit, et malum cum eam fecerit, non sit illi culpam cujus arma est, sed illi qui cum eam malum fecit.

CCCVIIII. *De fera.*

Si qua fera ab homine plagata fuerit et in ipso forore hominem occiderit aut quodlivit damnum fecerit, tunc ipse qui plagavit ipsum homicidium aut damnum conponat; sub ea vidilicit observatione, ut tamdiu intellegatur culpa venatoris, quandio eam secutus fuerit aut canis ipsius; nam si ipsa fera postposuerit et se ab ea turnaverit, posteaque fera ipsa damnum fecerit, non requiratur ab eo qui plagavit aut incitavit.

CCCX.

De pedica.

Si in peditia aut in taliola fera tenta fuerit, et in hominem aut in piculium damnum fecerit, ipse conponat qui pedica misit.

CCCXI.

Si quis super fera ab alio plagata aut in taliola tenta aut a canibus circumdata, eter suum pospo-nens, volens eam locrari, super ipsam se miserit, et ab ipsam plagatus fuerit aut occisus, non re-quiratur ab eo qui plagavit aut incitavit, sed suae culpe et audaciae repotit, qui cum auctoritatem, lograndi animo, se super eam misit.

CCCXII.

De fera inventa ab alio vulnerata.

Si quis feram ab alio vulnerata aut in taliola tenta aut a canibus circumdata invenerit, aut forsitan mortua, aut ipse occiderit et salvaverit, et bono animo manefestavarit, leceat eum de ipsa fera tol-lere dextro armo cum septem costas.

CCCXIII. *De fera celata.*

Si quis fera ab alio plagata aut forsitan mortua invenerit et celaverit, conponat solidos sex illi qui eam plagavit.

CCCXIIII. *Quamdiu fera intellegatur esse venatori.*

Si cervus aut qualevit feram ab alio hominem sagittata fuerit, tamdiu illius esse intellegatur qui eam sagittavit, usque ad aliam talem oram diei aut noctis, id est oras XXIIII quod eam posposuit et se turnavit; nam qui eam post transactas pre-dictas oras invenerit, non sit culpavelis, et habeat sibi ipsa fera.

CCCXV. *De cervo domestico.*

Si quis cervum domesticum, qui tempore suo ru-gire solit, fragiaverit, conponat dominum ejus so-lidus duodicem; nam si furaverit, in actogild reddat.

CCCXVI.

Si quis cervum domesticum alienum, qui non ru-gierit, intrigaverit, conponat dominum ejus solidos sex; nam si furaverit, conponat in actogild.

CCCXVII. *De aves domestigas.*

Si quis aceptorem, grova, aut cecinum domesti-cum alienum intrigaverit, sit culpavelis solidos sex; nam si furaverit, reddat in actogild.

CCCXVIII. *De apes.*

Si quis de apiclarem vas cum apis furaverit, unum aut plures, conponat solidos XII.

CCCXVIIII.

Si quis de arbore signatum in silva alterius apes tolerit, conponat solidus sex. Nam si signatum non fuerit, tunc quicumque invenerit jure naturali ha-beat sibi, excepto in gagio regis; et si contegerit dominum cujus silva est supervenerit, tollat mel, et amplius culpa non requiratur.

CCCXX. *De aceptores.*

Si quis de silva alterius aceptores tolerit, excepto gagio regis, habeat sibi; nam si dominus silve su-pervenerit, tollat aceptores, et amplius culpa ad-versus eum non requirat. Et hoc jobemus, si quis de gagio regis tolerit, sit culpavelis solidos XII.

CCCXXI.

Si quis de arbore signatum in silva alterius ac-ceptores de nido tolerit, conponat solidos VI.

CCCXXII.

De canes incitatus.

Si quis canes alienus clamaverit aut incitaverit, et damnum fecerit in hominem aut in peculium, non repotetur illi culpa cujus canis sunt, sed illi qui eos incitavit.

CCCXXIII. *De hominem rabiosum.*

Si peccatis eminentibus homo rabiosus aut demoniaticus factus fuerit, et damnum fecerit in hominem aut in peculium, non requiratur ab heredibus; et si ipse occisus fuerit, simili modo non requiratur: tantum est ut sine culpa non occidatur.

CCCXXIIII.

Si canis aut cavallus aut quislibit peculius rabiosus factus fuerit, et damnum fecerit in hominem aut in peculium, non requiratur a domino; et qui ipsum occiderit, simili modo non requiratur a domino ut supra.

CCCXXV.

De quadrupedia, si in hominem aut in peculium damnum fecerit, ipse conponat damnum cujus fuerit peculius.

CCCXXVI.

Si cavallo cum pede, si boves cum cornus, si porcus cum dente hominem intricaverit, aut si canes morderit, excepto, ut supra, si rabiosus fuerit, ipse conponat homicidium aut damnum cujus animalem fuerit, cessante in hoc capitolo faida, id est inimicitia, quia mutam res fecit, non homenis studium.

CCCXXVII.

De cavallo prestito aut conducto.

Si quis prestitum aut conductum cavallum aut bovem aut canem aut quolibit peculium habuerit, et dum in ipsum beneficium aut conducituram est damnum fecerit, non requiratur proprio domino; set illi, qui post se prestitum habuit, ipse humicidium aut damnum conponat.

CCCXXVIII.

Si animales alienus animalem occiderit aut intrigaverit, id est boves bovem aut quislevit peculius, tunc dominus qui animalem suum intrigatu invenerit aut forsitan jam marcitum aut minuatum, jobemus consignet ipsum intrigatum illi cujus animale intrigavit, ut semiles, qualis in illa diae fuit quando fragiatus est, recepiat ab ipso cujus animale hoc fecit.

CCCXXVIIII. *De cané furato.*

Si quis canem furaverit, sibi nonum reddat.

CCCXXX.

Si quis se vindicandum occiserit canem alienum, id est cum spada aut virga aut cum qualibet arma mano tenendo, non ei requiratur; tantum est ut ipsa virga talis inveniatur esse ut mediocres spada. Nam si post ipsum jactaverit et eum occiderit, reddat ferquidum, id est semilem.

CCCXXXI.

Si quis canem alienum noctem aut in diem damnum facientem in casam suam invenerit, si eum occiderit, non requiratur; et si occisus non fuerit, damnum quod fecerit dominus ejus reddat.

CCCXXXII. *De vacca prignantem.*

Si quis percusserit vacca prignantem, et aburtaverit, conponat tremisse uno; et si mortua fuerit, reddat eam qualiter adpretiata fuerit, simul et pecus.

CCCXXXIII. *De equa prignante.*

Si quis percusserit equa prignante et abortum fecerit, conponat solidum unum; et si mortua fuerit, redat eam, simul et pecus.

CCCXXXIIII. *De ancilla prignante.*

Si quis percusserit ancillam gravidam et avortum fecerit, conponat solidos tres; si autem ex ipsa percussura mortua fuerit, conponat eam, simul et quod in utero ejus mortuos est.

CCCXXXV.

De animale excoriato.

Si lopus animalem alienum occiderit, et aliquis eum nesciente domino excoriaverit, et celaverit, et per proditorem inventum fuerit, conponat solidos duodicem.

CCCXXXVI.

Si in flumen animal mortuum fuerit aut ubicumque, et alium hominem cujus non fuit eum excoriaverit, conponat solidos XII.

CCCXXXVII. *De cavallo plagato.*

Si quis cavallum alienum aurem aut oculum excusserit aut aliquam lesionem corporis fecerit, recepiat ipsum qui lesus factus est, et reddat ei ferquido, id est semilem.

CCCXXXVIII. *De coda cavalli.*

Si quis cavallum alienum coda cappelaverit, id est seta tantum, conponat solidus sex.

CCCXXXVIIII.

Si quis caballum alienum plagaverit aut aliqua lesionem fecerit, tunc dominus illius cavalli retradat cavallum ipsum illi homeni qui ei lesionem fecit, et ipse eum sanit; et dum ipso sanare potuerit, dit illi suo proprio cavallo, qualiter usque suam faciat utilitatem. Et si cavallus qui lesus fuet ad pristinam redierit sanitatem, reddat ipsum proprio domino; si autem ex ipsa lesionem mortuos fuerit, reddat alium semilem. Et si contegerit ut ipse cavallus qui pigneratus est post ipsum moriatur, tunc satisfaciat ille qui eum pigneratum habuit, si pulsatus fuerit, quia non per illius neglecto mortuos fuet; postea nulla sit repetitio.

CCCXL.

Si quis cavallum alienum ascenderit, et infra vicinia tantum cavalegaverit, id est prope ipsum vicum, conponat solidos II; nam si in antea eum cavalegare presumpserit, et dominum non rogaverit, in actogild reddat.

CCCXLI. *De disfigurato cavallo.*

Si quis cavallum alienum preserit, ipsumque disfiguraverit et cercinaverit, furto pena sit culpavelis, id est in actogild sibi nonum.

CCCXLII.

Si quis cavallum alienum aut quislevit peculius, credens suum, preserit, et dominus proprium eum cognoverit, calomniaquae generare voluerit: ita decernimus, ut preveat sagramentum ille qui eum tenuit, quia non asto nec aliqua causa facientem eum presit, sed crededit suum fuisse, et sit exulutus a culpa furti, et reddat cavallum proprio domino inlesus; si autem non presumpserit jurare, reddat eum in actogild, quia postquam cognovit quod suum non fuit, mox debuit proprio domino innotescere: nam si eum, postquam cognoverit quod suos non fuit, ascinderit, sit culpavelis, ut supra, solidus duo.

CCCXLIII. *De piculio in damno invento.*

Si quis cavallum alienum aut quolivit peculium damnum facientem invenerit, ipsumque in curtem inclauserit, et non venerit certus dominus qui eum cognuscat: tunc ille qui eum in damnum invenit ducat eum ad judicem qui in loco ordinatus est, aut certe ante ecclesia in convento, usque quartam et quintam vicem, et omnibus vocem pregonia innotiscat, quia *Cavallum inveni, et nescio cujus sit.* Et si non venerit qui eum cognuscat, jovemus ut ille qui eum invenit cavalecit et costodiat tamquam suum proprium, et si mortuus fuerit signa de ipso corio conservit, ut cum venerit certus dominus, habeat quod ei ostenderit: nam si ista negleterit et inventum fuerit, sibi nonum eum reddat; et si iste cautela observaverit, erit exolutus a calomnia.

CCCXLIIII. *De piculio asto in damno misso.*

Si quis cavallos aut armenta asto animo in messem alienam aut in prato vel in quolevit damnum miserit, conponat per caput solidum unum, excepto damnum sicut arbitratum fuerit et loci consuetudo est: sic tamen si pastor non ausaverit jurare quod asto animo non misissit; et si juraverit, sit exolutus a culpa, damnum autem conponat.

CCCXLV.

Si quis porco aut pecoras asto animo in damnum alterius miserit, et si non ausaverit jurare, conponat solido unum, excepto damnum.

CCCXLVI.

Si quis peculium de damnum ad clausuram minaverit, et ille cui peculius est ei antesteterit, conponat solidum unum, excepto damnum ut arbitratum fuerit. Et si in curte permenaverit, tunc ille cujus peculius est rogit eum ut reddatur, sic tamen ut dit pignus per ultimum valente seliquas tres, aut certe fidejussorem sub tali titulo, ut damnum quod arbitratum fuerit conponatur, aut favola quod inter vicinus est; et si pignus suscepere noluerit, et unam noctem peculium post se tenuerit, conponat solido uno. Et si ille cujus peculius est tenens duritiam cordis eum liberare dispexerit, tunc habeat eum ille qui in damnum invenit novem noctis, tantum aqua ei dit, et de damnum in hoc sibi sit contemptus, eo quod novem noctis ipsum peculium tenuit. Et si ex ipsum peculium aliquid mortuum fuerit, neglegentiae suae repotit qui dispignerare neglexit.

CCCXLVII.

Si hominem eterantem cavallus aut quislevit peculius secutus fuerit, et ille quem sequitur in ligamen aut in clausura eum miserit, ipse eum salvum faciat, sicut supra constitutum est, et veniente proprio domino restituat; nam si sequere cepit et se de via turnavit, nulla sit culpa illi quem sequere cepit.

CCCXLVIII.

Si quis ab alio hominem rogatus fuerit cavallum aut qualivit peculium querere, signaque ei dictaverit, et ille forsitan qui rogatus est cavallum alie-

num aut peculium per errorem preserit, si venerit proprius dominus, et calomnia generare voluerit, ita prospeximus, ut ille qui eum per errorem tenuit preveat sagramentum quia credidit ipsum esse unde rogatus fuerat; tunc reddat cavallus, et amplius calomnia non generetur, si eum male non tractaverit. Et si non venerit proprius dominus, reddat eum illi de quem ipsum tolit, ut ipse iterum juxta legem, sicut supra decretum est, conservit.

CCCXLVIIII. *De porcus.*

Si porcus in isca alterius paverent et inventi fuerent, si minus sunt de decem, non occidatur neque unus ex ipsis, sed ille qui eos invenerit teneat unum ex ipsis et habeat salvum, et conponatur ei per porco seliquas tres. Nam si supra fuerent de decem et usque ad decem, occidatur unum mediocrem, et non requiratur; nisi si minus fuerint de decem, et occiderit, reddatur ferquido.

CCCL.

Si quis in pratu porcus fossas facientem invenerit unum aut plures, occidatur unum tantum, et non requiratur.

CCCLI. *De verre.*

Si quis verrem alienum furaverit, conponat solidos duodicem. Ipsum dicitur sonorpair, qui omnes alios verres in gregis battit et vincit. Tamen in unam gregem, quamvis multitudo porcorum fuerit, unus conpotetur sonorpair; nam si minor grex de trigenta capita fuerit, non repotetur sonorpair, nisi si xxx aut super fuerent. Et si in damnum ipse sonorpair occisus fuerit, aut semilem aut meliorem ipse qui occiderit restituat, et damnum ei conponatur; nam si alii verres aut porci furati fuerent, in actogild reddantur.

CCCLII. *De porcario battudo.*

Si quis porcario de homine libero battederit, ipse qui de curtem ipsius exit, nam non de casa massari, conponat solidos xx: tantum est ut porcarius ipse ferita prius non faciat aut scandalum comittat; nam si fecerit plagas aut feritas, arbitretur et conponantur.

CCCLIII.

Si duo porcarii inter se battederent aut scandalum comiserent, plagas aut feritas conponatur, nam alia culpa non requiratur.

CCCLIIII. *De campo alieno arato.*

Si quis campum alienum araverit sciens non suum, aut semente spargere presumpserit, perdat opera et frugis; et ille qui campum suum conprovaverit, habeat frugis.

CCCLV. *De campo exarato.*

Si quis exaraverit campum alienum seminatum, et suum non potuerit provare, alio tantum frugis quod devastavit proprio domino reddat, et pro incautam presumptionem conponat solidos sex.

CCCLVI. *De prato secato aut exarato.*

Si quis pratum alienum segaverit aut exaraverit, et fenum reddat, et pro inlecita presumptione conponat solidos sex.

CCCLVII.

Si quis campum alienum asto cum piculium suum delierit aut spicas manibus evellerit, conponat solidus sex.

CCCLVIII.

Nulli sit licentia eterantibus erba negare, excepto prato intacto tempore suo, aut messem. Post fenum aut frugis collectus tantum vindicit cujus terra est, quantum cum clausuram suam potest defendere. Nam si cavallus iter facientibus de stupla, aut de ipsa pascua ubi alia peculia pascent, movere presumpserit, in actogild ipsus cavallus conponat, pro eo quod ipsos de arvo campo, quod est fonsaccri, movere presumpsit.

CCCLVIIII. *De sacramentis.*

Si qualiscumque causa inter homines liberos evenerit, et sacramentum dandum fuerent, si usque ad vigenti solidos fuerit causa ipsa aut amplius, ad evangelia sancta jurit cum xii aidos suos, id est sacramentales: ita ut sex illi nominentur ab illo qui pulsat, et septimus sit ille qui pulsatur, et quinque quales voluerit liberos, ut sint duodicem. Quod si minor fuerit causa de vigenti solidis, usque ad duodicem, sibi sextus jurit ad arma sacrata; tres ei nominit qui pulsat, et duos liberos sibi elegat qualis voluerit qui pulsatur, et sextus sit ipse. Et si minor fuerit causa de duodicem solidis, sibi tertius juret ad arma; unum ei nominit, et alium sibi querat, et tertius sit ipse.

CCCLX. *De wadia et fidejussorem.*

Si quis alii wadia et fidejussorem de sacramentom dederit, per omnia quod per wadia oblegavit adinpleat. Et ille qui pulsat, et ille qui pulsatur et wadia susceptt, proximiores sacramentales qui nascendo sunt deveat nominare; tantum est, excepto illum qui gravem inimicitia cum ipsum qui pulsat comissam habit, idest qui plaga ei fecit, aut in

mortem consensit, aut res suas alii thingavit, ipse non potest esse sagramentales quamvis proximus sit, eo quod nimicus aut extraneus invenitur esse.

CCCLXI.

Si quis alii pro quacumque causa wadia et fidijussore de sacramento dederit, dit ei spacium usque ad duodicem noctis ad ipsum sacramentum dandum; et si forsitan, propter egritudinem aut aliam causam supervenientem, in praedictum constitutum non potuerit jurare, suspendatur causam usque ad alias duodecim noctis. Et si nec tunc conpleverit, et totum annum unum volontariae dilataverit, et sacramentum non dederit, tunc rem ipsam unde agitur amittat, et ille adquerat qui wadia suscepit. Et contrario si ille qui wadia susceperit dilataverit sacramentum audire, et anno toto protraxerit, post transacti anni spatium nulla et in posterum habeat fagundiam de ipsam rem loquendi, sed ille qui paratus fuit sacramentum dare firmiter possideat.

CCCLXII. *Si post sacramentum judicatum aliquis moriatur.*

Si contegerit homini post datum fidejussore de sacramentum et sagramentales nominatus mori, et filius dimiserit, posteaque ille qui causam querit pulsaverit filius, dicendo, quia *Quidquid pater per wadia et fidejussorem obligavit, filius conplere debent*; tunc necesse est filius, quamvis virtutem minorem habeant a patre, aut per sagramentum negare quod pater eorum non promisissit, aut certe quod pater eorum spopondit adinpleat. Et si aliquis de ipsos sacramentalis mortuos fuerit, potestatem habeat ille qui pulsat in locum mortui alium semilem nominare de proximos legetimos, aut de natos, aut de gamahalos, id est confabulatus. Et si dixerit qui pulsat quod sacramentum ruptum fuissit, preveat sagramentum qui negat, si ausus fuerit, quia neque patri neque ipsius sagramentom ruptus non fuissit: postea jurit sicut supra constitutum est.

CCCLXIII. *De sacramentum ruptum.*

Sacramentum tunc intellegitur ruptum, quando presentes sacrosancta evangelia aut arma sacrata ipse qui pulsatur cum sacramentales suos conjunxerit, et non ausaverit jurare, aut ipse aut aliquis de sacramentalibus suis se subtraxerint, tunc intellegitur sagramentum ruptum.

CCCLXIIII. *De eo qui prius manefestaverit, et sagramentum promittit.*

Si pro quacumque culpa homo pulsatus fuerit ab alio, et negaverit, leceat eum se edoniare secundum legem et secundum qualitatem causae. Si autem manefestaverit se fecisse, conponat secundum qualiter in hoc Edictum legitur; nam nulli leceat, postquam prius manefestaverit, postea per sagramentum negare quod non sit culpavelis, postquam ipse se culpavilem adsignat. Quia multos cognovimus in regno nostro tales pravas opponentes intentiones, hec nos moverunt presentem corregere legem et ad meliorem statum revocare.

CCCLXV.
De devitum patris mortui.

Si quis post mortem patris filium de devitum appellaverit, quod pater debitor fuissit, et filius negaverit, ita dicernimus, ut preveat filius sacramentum, secundum qualitatem pecuniae unde pulsatur, quod pater ipsius ei debitor non fuissit, aut per pugna defendere si potuerit.

CCCLXVI.

Si aliqua inter creditorem, et devitorem atque fidejussorem surrexerit intentio, et dixerit creditor, quia *In tali pretexto wadia suscepi*, et fidejussor negaverit; non est causa fidejussoris sagramentum preveri, nisi devitor singolus satisfaciat ad evangelia aut ad arma, quia *In tali capitulo nec wadia dedi nec fidejussore posui.*

CCCLXVII. *De waregang.*

Omnes waregang, qui de exterras finis in regni nostri finibus advenerit, sequens sub scutum potestatis nostre subdederint, legibus nostris Langobardorum vivere deveant, nisi si aliam legem ad pietatem nostram meruerent. Si filius legitimus habuerint, heredes eorum existant sicut et filii Langobardorum; si filius legitimus non habuerint, non sit illi potestas absque jussionem regis res suas cuicumque thingare, aut per quodlibit titulum alienare.

CCCLXVIII. *De camphionibus.*

Nullus camphio presumat, quando ad pugnando contra alio vadit, herbas quod ad maleficias pertinit super se habere, nec alias tales semelis res, nisi tantum arma sua que convenit; et si suspicio fuerit, quod eas occulte habeat, inquiratur ad judicem, et si inventas super eum fuerit, evellantur et jactentur: et post ipsam inquisitionem tendat manum ipse camphio in manum parentis aut conlibertis, aut ante judicem satisfaciens dicat, quod nullam talem rem quod ad maleficiam pertinit super se habeat; tunc vadat ad certamen.

CCCLXVIIII. *De causas regales.*

Omnes vero regales causas, quae ad manum regis perteneunt, unde conpositio expectatur aut culpa queritur, duplicetur secundum antiquam consuitutinem conpositio, excepto mundio de mulieris, aut morh, aut alias que semilis sunt, unde noningenti

soledi judicantur, quas in suum vigorem constituimus permanere; reliquas vero omnes, ut predixemus, in dubblum exegantur.

CCCLXX.

Si servus regi morh fecerit, ita decrevimus, ut conponatur ipsa persona sicut adpraetiatus fuerit, et servus ipse super fossam ipsius mortui adpendatur, et in eum vindicta detur, et sit causa finita.

CCCLXXI.

De alias vero causas, unde liberi aut servi alienorum hominum noningentos solidos fiunt culpavelis, id est de muliere libera si via antesteterit aut injuriam fecerit, seu de gregis equarum aut porcorum pigneratos, vel reliquas quae semelis sunt, unde et prefati sumus nongenti solidi queruntur, de qua supra in hoc Edictum constituimus, servus regi si fecerit, anime sue incurrat periculum, et DCCCC solidi non requiratur ad curtem regis.

CCCLXXII.

Si servus regi furtum fecerit, reddat in actogild, et non sit figang.

CCCLXXIII.

Si servus regi hoberus, aut wacuor, seu marahworf, aut qualibit alia culpa minorem fecerit, ita conponat, sicut aliorum exercitalium quae supra decreta sunt conponuntur.

CCCLXXIIII. *De sculdahis.*

Si quis sculdahis aut actorem regis occiserit utilitatem regis facientem, adpretietur pro libero hominem, sicut in hoc Edictum legitur, et parentibus legetimis conponatur, excepto in curtem regis conponat qui eum occiderit solidos octugenta. Et si battutus fuerit aut legatus, similiter conponatur pro liberum hominem aut secundum nationem suam, sicut in hoc Edictum constitutum est; excepto in curtem regis pro culpa solidos octugenta.

CCCLXXV.

Si gastaldius aut quicumque actor regis, post suscepta aut comissas ad gobernandum curtis regis et causas regias, si aliquit per gairethinx, id est donationem, ab alio quemque factam conquesierit, sit illi stabilem si per preceptionem indulgentiae regis in eum fuerit confirmatum; alioquin quidquid, ut predictum est, post suscepta administrationem per per gairethinx adquisiverit, hoc totum regi adquirat, et non suum proprium nomine vindicet nec ipse nec heredis ipsius.

CCCLXXVI.

Nullus presumat aldiam alienam aut ancillam quasi strigam, quem dicunt mascam, occidere; quod christianis mentibus nullatinus credendum est nec possevilem, ut mulier hominem vivum intrinsecus possit comedere. Si quis de cetero talem inlecitam et nefandam rem penetrare presumpserit, si aldia occiserit, conponat pro statum ejus solidos LX, et insuper addat pro culpa solidos C, medietatem regi, et medietatem cui aldia fuerit; si autem ancilla fuerit, conponat pro statum ejus ut supra constitutum est si ministiriales aut rustiga fuerit, insuper pro culpa solidos LX, medietatem regi, et medietatem cujus ancilla fuerit. Si vero judex huic opus malum penetrare jusserit, ipse de suo proprio pena suprascripta conponat.

CCCLXXVII.

Si quis hominem liberum unum oculum habentem ipsum excusserit, duas partis pretii ipsius quod adpretiatus fuerit si eum occidissit ei conponat. Si autem aldium aut servum alienum unum occulum habentem ipsum excusserit, conponat eum pro mortuum.

CCCLXXVIII.

Si mulier libera in scandalo cocurrerit ubi veri litigant, si plagam aut feritam facta habuerit aut forsitan inpincta fuerit aut occisam, adpretietur secundum nobilitatem suam, et sic conponatur tamquam si in fratrem ipsius mulieris perpetratum fuissit; nam alia culpa pro injuriam suam, unde DCCCC solidi judicantur, conponere non requirantur, eo quod ipsam ad litem cocurrit, quod inhonestum est mulieribus facere.

CCCLXXVIIII.

Si quis cassinam aut tectum alienum foris curtem ubi vir non habitat, dum intentio fuerit de terra, disturbaverit aut in terram jactaverit, et terram suam, sicut lex habit, convincere non potuerit, restaurit ipsam cassinam, et conponat aliam talem sub extimationem pretii; nam si casa ubi habitatur disturbaverit, conponat sicut in hoc Edictum legitur aratraibus.

CCCLXXX.

Si quis peculium suum de clausuram alienam occulte tolerit, et non rogaverit, conponat curtis rupture, id est overos, solidos XX.

CCCLXXXI.

Si quis alium per fororem arga clamaverit, et negare non potuerit, et dixerit quod per fororem

dixissit: tunc juratus dicat quod eum arga non cognovissit; postea conponat pro ipsum injuriosum verbum solidos XII. Et si perseveraverit, convincat per pugnam si potuerit, aut certe conponat ut supra.

CCCLXXXII.

Si quis hominem liberum inpegerit ut cadat, conponat solidos VI, sic tamen si alteram lesionem in corpore ipsius non fecerit; si autem eum inpegerit et non cecederit, conponat solidos III.

CCCLXXXIII.

Si quis hominem liberum, surgentem rexa, per barbas aut capillos traxerit, conponat solidos VI; si aldium aut ministirialem seu servo rustigano per barbas aut capillos traxerit, conponat sicut pro ferita una.

CCCLXXXIIII. *De brachio, coxa, seu tibia rupta.*

Si quis homini libero brachio super govito, hoc est murioth, ruperit, conponat solidos XX; si autem subtus gomitum, quod est treno, conponat solidos XVI. Si coxa ruperit super geniculum, hoc est lagi, conponat solidos XX; si subtus geniculum, quod est tibia, conponat solidos XVI. Si vero semus aut clodus fuerit, conponat, sicut in hoc Edictum legitur, quartam partem.

CCCLXXXV. *De mundio puelle et de devitum.*

Si mundio de puella libera, parentis mortuos, ad curtem regis ceciderit, et pater vel frater devitum demiserit, in quoda portionem patri vel fratris heredis successerit, ita et devitum persolvat. Simili modo et si naturales filii fuerent.

CCCLXXXVI.

Presentis vero dispositionis nostrae Edictum, quem, Deo propitio, cum summo studio et summis vigiliis a celestem faborem prestetis, inquirentes et rememorantes antiquas legis patrum nostrorum quae scripte non erant, condedimus; et quod pro commune omnium gentis nostre utilitatibus expediunt, pari consilio conparique consensum, cum primatus, judices, cunctoque felicissimum exercitum nostrum, augentis constituimus, in hoc membranum scribere jussimus pertractantes. Et sub hoc tamen capitulo reservantes, ut quod adhuc, annuentem divinam clementiam, per suptilem inquisitionem de antiquas legis Langobardorum tam per nosmetipsos quam per antiquos memorare potueremus, in hoc Edictum subjungere deveamus addentes, quin etiam et per gairethinx secundo ritus gentes nostre confirmantes, ut sit haec lex firma et stabelis: quatinus nostris filicissimis et futuris temporibus firmiter et inviolabiliter ab omnibus nostris subjectis costodiatur.

CCCLXXXVII.

Si quis hominem liberum casum facientem nolendo occiderit, conponat eum sicut adpretiatus fuerit, et faida non requiratur, eo quod nolendo fecit.

CCCLXXXVIII.

Et hoc addimus hac decernimus, ut causas que fenitas sunt non revolvantur; quae autem non sunt fenitas, et a presente vigisima secunda die minsis hujus novembris, indictione secunda, incoatae aut commute fuerit, per hoc Edictum incidantur et finiantur.

Et hoc generaliter damus in mandatis, ne aliqua fraus per vicium scriptorum in hoc Edictum adibeatur, si aliqua fuerit intentio nulla alia exemplaria credatur aut suscipiatur, nisi quod per manus Ansoald notario nostro scriptum aut recognitum seu requisitum fuerit, qui per nostram jussionem scripsit.

EXPLICIT

EDICTUM

ROTHARIS REGIS.

INCIPIT

EDICTUM

GRIMOWALDI REGIS.

(Mense julio, anno DCLXVIII.)

Superiore pagina hujus Edicti legitur, ita quod adhuc annuente Domino memorare potueremus de sincolas causas que in presente non sunt adficte, in hoc Edictum adjungere deveamus; ita ut causas que judicate et fenitae sunt non revolvantur. Ideo ego vir excellentissimus Grimowald, *gens Langobardorum rex, anno, Deo propitio, sexto regni mei, minse julio, indictione undecima, per sucgestione judicum omniumque consensu ea, quae illis dura et impia in hoc Edictum visa sunt, ad meliorem statum et clementiorem remedium corregere et revocare previdemus, id est*

CAP. I.

De trigenta annorum isocapione.

Si servus aut ancilla per trigenta annis, qualiter rei veritas cognita fuerit per trigenta annis dominis suis servisse, et per supervia aut injusta patrocinia se voluerit de domino suo proprio per pugna vindicare, nullatinus ei permittimus, set serviat sicut decit servus aut ancilla proprio domino suo. Similiter et si aldius fuerit, inpendat obedientia patrono suo sicut per trigenta annos fecit, et ei nova a domino suo amplius non inponatur, sed leciat eum res suas habere quas per trigenta annorum spatia juste possedit.

II.

De liberis de quibus constat xxx annis in libertate sua permansissit, nulla per pugna patiatur violentia, sed leciat eis in libertatem suam permanere; et si eos quicumque pulsaverit, leceat illis cum sacramentalibus suis legetimis se edoniare.

III. *De culpa servorum.*

Si servus talem culpam fecerit, unde dcccc solidi, quae in hoc Edictum scripti sunt, judicantur ut dominus pro servo deverit conponere, et hoc ampotare jussimus; ut si factum fuerit, nihil aliut conponat dominus ejus, nisi ipsa persona tradat ad occidendum, et conponat pro inlecita causa quod servus penetravit solidos lx: amplius non requiratur. Et si ipse servus fuga lapsus fuerit, et non potuerit dominus ejus eum invenire, dit pro ipso servo qui fuga petiit aut se dilatavit solidos xx; et preveat sacramentum dominus ejus quod non potuissit ipsum servum invenire; et si quandocumque inventus fuerit, tradat eum ut supra ad moriendum, et recipiat solidos xx quos pro fugam ipsius dedit; nam sexagenta solidos conponat pro culpa quam servus fecit. Et si servus expolia homenis sepulti de sepulturam tolerit, de quantum tolit dominus ejus reddat, et conponat, ut dictum est, solidos lx, et persona tradatur ad moriendum.

IIII.

De trigenta annorum possessionem pretiorum.

Si quis per triginta annis possederit casas, familias, vel terras, et cognitum fuerit quia ejus possessio fuit, post trigenta annorum curricula pugnam non proveniat, nisi ipse qui possedit secundum qualitatem pecuniae cum sacramentales suos se defendat; nam per pugnam, ut dictum est, non faticetur.

V.

De successione nepotum, qui post mortem patris in sino habi remanserit.

Si quis habuerit filius legetimus duos aut plures, et contegerit unum ex filiis vivente patre mori, et reliquerit filius legitimus unum aut plures, et contegerit habo mori: talem partem percipiat de substantia abi sui una cum patruis suis, quale pater eorum inter fratribus suis percepturus erat si vivus fuissit. Similiter et si filias legitimas unam aut plures, aut filii naturales unum aut plures fuerent, habeant legem suam sicut in hoc Edictum legitur. Quia inhumanum et impium nobis vedetur, ut pro tali causa exhereditentur filii ab hereditatem patris sui, pro eo quod pater eorum in senu avi mortuos

est; sed ex omnibus, ut supra, aequalem cum patruis suis in locum patris post mortem avi percipiant portionem. Similiter et si legitimi non fuerent, et naturales inventus fuerit unum aut plures, habeant legem suam, id est tertiam partem ex omnibus.

VI. *De oxoribus dimittendis.*

Si quis oxorem suam absque culpam legitimam posposuerit, et alia in domo superinduxerit, conponat solidos quingentos, mediaetatem regi, et medietatem parentibus mulieris; mundio vero ejus mulieris, quam postposuit, amittat. Et si noluerit ad maritum suum reverti, revertatur ad parentes suos cum rebus suis, et mundium [ejus sit in potestatem regi, quod illi placuerit hoc faciat].

VII.
De crimen oxoris.

Si quis oxorem suam incriminaverit asto sine causa legetimam quasi adulterassit, aut in anima mariti sui tractassit, leceat illi mulieri per sagramenta parentum aut per pugnam se mundare. Et si purificata fuerit, tunc maritus ejus preveat sagramentum cum parentibus suis legetimis sibi duodecimus, quia non asto animo nec dolose ei crimen injecit ut eam deverit dimittere, nisi per certam suspectionem et auditum habuissit haec verba; et si haec fecerit, sit exolutus a culpa. Et si non fuerit ausus jurare, conponat widrigild ipsius mulieris tamquam si fratrem ejus occidissit, medietatem regi, et medietatem parentibus mulieris.

VIII.

Si mulier aut puella notum habuerit quemcumque habere oxorem, et super ipsam introierit, et tolerit ei maritum non suum: jubemus ut omnes res suas perdat ipsa mulier, qui sciendo alterius marito volontariae consensit, et medietatem de rebus ejus accipiat curtis regia, et medietatem parentibus; et illam priorem mulierem recipiat maritos suos, et colat eam ut decit oxorem legetimam. Illa autem vitium suum repotit quae super alienam oxorem introire presumpsit, et nihil ei conponatur, et faida non requiratur.

VIIII.

Si ancilla furtum fecerit, conponat dominus ejus furtum ipsum sibi nonum tantum; nam quadragenta solidi, unde in hoc Edictum legitur pro culpa, quod est fegang, non requiratur neque exegatur a domino ancillae.

EXPLICIT

EDICTUM

GRIMOWALDI REGIS.

INCIPIT

EDICTUM

LIUTPRANDI REGIS

DE ANNO PRIMO.

I. De successione filiarum.
II. De filias nupto traditas, et alias in casa relictas.
III. Si quis Langobardus sorores reliquerit.
IIII. Si sorores et filie in capillos in casa relicte fuerint.
V. De filias et sorores qui contra voluntate patris egerit.
VI. De licentias tribuendam infirmitatem de rebus suis judicandi.

DE ANNO QUINTO.

VII. De morgincapud mulieris.
VIII. De causas inter collivertos et testes.
VIIII. De libertis qui in manu regis traduntur.
X. Si quis servum aut ancillam liberos dimiserit.
XI. Si servus dum in fuga est furtum fecerit.
XII. De puella que intra etate est.
XIII. De occisione hominis liberi et colliberti.
XIIII. De sororibus, qualiter una ad altera succedat.

DE ANNO OCTABO.

XV. De wadia data et fidejussore posito.
XVI. De solidos commendatos.
XVII. De occisione fratrum.
XVIII. De negotiatoribus et magistris.

DE ANNO NONO.

XVIIII. De quanti anni sit legitima etas.
XX. De homicidium se defendendum factum.
XXI. Si servus cum voluntate domini sui liberum hominem occiderit.
XXII. De mulieres qui res suas consentiente viro suo vendere voluerit.
XXIII. Si quis servum vel ancilla in ecclesia liberum dimiserit.
XXIIII. Si mulier libera servum tulerit.
XXV. Si quis causa habuerit, et sculdahis suo eam notam fecerit.
XXVI. Si homines de sub uno judice, de duobus tamen sculdahis, causa habuerit.
XXVII. Si quis in aliam civitatem causam habuerit.
XXVIII. Si quis causam habuerit, et sculdahis ad id secundum Edicti tinore judicaverit.

XXVIIII. Si mulier res suas vendere voluerit, non absconso vendat.

DE ANNO UNDECIMO.

XXX. De his feminibus, qui velamen sancte religionis in se accipiunt.
XXXI. De raptu feminarum secularium.
XXXII. De eo qui inlicito matrimonio nascuntur.
XXXIII. Ut nullus presumat relicta de consobrino suo uxorem ducere.
XXXIIII. Ut nullus presumat cummatrem suam uxorem ducere, nec filias de fonte.
XXXV. De eo qui contra judicem suum seditionem levaverit.
XXXVI. De wadia data et non recepta.
XXXVII. De wadia rapta.
XXXVIII. De eo qui wadiam dederit, et voluerit eam per fidejussorem recipere.
XXXVIIII. De eo qui fidemjussori antesteterit.
XL. De wadia data et fidejussore pignerato.
XLI. Si quis alium ante constitutum pignoraverit.
XLII. De trewas inter discordes tultas.
XLIII. De donationes.
XLIIII. De servum fugacem et advena hominem.
XLV. De astalaria cappellata.
XLVI. De fossatu in terra alterius factum.
XLVII. De sepe in terra alterius missa.
XLVIII. De libero homine foris provincia venduto.
XLVIIII. De servo foris provincia venduto.
L. De servo alieno in sacramento misso.
LI. De servo alieno in manu regi dato.
LII. De servo alieno libero dimisso.
LIII. De servo alieno clericato.

DE ANNO DUODECIMO.

LIIII. De cartula donationis per gairethinx suscepto launegild facto.
LV. De servum fulfreald thingatum.
LVI. Si quis alium de furto pulsaverit.
LVII. De devito facto et res venundata.
LVIII. De infante infra etatem si res suas vendiderit.
LVIIII. De castaldium vel actorem regis, si sine ipsius voluntate aliquid dederit ex curte ejus.
LX. De aldium qui cum libera mulierem aut puella fornicaverit.
LXI. Si wadia de sacramento data fuerit.
LXII. De eo qui se defendendum hominem occiderit.
LXIII. De testibus falsis.

LXIIII. De servis qui amodo in furtum conprehenduntur.

DE ANNO TERTIODECIMO.

LXV. De eo qui filia in capillo in casa habuerit.
LXVI. Si quis uxorem de servo vel aldione suo, vivente ipso, tulerit.
LXVII. De cautione facta, et nihil obligata.
LXVIII. De aldionibus.
LXVIIII. Si aldius cujuscumque, nesciente domino ejus, in casa habuerit.

DE ANNO QUARTODECIMO.

LXX. De quadraginta annorum possessione inter fratres.
LXXI. De asto conpellato.
LXXII. Si quis consilium dederit perjurandi.
LXXIII. De donatione que sine launigild sit factum.
LXXIIII. Si infans dum intra etate est res suas cum fratribus aut cum parentibus suis dividere voluerit.
LXXV. De infante dum infra etate est causa habente.
LXXVI. De femina religiosa.
LXXVII. Si duo fratres aut pater et filius thingati, et aliquis ex ipsis mortuus sine heredes fuerit.
LXXVIII. De possessione qui aliquid de publico habet.
LXXVIIII. De caballo in mercato conparato.
LXXX. De furonibus qualiter judex hordinaverit.
LXXXI. De caballo aut alias res perditas.
LXXXII. De boves et carro in silba alterius.
LXXXIII. De judicibus, quantos homines de exercitu dimittat.

DE ANNO QUINTODECIMO.

LXXXIIII. De eos qui ad ariolos ambulaverint.
LXXXV. De judice qui in loco prefuit, si neglexerit ariolos perquirere.
LXXXVI. De caballo in damno invento.
LXXXVII. De servo aut aldione, qui res domini sui naufragiaverit aut venundedit.
LXXXVIII. De servis fugacibus.
LXXXVIIII. De meta conjugis sui datam.
XC. De res malo ordine possessa.
XCI. De scribis qui cartula scribunt.
XCII. Si quis liber homo in terra alterius sederit.
XCIII. Si quis mundiata alterius in sacramentum miserit.
XCIIII. De frea alterius movita.

XCV. De ancilla per religionis causa mutata.

DE ANNO SEXTODECIMO.

XCVI. De eo qui pro causa sua aliquid judici vel fideli regis dederit.

XCVII. De eo qui pulsat quod servus aut aldius ejus aliquid mali fecisset.

XCVIII. De ancilla liberta, si servum tulerit maritum.

XCVIIII. De puero intra etate, ut non possit regi donare.

C. Non liceat mulierem viduam ante anni spatium velamen sancte religionis suscipere.

CI. De muliere quae velamen sanctum susceperit.

CII. De eo qui filias legitimas habuerit, ut habeat licentiam aliquid eis conferri.

CIII. Nulli sit licentia mulieri sue dare de rebus suis, nisi quantum in die votorum.

DE ANNO SEPTIMODECIMO.

CIIII. De servo qui uxorem habet, et aliam superinduxerit.

CV. De his qui de inlicito matrimonio ante tempus nati sunt, cum fratres sui eis portionem suam volontatem dederit.

CVI. De eo qui aldiane aliena aut sua uxorem tulerit.

CVII. De homines qui inter se cartulas convenientie faciunt.

CVIII. De fidejussorem aut debitore pignorato.

CVIIII. De licentias tributas per boves aut caballos pignerato.

CX. De servo aut ancilla loco pignoris tenendo si furtum fecerit.

CXI. De servo aut aldione per culludio presso.

CXII. De puellas, ut non liceat ante duodecim annos expletos maritum ducere.

CXIII. Ut liceat Langobardum filium suum meliorare in aliquo.

CXIIII. De puella quae sine voluntate parentum ad maritum ambulaverit.

CXV. Si quis possiderit qualecumque rem per cartulam falsam.

CXVI. De terra commendata.

DE ANNO NONODECIMO.

CXVII. Ut infans intra etatem potestatem habeat sponsalia facere.

CXVIII. De eo homine qui in lecto suo defunctus est, et parentes dicunt quod per venenum mortuus sit.

CXVIIII. Si quis filiam suam aut sororem sponsare voluerit, habeat potestatem.

CXX. Si quis fream suam male tractaverit.

CXXI. Si quis quomodo inventus fuerit cum uxore aliena turpiter conversari.

CXXII. Si quis uxorem alienam vivente marito ejus sponsare voluerit.

CXXIII. Si homo liber aut mulier aut puella per bactitura ponderosus factus fuerit.

CXXIIII. Si aldius aut aldia, servus vel ancilla per bactitura ponderosi facti fuerit.

CXXV. Si quis mulierem aut puellam liberam ad necessitatem corporis sui sedentem pungere presumpserit.

CXXVI. Si aldius cujuscumque aldiam alterius tulerit uxorem.

CXXVII. Si Romanus tulerit Langobardam.

CXXVIII. De wadia solvendam.

CXXVIIII. De mulierem, qui infantem infra etatem tollere presumpserit.

DE ANNO VICESIMO PRIMO.

CXXX. Si quis conjugi sue mala licentiam dederit.

CXXXI. Si quis res suas alii commendaverit.

CXXXII. Si quis fraudulente tulerit ancillam alienam.

CXXXIII. Si quis liber homo in casa alterius introierit ad resedendum, ut fictum reddat.

CXXXIIII. Si homines in uno vico habitantes aliqua intentione habuerit de campo.

CXXXV. Si femina, dum se in flumine lavaverit, aliquid pannos eius tultum fuerit.

CXXXVI. Si homo, dum aqua hauriendum de puteo, et incaute tolinum dimitterit ut rumpetur, et per ipsum tolinum hominem mortuum fuerit.

CXXXVII. De caballum prestitum ad victuram.

CXXXVIII. Si quis dixerit ad servum alienum presentem domino suo: Feri eum, ut moriatur.

CXXXVIIII. In nomine Domini noditia qualiter jubit domnus rex ad omnis actores suos, qui curtis ejus comissas habent.

CXL. Si servus noster occisus fuerit.

DE ANNO VICESIMO SECUNDO.

CXLI. Si aldius aut aldia, servus vel ancilla cum quo copulati fuerint,

et antequam domini eorum convenientia de eis fecerint fornicaverint.

CXLII. *Si dominus cum aldia sua aut ancilla vivente marito ejus fornicaverint.*

CXLIII. *Si mulieres accepto consilio in vico alieno introierint, aut hominem de eodem loco percusserit.*

CXLIIII. *Si quis aldium aut servum, aldiam vel ancillam, sciens in casa alterius eos esse, dimiserit.*

DE ANNO VICESIMO TERTIO.

CXLV. *Si servus aut ancilla, aldius aut aldia in ecclesia confugium fecerit.*

CXLVI. *Si quis se sciente perjuraverit.*

CXLVII. *De nepte quae in capillo mortua est.*

CXLVIII. *Si quis invenerit puellam aut mulierem per campum suum viam indicare.*

CXLVIIII. *Si cujuscumque servus aut aldius, ancilla vel aldia in furto conprehinsi fuerint.*

CL. *De eo qui per se terra aliena wifaverit.*

CLI. *De infantibus qui intra aetate sunt in necessitate constituti.*

CLII. *Si quis fossatum in via fecerit.*

CLIII. *Si quis porcos in silva defensa miserit.*

CLIIII. *De naufragus qui culpa aut damnum usque ad* XX *solidos aut minus fecerit.*

CLV. *Si quis Langobardus filios aut filias habens se clericaverit.*

CLVI. *Et hoc enim statuemus, ut nullus judex neque actor aut qui super furonis erit ruscuntur non presumat servum aut aldionem alterius conprehindere pro furto aut alia culpa.*

MEMORATORIO DE MERCEDES COMACINORUM.

CLVII. *De sala.*

CLVIII. *De muro.*

CLVIIII. *De annonam Comacinorum.*

CLX. *De opera.*

CLXI. *De caminata.*

CLXII. *De marmorarios.*

CLXIII. *De furnum.*

CLXIIII. *De puteum.*

INCIPIT DE ANNO PRIMO.

(Pridie kalendas martias, anno DCCXIII.)

VOLUMEN PRIMUM.

Leges quas christianus ac catholicus princeps instituere et prudenter censere disponit, non sua providentia, sed Dei notu it inspiratione eas animo concepit, mente pertractat, et salubriter opere conplit; quia cor regis in mano Dei est, atestante sapientissimo Salomonem, qui ait: « Sicut impitus « aquae, ita cor regis in mano Dei; si tenuerit eas, « omnia siccabuntur; si autem clementer eas emi« serit, universa inrigantur, et replentur suavita« tem. » Quidem et apostulus Domini Jacobus in epistola sua ita ededit dicens: « Omnem donum « optimum et omnem datum perfectum de sursum « est, discendens a patre luminum. » His ergo expletis, recolimus, quoniam rovustissimus decessor noster atque emenentissimus ROTHARI *rex, sicut ipse est in scriptis affatus suis, superius in Langobardis Edictum renovavit atque instituit; ubi et prudenter hoc inserere curavit dicens, si quis ille Langobardorum princeps ejus successor superfluum quid inibi reperiret, ex eo sapienter auferret, et quod minus invenerit, Deo sibi inspirante adicerit. Post hoc enim gloriosissimus* GRIMOWALD *rex, quae illi secundum Deo placita fuerunt, minuit et ampliavit. Cujus nos normam sequentes, divinitus, ut credimus, inspirati, simili modo ea quae juxta legem Dei nobis congrua paruerunt subtrahere et addere previdemus, sicut et in presentem paginam scrivere jussimus.*

Ob hoc ego in Dei omnipotentis nomine LIUTPRAND *excellentissimus christianus et catholicus Deo dilectae gentis Langobardorum rex, anno, Deo protegente, regni mei primo, pridie kalendarum martiarum, indictione undecima, una cum omnibus judicibus meis tam de Austriae et Neustriae partibus nec non et de Tusciae finibus, vel cum reliquis fedelibus meis Langobardis, et cuncto populo adsistente, haec nobis commune consilio juxta ob Dei timorem atquae amorem ac sancta conparuerunt et placuerunt: primum omnium*

CAP. I.
De successionem filiarum.

I. Si quis Langobardus sine filiis masculinis legetimis mortuos fuerit, et filias dereliquerit, ipse ei in omnem hereditatem patris vel matris suae tamquam filii legetimi mascolini heredis succedant.

II.

II. Si quis Langobardus se vivente filias suas nupto tradederit, et alias in capillo in casa reliquerit, tunc omnes aequaliter in ejus substantia heredis succedere debeant tamquam filii masculini.

III.

III. Si quis Langobardus sororis reliquerit, et vivente eum ad marito ambolaberit, tantum habeat ex fratris facultate, si ipse filias riliquerit, quantum in diae votorum acceperunt quando ad maritum ambolaverunt. Nam si ipse frater neque filius neque filias reliquerit, aut si habuerit et ante eum mortui aut mortuae fuerent absque filiis, filiabus, tunc sorores ejus, tam qui in capillo remanserunt quam que ad maritum ambolaverunt, in omnem substantiam ejus ei heredis equaliter succedant.

IIII.

IIII. Si quis Langobardus sorores et filias in capillo in casa reliquerit, pariter atque aequaliter quantecumque fuerent in hereditatem ejus ei succedere debeant, tamquam filii legetimi dereliquissit.

V.

V. Si filiae aut sorores contra volontatem patris aut fratris egerit, potestatem habeat pater aut frater judicandi de rebus suis quomodo aut qualiter voluerit.

VI.

VI. Si quislibet Langobardus, ut habit casus humane fragilitatis, egrotaverit, quamquam in lectolo rejaceat, potestatem habeat dum vivit et recte loqui potest pro anima sua judicandi vel dispensandi de rebus suis quid aut qualiter cui voluerit, et quod judicaverit stabilem debeat permanere.

Si quae cause de suprascriptis capitulis, quae nuper in presenti pagina Edicti adfigi precipimus, antea deliberate aut per devisionem fenitae sunt, in eo modo maneant sicut antea sunt finitae vel statutae; quae autem terminate et per divisionem decise non sunt, in eo ordine deliberentur et maneant, sicut modo decrevimus, et in hoc Edictum a nobis facto statuere visi sumus. Que denique universa superius a Celsitudine nostra instituta Potoni notario sacri nostri palatii conprehendenda et ordinanda precipimus.

EXPLICIT DE ANNO PRIMO.

INCIPIT DE ANNO QUINTO.

(Kalendis martiis, anno DCCXVII.)

VOLUMEN SECUNDUM.

Ego in Dei omnipotentis nomine Liutprand *excellentissimus rex gentis felicissimae ac catholicae Deoque dilecte Langobardorum, reminiscor quoniam, sicut superius a nobis pagina legitur instituta, anno scilicet regni nostri primo, indictione undecima, ea quae nobis nostrisque judicibus et reliquis Langobardis fedelibus nostris ob Dei timore atque amore recta conparuerunt, in antico Edicti corpore recto adicere curavimus moderamine. Nunc iterum, annuente Dei omnipotentis misericordia, diae calendarum martiarum, anno regni nostri, Deo propitio, quinto, indictione quintadecima, simili modo cum omnibus judicibus nostris de partibus Austriae et Neustriae nec non et de Tusciae finibus, seu ceteris nostris Langobardis, adhuc previdemus adaugere illa que Deo credimus placita esse: ut in multis causis et locis proibeantur perjuria, et cause, quae a quibusquae hominibus misericorditer disponuntur, in peccati honus deinceps nequaquam procedant; et illut quod forsitan antea videvatur obscuro, nunc omnibus luce clarius enetiscat: primum omnium*

Cap. I.
De morgincap mulierum.

VII. Si quis Langobardus morgincap conjogi suae dare voluerit quando eam sibi in conjugio sociaverit, ita dicernimus, ut alia diae ante parentes et amicos suos ostendat per scriptum a testibus rovoratum, et dicat quia *Ecce quod conjugi meae morgincap dedi;* ut in futuro pro hac causa perjurio non percurrat. Ipsum autem morgincap nolumus ut amplius sit, nisi quarta pars de ejus substantia qui ipsum morgincap fecit. Si quis minus voluerit dare de rebus suis, quam ipsa quarta portio sit, habeat in omnibus licentiam dandi quantum voluerit; nam super ipsam quartam portionem dare nullatenus possit.

II. *De testibus.*

VIII. Si qualiscumque causa inter conlibertus aut parentis convenerit aut acta fuerit, et homines boni tres aut quattuor interfuerent, non reprovetur postea ipsa causa, nisi eorum testimonio ambe partes credant qui fuerent inter. Pro cujus autem causa testis illi testimonium reddiderint, ipse homo causatori suo per sacramentum satisfaciat. Testis vero ipsi tales sint, quorum opinio in bonis precellat operibus, et quibus fides amittitur, vel quibus princeps aut ejus judices credere possent. Et si forsitan rememorati testes veritatem ipsam celare voluerent, tunc per sacramentum satisfaciant princepi aut a missom ejus, ut ipsa veritas non obfuscetur. Si quidem per wadia oblicatio facta fuerit, et intentio pro hoc fuerit excitata, in eo judicio maneat, sicut in anteriori Edicto legitur, quod gloriosissimo Rothari rex instituit.

III. *De libertis.*

VIIII. Si quis servum suum aut ancillam in manum regis dederit, et ipse princeps eos per manos sacerdotis circa sacrum altarem liberos dimiserit, sic permaneant liberi, sicut illi qui fulfreal thingati sunt; et qui mundium de ipsa libera a principe expetierit, sic eum habeat sicut de fulfreal muliere, nam amplius ei nulla conditione debeat neque ipsa neque filia ejus. Et hoc est statutum, ut masculi, qui de ipsa libera nati fuerent, absque mundium sint; femine autem habeant mundium sicut et mater earum, et ipse mundius non sit amplius quam solidos tres.

IIII. *Item de libertis.*

X. Si quis servum suum aut ancillam liberum dimiserit, et posuerit ei mundium aut unum solidum, aut duo, aut tres, aut sex, tantum habeat mundium, quantum ei in cartola adfixerit; et qui postea ex ipsa liberta nati fuerent, sibe masculi sibe femine, non habeant amplius mundium nisi quantum et mater earum.

V. *De servo fugacem.*

XI. Si servus dum in fuga est furtum fecerit, et in ipsa fuga foris provincia exierit, sic exinde

procedat judicium, sicut gloriosissimus Rothari rex instituit. Et si ipse servus intra provincia dilataverit, tunc dominus ejus habeat spatium ad eum requirendum per menses tres; et si eum invenerit aut non invenerit, et causa furti manefestata fuerit quod isdem servus furtum ipsum fecissit, tunc dominus ejus conponat furtum ipsum sicut lex est. Et si forsitans manefestus non fuerit, et dominus ejusdem servi vetaverit quod ipsum furtum non fecissit servus ejus, tunc per pugnam aut per sacramentum se defendat si potuerit.

VI. *De puella quae intra etate est.*

XII. Si quis puella ante duodecim annos aut spunsaverit aut tolerit, tunc ille qui eam tolit aut spunsavit conponat sicut Edictum de raptum contenit, hoc est solidos nongenti, medietatem regi, et medietatem eidem infantole; et ipsa revertatur in casa et in pecuniam suam, et sit quieta usque ad suprascriptum tempus: postea autem elegat ipsa sibi, et nubat cui voluerit. Si autem mundoald ejus consentiens fuerit aut tradederit eam ante suprascriptos XII annos, conponat in sagro palatio solidos CCC, et mundium ejus amittat; et sit ipsa cum rebus suis in mundio palatii. Pater autem aut frater potestatem habeant cui aut in quali etate voluerit dandum aut spunsandum filiam aut sororem suam: quoniam ista licentia ideo dedimus, eo quod credimus quod pater filiam aut frater sororem suam doloso animo aut contra rationem cuiquam homini dare non debeant.

VII. *De occisionem hominis liberi, et conpositionem ejus.*

XIII. Si quis Langobardus ab alio homine, quod Deus avertat, interemtus fuerit, et causa secundum legem ad conpositionem venerit, et ipse qui occisus fuerit filium masculinum non reliquerit: quamquam filias instituissimus heredis sicut masculus in omni substantia patris et matris, ipsam conpositionem volumus ut accipiant propinqui parentis ejusdem qui occisus fuerit, illi qui per caput succedere potuerunt; quia filiae ejus, eo quod fimeneo sexu esse provatur, non possunt faidam ipsam levare. Ideo prospeximus ut ipsam conpositionem non recipiant, nisi, ut diximus, suprafati propinqui parentis; et si propinqui parentis non fuerint, tunc medietatem de ipsa conpositione suscipiant filiae ipsius si una aut plures fuerent, et medietatem curtis regia.

VIII. *De sororibus, qualiter una alterius succedere debeant.*

XIIII. Si sorores in casa patris remanserint aut a maritum ambolaverint, succedant patri suo et matri suae in omnibus substantia eorum, sicut antea statuimus. Et si contegerit una ex eisdem sororibus mori, tunc et quae in capillo remanserent, et quae ad maritum ambolaverint, in omni portioni sorori suae defunctae, quamvis puella mortua fuerit, succedant; parentis autem propinqui aut mundoald earum tantum mundium earum suscipiant, nam de rebus ejus aliud nihil percipiant. Si autem contegerit illa mori quae jam nupto tradita est, tunc ille ei succedat, qui eam per mundium suam fecit.

Si autem qualiscumque cause amodo emerserent de his capitulis, quae nunc Excellentia nostra statuit, a presenti diae kalendarum martiarum, hoc est quintadecima indictione, et anno regni nostri in Dei nomine quinto, volumus ut sic terminentur, sicut Celsitudo nostra cum judicibus et reliquis Langobardis decrevit, ut supra leguntur; quae vero antea de talibus capitulis provenerunt, et jam finitae aut statutae sunt, sic permaneant, sicut prius cognuscuntur esse decisae.

EXPLICIT DE ANNO QUINTO.

INCIPIT DE ANNO OCTABO.

(Kalendis martiis, anno DCCXX.)

VOLUMEN TERTIUM.

Ego in Dei omnipotentis nomine excellentissimus Liutprand rex filicissime gentis Langobardorum, anno, Deo propitio, regni mei octabo, diae kalendarum martiarum, indictione tertia, una cum inlustribus veris obtimatibus meis Neustriae, Austriae et Tusciae partibus, vel universis nobilibus Langobardis, dum singula quae in anterioribus titulis hujus Edicti leguntur studiosae hac subtiliter perscrutassemus, assistente omni populo, presentem, quam sequens sermo monstraverit, addere, elucidare, sibe statuere previdemus legem: primum omnium

Cap. I.

XV. Quicumque homo sub regni nostri dicione cuicumque amodo wadia dederit et fidejussore posuerit presentia duorum vel trium testium quorum fides amittitur, in omnibus conplere debeat; et si distolerit, et pigneratus fuerit in his rebus in quibus lecitum est pignerandi, nulla calomnia qui pigneraverit patiatur. Nam qui sine hac manefestationem pignerare presumpserit, juvemus ut dublum pignum restituat. Si vero inter creditorem et devitorem et fidejussorem orta fuerit intentio, qualiter in anteriore Edicto legitur et a gloriosae memoriae Rotharene rege instituere, per sacramentum determinentur; nam si in presentia duorum vel trium testium stipolatio ipsa facta fuerit, eorum testimonium, ut sacramentum inter dantes et accipientes

menime proveniat, credatur. Et si debuerent ipsi testes suum testimonium firmare, nobis, vel qui in tempore princeps fuerit, vel judici firmare deveant. Et si hominis inter non fuerent quando wadiatur, quicumque quasi fidejussorem pigneraverit conponat sicut supra legitur.

II.

XVI. Si quis mutuaverit solidos cuicumque homini per cautione, si intra quinque annos creditor pulsaverit, et devitor non habuerit unde solvere, renovetur cautio ipsa usque ad annos decem; et si intra decem annos pulsatus fuerit, et non reddcrit, et dilataverit usque ad xx annos, et fuerit pulsatus aut per principem, aut per judicem civitatis, et provatum fuerit, ipsa cautionem devitor et heredis ejus persolvant. Nam si nec cautio fuerit intra decem annos bes renovata, neque principem vel judicem ostensa sibe manefestata usque ad xx annos, juvemus ut creditor posmodum taceat, et nullam habeat facundia devitoribus suis requirendum; excepto si ei captivitas evenerit. De cautionibus autem quae usque modo in presente indictione tertia facta sunt, intra quinque annos istos advenientes jovemus ut renobintur aut exegantur; nam si distolerent intra quinque annos devitores suos pulsare, ut aut cautiones renovintur aut devita reddant, et neclegentia fecerint, non habeant posmodum fagundia ipsa devita requirendum. De his autem cautionibus quae amodo facte fuerint, sic finiant, sicut supra premisemus et statuimus.

III.

XVII. Si frater fratrem in peccatis occiderit, quamquam hoc anterior Edictus contenit, ut proxemi parentes humicidae succedant, nos proximos fratres appellamus. Si frater relictus fuerit, in res humicidae frater succedat: ita ut, secundum qualitatem persone, de ipsa substantia humicide, si ille qui occisus est filius reliquerit, conpositionem dare deveat; reliquum autem quod fuerit, sibi habeat: et si pecunia ipsius humicidae in tantum fuerit sub extimatione, quantum ipsa conpositio est, aut forte minus, habeant eum filii ipsius qui occisus est. Quod si non reliquerit fratrem unum vel plures his qui occisus est, quantulacumque sit substantia humicide, filii ipsius qui occisus est in ea succedere deveant; quod si non habuerit filius, proximi succedant ei parentes per gratos; quod si nec parentes fuerent qui ei legitime succedere possent, succedant ei curtis regia. De anima autem humicide illius sit in potestatem regis, sicut in anteriore Edicto legitur.

IIII. *De negotiatoribus vel magistros.*

XVIII. Si quis negotium peragendum vel pro qualicumque artificio intra provincia vel extra provincia ambolaverit, et in tres annos regressus non fuerit, et forsitan infirmites ei emerserit, faciat scire per judicem, aut per missum suum; nam si hoc distolerit mandare, si filius reliquerit, habeant res ipsius in suo jure; et ouicumque filios, post transacto constitudo, cautionis, vinditionis aut qualicumque oblegationes de rebus patris sui fecerent, stabilem permaneat, et devita patris vel sua persolvat. Et si ipse postea recressus fuerit, jubemus ut nec a filiis suis recipiatur, nec res suas in potestatem habeat; quod si filius ipsius sine noditia vel jussione regis eum recollegere presumpserit, omnes res ipsorum, et patris substantia, ad curtem regia devolvantur. Et si filios non habuerit, et habuerit fratres, ipsi res ejus habeant; et si nec fratris habueret, habeant proximi parentes; et si nec parentis proximi non fuerent qui ei legibus succedere possent, post predictos tres annos curtis regiae succedant. Quod si habuerit oxorem, et intra suprascripto constituto, hoc est tres annos, menime regressus fuerit, veniat ipsam ad palatium regis qui in tempore fuerit, et qualiter ei ipse maritandi licentia dederit aut causa ipsius ordinaverit vel tractaverit, ita facere debeat; nam sine permissum regis non presumat maritum ducere. Et si ipsi post tres annos inventi fuerent, potestatem habeat rex de eis judicare qualiter voluerit.

EXPLICIT DE ANNO OCTABO.

INCIPIT DE ANNO NONO.

(Kalendis martiis, anno DCCXXI.)

VOLUMEN QUARTUM.

Ego in Dei omnipotentis nomine LIUTPRAND excellentissimus rex Deo dilecte et catholice gentis Langobardorum reminiscor quoniam jam in superiore Edicti corpore adicere curavimus, licet in parvo, tamen in voluminibus tribus, id est in primo, in quinto, in octabo regni nostri anno, indictione undecima, quintadecima, et tertia, ea quae recta et secundum Deum tranquilla nobis conparuerunt. Nunc autem anno regni nostri, Deo protegente, nono, die kalendarum martiarum, indictione quarta, pertractantes omnia et recurrentes antiquioris Edicti capitula una cum judicibus et reliquis Langobardis fidelibus nostris, iterantes in quarto volumine supplere et augere previdimus que nobis juxta Deo recta conparuerunt.

CAP. I. *De aetate, in quantis annis deveat esse legitima etas.*

XVIIII. Hoc prospeximus, ut intra decem et octo annos non sit legitimus homo res suas alienandum: excepto, si pater ejus debitum dimiserit,

habeat potestatem, una cum notitia principis terre istius, tantum de rebus suis dandum, quantum ipsum debitum fuerit, ut ei major damnietas propter onera solidorum non adcrescat; et ipse princeps qui pro tempore fuerit, propter Deum et animae suae mercedem dirigat personam Deum timentem de sui presentia, qui hoc ipsum sapienter consideret: ut ad ipsum infantulum aliqua damnietas contra rationem aut per negligentia menime proveniat. Et in* nonodecimo anno sit homini Langobardo legitima etas, et quodcumque fecerit vel judicaverit de rebus suis, stabili ordine debeat permanere. Et hoc statuimus adque definimus, ut si cuicumque ante ipsos decem et octo annos evenerit egritudo, et se viderit ad mortis periculum tendere, habeat licentiam de rebus suis pro animam suam in sanctis locis causa pietatis, vel in senodochio, judicare quod voluerit, et quod judicaverit pro animam suam, stabilem deveat permanere.

II.

De homicidium.

XX. Si quis liber homo, se defendendum, liberum hominem occiderit, etsi provatum fuerit quod se defendendum ipsum hominem occisessit, sic eum conponat, sicut in anteriore Edicto contenit, quod gloriosae memoriae Rothari rex facere visus est. Nam qui super alium ambolaverit, et sic eum pro quacumque causa occiserit, omnem substantiam suam amittat, et habeant heredis ipsius qui occisus fuerit: in hoc ordine, ita sane ut si minus fuerit ipsa substantia humicidae, quam anterior conpositio erat, aut nisi tantum, tunc et res suas perdat ipse humicida, et persona ejus tradatur ad propinquos defuncti; nam si amplius habuerit ipse humicida substantia, quam ipsa conpositio anterior erat, amittat omnes res suas, et accipiant heredis ipsius qui occisus fuerit in antea tantum, quantum conpositio antiqua fuit, et quod superfuerit medietatem habeat curtis regia, et medietatem heredis defuncti: et ipse humicidam animam suam liberit.

III.

XXI. Si servus cum volontatem domini sui hominem liberum occiserit, et provatum fuerit, tunc ipse dominus omnes res suas amittat, in eo ordine sicut supra adnexum est. Et si dominus ejus negaverit quod per ipsius consilium factum non fuissit, purificet se ad legem Dei, et conponat ipsum mortuum sicut antea fuit consuitudo, et insuper ipsum servum tradat in manum parentibus defuncti.

IIII.

XXII. Si mulier res suas consentiente viro suo aut communiter venundari voluerit, ipse qui emere vult, vel illi qui vindunt, faciant noditiam ad duos vel tres parentes ipsius mulieris, qui propinquiores sunt. Et si in presentia de ipsis parentibus suis mulier illa violentias aliquas se dixerit pati, non sit stabilem quod vindederit; nam si in presentia parentuum suorum vel judici qui in loco fuerit violentias se pati non reclamaverit, nisi volontate sua ipsas res se dixerit venundare, tunc ab illo diae omni tempore quod vindederit stabile deveat permanere: ita tamen ut ipsi parentes qui interfuerent aut judex in cartola ipsa manum ponant; et si contegerit casus ut ille maritus moriatur, et ad alium ambolaverit, stabilis permaneat ipsa vinditio. Scriva antem qui cartola ipsa scripserit, non aliter presumat scrivere nisi cum notitia parentum vel judicis, sicut supra dictum est; et si aliter fecerit, sit ipsa vinditio vacua, et prefatus scriva sit culpavelis sicut qui cartula falsa scrivit.

V.

XXIII. Si quis servum aut ancillam suam in ecclesia circa altare amodo liberum vel liberam dimiserit, sic ei maneat libertas, sicut illi qui fulfreal in quarta manus traditus et amund factus est. Nam qui aldione facere voluerit, non cum ducat in ecclesia, nisi alio modo faciat qualiter voluerit, sibi per cartola, sibi qualiter ei placuerit.

VI.

XXIIII. Si mulier libera servum tolerit, et parentes ejus intra anni spatium in ea vindicta dare neglexerit sicut in anteriore Edicto contenit, tunc, quandocumque post ipsum anni spatium inventa fuerit, sit ancilla palatii, et ipse servus ad puplicum replecetur, et filii qui ex eis nati fuerent curtis regiae omnino deserviant. Nam si parentis ipsius mulieris vel dominus servi conpleverent intra suprascriptum anni spatium quod anterior Edictus contenit, sic permaneat.

VII.

XXV. Si quis causam habuerit, et sculdahis suo causam suam dixerit, et ipse sculdahis ei justitiam intra quattuor dies facere neclexerit, si ambo causatores de sub ipso sculdahis sunt, tunc conponat ei qui causam suam reclamavit ipse sculdahis solidos numero sex, et judici suo similiter solidos sex. Et si forsitan ille super quem reclamavit infirmus est, aut pro utilitatem suam in alia civitatem esse nuscitur, expectit eum dum revertitur aut de infirmitate sua convaliscit; et dum regressus fuerit aut de infirmitate convaluerit, si intra statutos quattuor dies menime eum ad justitiam faciendum distrinxerit, conponat ipse sculdahis, sicut jam dictum est, cujus causa est solidos numero sex, et judici suo solidos sex. Si vero talis causa fuerit, quod ipse sculdahis deliberare menime possit, diregat ambas partes ad judicem suum; et si judex ejus causam ipsam dilataverit, et intra sex

dies inter eos per legem non judicaverit, conponat illi qui reclamavit solidos numero duodicem. Et si nec judex ipse deliberare non potuerit, diregat intra duodicem dies ambas partes in presentia regis; nam si aliter fecerit ipse judex, et intra duodicem dies, ut dictum est, justitiam non invenerit qui proclamavit, tunc conponat ei ipse judex solidos numero XII, et regi sit culpavelis solidos XX.

VIII.

XXVI. Si homenis de sub uno judice, de duobus tamen sculdahis, causam habuerit, ille qui pulsat vadat cum misso aut epistola de suo sculdahis ad illum alium sculdahis de sub quem ipse est cum quo causam habit; et si intra quattuor dies menime justitiam fecerit, conponat ipse sculdahis qui distringere neglexit ei qui reclamavit solidos sex, et judici suo solidos numero sex. Et si talis causa fuerit quem deliberare non possit, dirigat eos intra sex dies ad judicem suum, secundum anteriorem capitulo; nam si, qualiter in superiore capitulo constitutum est, sibe sculdahis sibe judex non in omnibus conpleverent, conponat, qualiter supra adfixum est, illi qui causam suam reclamavit solidos sex, et judici suo solidos numero sex; et judex conponat illi cujus causa est solidos numero duodecim, et regi solidos numero XX.

VIIII.

XXVII. Si quis in aliam civitatem causam habuerit, vadat cum epistola de judice suo ad judicem qui in loco est; et si ipse judex ei justitia intra octo dies menime facere distrinxerit, aut non conpleverent, conponat illi qui causam suam reclamavit solidos XX, et regi alius XX. Et si talis causa fuerit quam deliberare menime possit, ponat constituto, et distringat hominem illum de sub sua judiciaria intra duodecim dies in presentiam regis venire; nam si aliter fecerit, et distringere neglexerit, conponat, sicut supra dictum est, solidos XL, medietatem regi, et medietatem ei qui causam suam reclamavit.

X.

XXVIII. Si quis causam habuerit, et sculdahis aut judex ei secundum Edicti tinore et per legem judicaverit, et ipse stare in eodem judicio menime voluerit, conponat illi qui judicavit solidos XX; nam de ea causa quae per arbitrium judicata fuerit, et ipse sibi non credederit legem judicassit, et ad regem reclamaverit, non sit culpavelis. Et si judex contra legem judicaverit, conponat solidos XL, medietatem regi, et medietatem cujus causam fuerit. Et si forsitans judex causam per arbitrium judicaverit, et judicium ejus rectum non conparuerit, non sit culpavelis, nisi preveat sacramentum regi, quod non iniquo animo aut corruptus a premio causam ipsam non judicassit, nisi sic ei legem conparuissit, et sit absolutus; nam si jurare non presumpserit, conponat ut supra dictum est.

Et hoc statuimus adque difinimus, ut si de suprascriptis capitulis quae modo adfixemus qualicumque causae antea emerserunt aut facte sunt, in eo ordine finiantur et maneant sicut anterior fuit consuitudo, vel qualiter in antiquo Edicti corpore contenetur; quae amodo vero, id est a diae isto kalendarum martiarum, indictione quarta, evenerint vel fieri contegerit, sic terminentur et finem accipiant, sicut in presenti pagina statuere visi sumus: excepto de muliere libera quae servum tolit, et secundum anteriorem Edicto condemnata non est, ubicumque inventa fuerit sit ancilla palatii, et filii ejus servi regis.

XI.

XXVIIII. Si qua mulier res suas venundare voluerit, non absconse, nisi in presentia principis aut judicis vel sculdahis, seu duo aut tres parentes suos secum habeant, et sic judicem roget, quia *Res meas volo vindere*; et ipsi parentes in ipsam vinditionem manum ponant, et ipsa se vinditricem faciat, sic et mundoald ei consentiat, et quod vendiderit stabilem sit. Scriba autem qui cartula ipsa scripserit non aliter presumat scribere, nisi cum notitia parentum aut judicis qui in loco fuerit; et si aliter fecerit, ipsa venditio vacua sit, et prefatus scriba sit culpavilis sicut qui cartula falsa scripsit, sicut supra.

EXPLICIT DE ANNO VIIII.

INCIPIT DE ANNO UNDECIMO.

(Kalendis martiis, anno DCCXXIII.)

VOLUMEN QUINTUM.

Quoniam quidem superius in hoc Edicti corpore ea, quae nobis et nostris judicibus vel ceteris Langobardis congrua paruerunt, in quattuor voluminibus adjungere curavimus: et nunc si aliquit pro gentis nostre salvatione adhuc adicere possumus, credemus pro his Dei misericordia adipisci, et retributionem aeternam ab ipso Domino JESU CHRISTO nihilominus promereri. Ergo in Dei omnipotentis nomine ego qui supra LIUTPRAND gentis Langobardorum rex, anno regni mei, Deo protegente, undecimo, die kalendarum martiarum, indictione sexta, hoc iterum in quinto volumine adjungere curavimus, id est

KAP. PRIMO.

XXX. De his feminis quae velamen sancte religionis suscipiunt, aut quae a parentibus suis Deo

vovintur, aut ipse se elegunt religionis habitu, aut vestem monastiga induere vedentur quamquam a sacerdote consegrate non sint, sic nobis justum paruit esse pro Dei amore, ut in ipso habitu in omnibus perseverent, nec sit excusatio mali hominibus dicendo, quod sacrate non sunt, ideo si copolantur culpa non habent; sed, ut supra premisemus, quae talem signum super se, id est velamen et veste sancte Dei Genetrices MARIAE, quocumque genio in se suscipiunt, et postea ad saecularem vitam vel habitu transire nullatinus presumat. Quia considerare devit omnes cristianus, quod si quiscumque secularis parentem nostram saecularem disponsat cum solo anolo, eam subarrat et suam facit, et si postea alter eam oxorem ducit, culpaviles invenitur solidos DC: quantu magis devit causa Dei et sanctae MARIAE anplerior esse, ut quae ipsum velamen vel habitu in se suscipiunt, in eodem deveant perseverare? Si qua vero femina contra hanc, quod nostra instituit excellentia, aegerit, aut maritum se copolaverit, perdat omnem substantiam suam, et deveniat ipsa substantia ad potestatem palatii; de persona autem ejusdem femine, quae talem malum comiserit, judecit rex qui pro tempore fuerit qualiter illi placuerit, aut in monasterio mittendo, aut qualiter secuudum Deum melius previderit: simili modo et de victu vel vestimentu ejus ipse princeps ordinet qualiter ei placuerit. Si autem ille, in cujus mundio talis femina est, consentiens fuerit in suprascripto malo, et provatum fuerit, conponat widrigild suum, et ille qui eam tollere presumpserit, conponat in palatio solidos DC; si autem mundoald in ipso malo consentiens non fuerit, medietatem de ipsis DC solidis accipiat ipse, et medietatem rex. Qui autem talem feminam rapuerit, conponat solidos mille, ut precedat causa Dei solidis C; quoniam de raptus secularis femine conpositio DCCCC solidorum in Edicto leguntur. Ipsa vero quae non conservaverit ea quae superius legitur, et malo suprascripto consenserit, poene suprascriptae subjaceat.

II.

XXXI. Si quis rapuerit qualemcumque femina libera saecularem, unde in anteriore Edicto legitur conpositio solidorum DCCCC, ita volumus, ut de illis quadrigentis quinquagenta solidis qui perteneunt ad parentes vel mundoald, ut accipiat ex ipsis solidis mundoald qui fuerit pro fatigio suo et exactione de ipsa poena solidos numero CL; reliquos vero CCC habeat ipsa femina, cui talis injuria aut detractio facta est. Si autem patrem aut fratrem ipsa femina habuerit, et in eorum mundium fuerit, tunc pater aut frater de ipsam compositionem, quod sunt solidi CCCCL, faciant cum filia aut sorore sua qualiter voluerint; nam alter mundoald aut parentes sic dividant ipsam conpositionem, sicut supra statuimus.

III.

XXXII. De his qui de inlicito matrimonio nati sunt vel nascuntur, id est de matrinia, filiastra, vel cognata, quod est uxor fratris aut soror uxoris; quia et canones sic habent de duobus sororibus sicut et de duobus fratribus: qui de tale matrimonio natus fuerit heredes legitimus patri suo non sit, nisi habeant ipsas res parentes propinqui; et si parentes propinqui non fuerint, succedat curtis regia.

IIII.

XXXIII. Hoc autem, Deo jobante, statuere previdemus, ut amodo nullus homo presumat relicta de consoprino aut insoprino suo uxorem ducere. Si quis autem hoc, quod inlicitum est, amodo facere presumpserit, amittat omnem substantiam suam: et qui de tale conjugio procreati fuerint, legitimi heredes non existant, nisi parentes propinqui; et si parentes propinqui non fuerint, curtis regia succedat. Hoc autem ideo adfiximus, quia, Deo teste, papa Urbis Romae, qui in omni mundo caput ecclesiarum Dei et sacerdotum est, per suam epistolam nos adortavit, ut talem conjugium fieri nullatinus permitteremus.

V.

XXXIIII. Item hoc censemus atque precipimus, ut nullus presumat cummatrem suam uxorem ducere, sed nec filiam quam de sacro fonte levavit, neque filius ejus presumat filiam illius uxorem ducere qui eum de fonte suscepit, quia spiritalis germani esse noscuntur: et qui hoc malum facere temptaverit perdat omnem substantiam suam, et filii qui de tali inlicito matrimonio nascuntur heredes esse non deveant, nisi parentes propinqui, et si parentes propinqui non fuerint, curtis regia succedat. Ubi autem inventi fuerint qui suprascripta inlicita conjugia contraxerint, de presenti separentur, et penae suprascriptae subjaceant.

VI.

XXXV. Si quis sine volontate regis in qualicumque civitatem contra judicem suum seditionem levaberit aut aliquod malum fecerit, vel eum sine jussione regis expellere quesierit, aut alteri homines de altera civitate contra aliam civitatem vel alium judicem, ut supra sine jussionem regis, seditionem fecerint, aut eum expellere sine regis voluntate quesierint: tunc ille qui in capud fuerit anime sue incurrat periculo, et omnes res suas ad puplico deveniant; reliqui autem qui cum ipso fuerint in malo consentientes, unusquisque conponat in palatio regi widrigild suum. Et si casa cujuscumque bluttaverint, aut res eorum tolerint qui cum palatio aut cum rege tenent, et fidem suam cum

judicem in palatio conservent: conponat omnes res ipsas cui eas tolerit in actogild, et widrigild suum, ut supra diximus, conponat in palatio. Hoc autem ideo previdimus in presente pagina Edicti scribere, ut malum vitium non crescat, set amputentur, ut omnes in pace, et in gratia Dei et regis vivere valeant.

VII.

XXXVI. Si quis dederit wadiam, et eam recepere neglexerit, conponat sicut in anteriore Edicto legitur. Et si ille qui ipsa wadiam acceperit reddere neglexerit per fidejussores, et aput eum remanserit, sic conponat, quomodo et ille qui wadiam suam recipere neglexerit.

VIII.

XXXVII. Si quis alteri homini wadiam dederit, et antequam eam per fidejussorem liberit violenter de manu illius abstraxerit cui ea dedit, conponat ei cui ipsam wadiam abstraxerit solidos xxIIII. Hoc autem ideo adfigere precipimus, ne pro tali causa scandalum oriatur aut anima pereat.

VIIII.

XXXVIII. Si quis alii wadiam dederit, et voluerit eam per fidejussores suos recipere, et adduxerit ad eum qui wadiam recepit fidejussores unum, duo, vel tres, et ipse dixerit, quia *Nescio qui sint*, ut damno ei facere possit: tunc adducere ei deveat fidejussorem aut de illa civitate unde ipse est qui wadiam dedit, aut de illa unde ipse est qui suscepit; et si minime ita inventi fuerint, tunc suscipere deveat ipse qui wadiam accepit fidejussorem hominem liberum quem collivertus ejus cognitum habet, et dicit ei, quod *Ego scio quia ei credere potes*; et homo ille qui wadiam dedit damnum non patiatur.

X.

XXXVIIII. Si quis alii homini wadiam dederit pro quacumque causa, et fidejussorem posuerit, et postea ad ipsum fidejussorem antesteterit aut pignus de manu tolerit, et provatum fuerit, conponat solidos xx.

XI.

XL. Si quis alii homini wadiam dederit et fidejussorem posuerit, et ipse fidejussor eum pigneraverit, et pignera ipsa ad creditorem ejus dederit, et postea ei ipse cujus pignera fuerit per virtute tolerit, conponat ipsa pignera in actogild.

XII.

XLI. Si quis alium ante constitutum pigneraverit, et provatum fuerit quod ante constituto pignerasset, conponat ipsum pignum in actogild.

XIII.

XLII. Si quis judex aut actor puplicus in qualicumque civitatem aut locum inter homenis qui aliquam discordiam habent trewas tolerit, et unus ex ipsis hominibus inter quos ipsas trewas tulta sunt eas ruperit: medietatem de ipsas trewas conponat in puplico, et medietatem illi cujus causa est. Et ipsas trewas non sint minus quam solidi cc; qui autem amplius forsitans pro majoribus causis ponere voluerit, sit ei licentiam.

XIIII. *De donatione.*

XLIII. Si quis alii homini qualiscumque rem donaverit, et launegild susciperit, et postea defendere minime potuerit: tunc aliam talem rem qualem donavit, qualis in illa die invenitur esse, reddat cui donavit, et amplius non calomnietur. Et si de conludio pulsatus fuerit, satisfaciat ad evangelia quod nullum conludium cum alium hominem de ipsa causa factum habeat, et sit solutus de culpa: sic tamen ut suprascriptam rem consimilem reddat cui donavit.

XV.

XLIIII. De servus fugace et advena homine, si in alia judiciaria inventus fuerit, tunc deganus aut saltarius qui in loco est conprehendere deveat, et ad sculdahis suum perducat, et ipse sculdahis judici suo consignet. Et ipse judex potestatem habeat eum inquirendum unde ipse est; et si inventus fuerit quod servus sit aut fur, mox mandet ad judicem aut ad dominum ejus unde ipse fuerit, et habeat pro presura de ipso servo per caput solidos duos: si autem post inquisitam causam ipse homo qui conprehensus aut inquisitus fuerit liber aparuerit, nulla sit culpa ei qui eum presit aut inquisivit. Si vero deganus aut saltarius hoc facere distulerit, conponat solidos IIII, medietatem sculdahis suo, et medietatem cujus causa est; et si sculdahis neclectum posuerit, conponat solidos VIII, medietatem judici suo, et medietatem cujus causa est; si vero judex ad eum inquirendum vel mandatum faciendum unde ipse homo est distulerit, conponat in palatio solidos XII. Et si ille judex cui mandatum venerit neclectum fecerit ad ipsum hominem recollegendum, aut arimanno suo mandatum faciendum, quia *In tale loco homo tuo conprehensus est*, et hoc neclexerit, conponat in palatio solidos XII. Et sit spatium de ipso mandato faciendum, in istis partibus in uno mense; trans Alpes vero in partibus Tuscie in menses duo.

XVI.

XLV. Si quis astalaria alterius capelaverit, conponat ei cujus astalaria fuerit solidos VI.

XVII.

XLVI. Si quis fossatum in terra alterius fecerit, et suam non potuerit provare, conponat ei cujus terra est solidos VI.

XVIII.

XLVII. Si quis sepe in terra alterius miserit, et suam provare non potuerit, conponat ei cujus terra est solidos VI.

XVIIII.

XLVIII. Si quis liberum hominem foris provincia vindederit, conponat widrigild ejus tamquam si eum occisisset.

XX.

XLVIIII. Si quis servum alienum foris provincia vindederit, et provatum fuerit, in quadruplum eum conponat sicut appretiata fuerit ipsa persona.

XXI.

De servo in sagramento misso.

L. Si quis servum alienum sine voluntate domini sui in sacramento miserit, aut mano in caldaria mittere fecerit, conponat domino ejus solidos XX.

XXII.

LI. Si quis servum alienum in manu regis dederit, et provatum fuerit quod non suo servo dedisset, conponat regi qui pro tempore fuerit solidos C, et ipse servus revertatur ad proprio domino suo, et sit servus sicut antea fuerat; et insuper qui eum in manu regis dederit, conponat domino ejus solidos viginti.

XXIII.

LII. Si quis servum alienum sine volontatem domini sui liberum dimiserit aut per se aut qualitercumque, excepto per manu regis, et provatum fuerit quod servum alienum libertasset, tunc ipse servus revertatur ad proprio domino suo, et sit servus sicut antea fuit; et ille qui eum inlicite libertavit conponat domino ejus solidos XX.

XXIIII.

LIII. Si quis servum alienum sine volontatem domini sui clerigaverit, conponat domino ejus pro inlicita presumptione solidos XX; et ipse servus revertatur ad proprio domino suo, et ipse dominus ejus habeat eum sicut voluerit.

EXPLICIT DE ANNO UNDECIMO.

INCIPIT DE ANNO DUODECIMO.

(Kalendis martiis, anno DCCXXIIII.)

VOLUMEN SEXTUM.

Scimus enim et firmiter retinemus, quoniam qui per gradus et tempora in bono proficit opere, et semper ad meliora tendere videtur, quod Dei in eo operatur pietas, et ejus misericordia eum illustrat, « qui omnes vult salvos fieri, et ad agnitionem suae « veritatis venire ». Ergo si pro gentis nostrae salvatione aut pauperum fatigatione aliquid possumus conicere quod in Edicti corpore adjungamus, quam quam in quinque voluminibus adjunximus, credimus quod misericordia Dei in bono nobis pro hac causa retribuat; eo quod pro solo Dei timore et amore hoc facimus, ut omnes cause per rationem et justitiam terminentur, nec sit aliquis error, sed magis clarescat omnibus sua justitia, unde sine intermissione nomen Domini benedicatur.

Ideoque ego LIUTPRAND in Dei nomine excellentissimus gentis Langobardorum christianae et catholicae rex, anno regni mei, CHRISTO protegente, duodecimo, die kalendarum martiarum, indictione septima, una cum judicibus et reliquis Langobardis fidelibus nostris hoc adjungere in Edicti curavimus pagina, in volumine quidem sexto, quod antea fuerat multis supervenientibus causis omissum: id est in primis

CAP. I. *De possessione.*

LIIII. Si quis cartolam donationis per garethinx facta aut per susceptum launegild vel forte conparatione ostenderit, et res ipsas unde legitur non possederit, et dixerit quod ei monimen suum absentatum fuisset: si per triginta annos et super possessio ipsa fuerit, non habeat adversus eum qui possedit facundia loquendi cum monimen ipsum quod ostendere videtur, nisi ipse firmiter possedeat qui per triginta annos possedit; quia jam gloriose memorie GRIMOWALD rege per XXX annorum possessio institutum est: nam si intra XXX annos possessio ipsa fuerit, pontificium habeat cum monimen suo dicendum quod voluerit, et ipse qui possederit secundum Edictum ei respondeat.

II.

LV. Si quis servum suum fulfrealem thingaverit et amund a se fecerit, vel quocumque modo eum

a se absolserit, in manu regis dandum, aut in ecclesia circa altare ducendum, et postea ipse libertus voluntatem patroni sui fecerit, manifestare deveat libertus ipse libertatem suam sepius judici et ad vicinos suos, quod liber et absolutus esse videtur; et postea nullo tempore ipse patronus aut heredes ejus contra eum qui libertatus est querellas possint movere, dicendo quod ei deveat obedire, pro eo quod sua sponte pro beneficium de domino suo voluntatem ejus fecerat, set firmis et in sua permaneat libertas.

III.

LVI. Si quis alium de furto pulsaverit, et per pugnam eum vicerit aut forte per districtione a puplico facta manefestata fuerit, et conpositio facta fuerit, et postea ipse furtus aput alium hominem inventus fuerit, et certa veritas apparuerit, quod ipse qui prius conposuerat rem ipsam non furavit: omnia quidquid ipse conposuit recipiat ab eo cui conposuerat, et ipse conponat aput quem furtus ipse postea inventus fuerit; nam si aliquit pro sagramentum suum dederit, habeat ipse cui dederit. Nam si certa veritas non apparuerit quod alter homo furtum ipsum fecissit, et per districtionem manefestaverit, et conposuerit, habeat sibi ipsam compositionem cui conposuit.

IIII.

LVII. Si quis devitum fecerit et res suas vindederit, et talis fuerit ipse devitum quod sanare non possit, et filius ejus per uxorem suam aliquid conquisierit, vel postea sibi per quocumque genio laboraverit posteus genitor ejus omnes res suas venundavit, vel pro devito suo creditoribus suis dederit, aut a puplico intromissi fuerent: non habeant licentiam creditores ejus res quas filius de conjuge sua habere vedetur, vel quod postea conquisivit aut lavoravit, repetendum aut distrahendum, sed habeat sibi filius ejus jure quieto. Sic tamen ut si a creditoribus pulsatus fuerit, preveat sacramentum quod de rebus patris; aut matris suae, si ipsa in mundio patris ejus mortua fuerit, nihil aput se habeat, nec alicubi commendassit aut abscondissit, et sit absolutus; et si postea aput eum inventum fuerit de rebus paternis, conponat in actogild.

V.

LVIII. Si infans dum intra aetate est res suas cuicumque vindederit aut infiduciaverit, et postea cum in legitima aetate venerit secundum legem cartolam ipsam inrumpere voluerit, et in rebus ipsis introire: non habeat ponteficium qui emit aut infiduciavit quod dederat requirendum; quia quando conparavit aut infiduciavit tunc debuit perspicere quia puer ipse intra etatem erat, et contra legem faciebat: et posteus constitutum est, ut qui intra etatem fuerit menime vindere aut infiduciare possit, talem causam eum habere dicemus qui emit aut infiduciavit, qualem et ille habere vedetur qui de servo aut aldione emere aut infiduciare dignuscitur.

VI.

LVIIII. Si quis gastaldius vel actor, curtem regiam habens ad gobernandum, ex ipsa curte alicui sine jussionem regis casa tributaria vel terram, silvam, vitis, vel prata ausus fuerit donare, aut si amplius quam jussionem fuerit dare presumpserit, vel si requirere neglexerit quod per fraudem tultum est: omnia ipse qui hoc contra jussionem regia facere ausus fuerit in dublum actogild conponat, sicut qui res regias furavit; et si ipse antea mortuus fuerit quam fraus ipsa appareat, heredis ejus conponant sicut supra legitur. Nam si per actorem fraus facta fuerit, et antea quam ad nostram perveniat noditiam fraus ipsa per gastaldium inventam fuerit, habeat ipse gastaldius de conpositione quam actor conponere devit partem tertiam, et duas partes sint in curtis regia. Et si per qualicumque hominem prius ad nostram pervenerit notitiam, quam per gastaldio inventa sit, tunc conpositio ipsa in integrum nobis et curti nostre perteneat. Quod si judex aut actor vel heredis eorum pulsati a nobis fuerint quod neglectum fecissint ad exquirendas res nostras, et ipsi dixerent quod ipsam fraudem nescissent et nullum neclictum fecissent, preveant in tali ordine sacramentum, et dicant, quia *Pater noster fraudem istam numquam scivit, nec consensit, nec neglictum posuit ad exquirendum; nec nos per legem culpavelis esse devemus*; et sint postea absoluti. Hoc enim capitulum amodo statuimus ut firmis sit; nam quidquid antea actum est in nostro arbitrio reservamus. Et hoc proinde statuere previdemus, pro eo quod multas fraudes a gastaldiis vel actoribus nostris factas invenimus, unde jam multas fatigationis habuimus. Nam quod a nostris decessoribus cuicumque datum est, stavili ordine volumus permanere, sicut et illum quod nos dedimus aut in antea dederemus.

VII.

LX. Si aldius cujuscumque cum libera muliere aut puella formigatus fuerit, conponat solidos L ei in cujus mundium ipsa fuerit; et illa repotit vitium suum, pro eo quod aldioni consensit.

VIII.

LXI. Si quis alii wadia de sacramentum dederit, et sacramentalis dicti fuerent, et postea ipse qui nominatus est cum ad sacramentum venerit, et evangelia posita fuerit, se subtraere quesierit, ut sacramentum rumpatur, sicut in anteriore Edictum est

constitutum, tunc preveat prius ille qui jurare devit ad illos sacramentalis suos sacramentum, quod cum eo munditer jurent. Et si sacramentalis ipsi audire noluerent, et se aliquis in omnibus subtrahere quesierit, ut ipse causam suam qui jurare debuerit perdat, jobemus ut manefestare deveat ipse sacramentales qui se subtrahere voluerit certam veritatem, pro qua causa jurare menime presumit: et si manefestare menime potuerit, preveat sacramentum quod nullum conludium habeat cum hominem illum qui sacramentum audire deveat, nisi quod animam suam timendo non presumat sacramentales esse; et ipse postea qui jurare devit habeat spatium noctis XII qui prope sunt, et qui de longinquo sunt, quomodo sunt de Tuscia vel de Austria, noctis XXIIII, et querat alium sacramentalem quem in loco ipsius ponat, et sic sacramentum deducat sicut wadia dedit. Et si jurare ausus non fuerit, aut manefestare non potuerit, quidquid ipse cui sacramentum in terra dederit damnum passus fuerit, de propriis rebus suis restituat.

VIIII.

LXII. Reminiscimur enim qualiter jam statuimus, qui hominem liberum occiserit ut res suas in integrum perdat; et qui se defendendum hominem occiserit, conponat secundum qualitatem persone: nunc autem statuere previdemus quomodo sit ipsa qualitas consideranda. Consuitudo enim est, ut minima persona qui exercitalis homo esse invenitur CL solidis conponatur; et qui primus est, CCC solidis. De gasindiis vero nostris volumus, ut quicumque minimissimus in tali ordine occisus fuerit, pro eo quod nobis deservire vedetur, CC solidis fiat conpositus; majoris vero secundum qualis persona fuerit, ut in nostra consideratione vel successorum nostrorum debeat permanere, quomodo usque ad CCC solidos ipsa debeat ascendere conpositio.

X.

LXIII. Si quis testimonium falsum contra quemcumque redderit, aut in cartola falsa se scientem manum posuerit, et ipsa fraus manefestata fuerit, conponat widrigild suum, mediaetatem regi, et mediaetatem cujus causa fuerit. Et si talis persona fuerit, qui non habeat unde conpositio facere, tunc puplicus debeat eum dare pro servo in manu ejus cui culpam fecit, et ipse ei deserviat sicut servus. Et ille qui alium rogat testimonium falsum dicere aut pro causa sua manu in cartola falsa ponere, sic conponat sicut et ipsos falsos testis jussimus conponere, pro eo quod ipsum malum per ipsum fiet inquoatum.

XI.

LXIIII. Hoc enim rectum nobis paruit esse de his servis qui in furtum conprehenduntur, unde in anteriore Edicto legitur quod aut occidatur aut redemat eum dominus suus cum solidis quadraginta: ut si amodo cujuscumque servus conprehensus fuerit in eo tinore ut mori debeat, aut redimat eum dominus suus, ut dictum est, cum solidis XL, aut si minime eum redemere voluerit, ipse dominus ejus eum occidat; et si dominus ejus eum noluerit occidere, occidat eum ille qui eum conprehensum tenet; et si nec ille voluerit, tunc accipiat eum curtis nostra, et quomodo nostra jussio fuerit de eo debeat ordinare. Ipse vero dominus ejus conponat sicut Edictum continet ei cui ipsum furtum factum fuerit.

EXPLICIT DE ANNO XII.

INCIPIT DE ANNO TERTIODECIMO.

(Kalendis martiis, anno DCCXXV.)

VOLUMEN SEPTIMUM.

Ego Liutprand *in* CHRISTI *nomine rex gentis Langobardorum, anno regni mei tertiodecimo, diae calendarum martiarum, indictione octaba, dum rememorassem quod venientis homenis in presentia nostra adduxerunt causas inter se altercantes, que nec per usum fuimus certi ad terminandum, nec in Edicti corpore ante insertae; proinde providimus eas usque ad diem suprascriptum kalendarum martiarum suspendere, dum usque nostri ad nos conjungerint judecis, et una cum ipsis certum ibi terminum deveremus inponere, unde postea nulla esset intentio, sicut et factum est, et subter leguntur capitula: primum omnium*

Cap. I.

LXV. De eo qui filiam in capillo in casa habuerit, et filium non reliquerit legetimum, ut de rebus suis amplius per nullum titolum cuiquam per donationem aut pro anima sua facere possit, nisi partis duas; tertia vero relinquat filiae suae, sicut jam gloriosae memoriae Rothari rex instituit. Quia qui thinx facit, et postea filiam nascitur, in tertiam partem ipsum thinx rumpit, secundum anteriorem Edictum; et si duas aut amplius, in mediaetate: ideo nos, dum in ipso Edicto legitur de thinx, quod est donatio, nobis conparit quod per nullam donationem nec per launegild possit filiam suam de ipsam tertiam portionem substantiae suae exherede facere, et si duas aut amplius fuerent, de mediaetatem.

II.

LXVI. De liberum hominem qui oxorem de servo aut de aldione suo, vivente ipso marito, tolerit, et filius aut filias exinde nati fuerent, nullatinus ei

heredis succedant, sed nec libertatem suam habeant, nec per nullum genio ei de rebus suis aliquit facere possit; quia in duvium venit causam ipsam, cujus filius aut filia sit, quando ambo vivent, et dominus et servus, qui ante habuit et qui postea tolit.

III.

LXVII. Si quis alii cautionem fecerit, et non ei obligaverit de rebus suis, nisi dixerit in ipsa cautionem *in quibuscumque rebus ipsius invenire potuerit*, et postea vindederit alii homini de rebus suis, habeat ipse qui eas emit; nam si obligatae fuerit nominativae, non eas possit vindere dum ipsam cautionem non sanaverit. Et qui cautionem facere voluerit, aut nominatibae oblicet de rebus suis qualiter inter eos convenerit, aut faciat in ipsa cautionem de tantis rebus, quantum in illa diae solidi ipsi fuerit.

IIII.

LXVIII. De aldionibus, qui de persona sua aldionis sunt, si aliqua compellatio facta fuerit, patrono ejus eum defendat, aut per sagramentum aut per pugnam, qualis causa fuerit.

V.

LXVIIII. Si aldius cujuscumque in casa alterius nesciente domino suo fuerit, cum inventus fuerit sic deveat dare homo ipse qui eum habuerit operas, quomodo et de servo.

EXPLICIT DE ANNO XIII.

INCIPIT DE ANNO QUARTODECIMO.

(Kalendis martiis, anno DCCXXVI.)

VOLUMEN OCTAVUM.

Jam quidem septies in antico Edicti corpore aliqua previdemus aucmentare capitula, quae nobis et nostris judicibus atque fidelibus secundum Deum recta conparuerunt. Nunc quidem, eo quod multae causae ad difiniendum incognitae erant, quia alii per consuitutinem alii per arbitrium judicare estimabant, ita previdemus, ut nullus error isse deberit, sed omnibus manifesta clariscere lex: ideoquae haec statuimus adnotare capitula, anno scilicit regni nostri, Deo largiente, quartodecimo, diae kalendarum martiarum, indictione nona. Quin etiam et judicis atque fedelis nostri de partibus Austriae et Neustriae nobiscum adfuerunt, et haec omnia inter se conlocuti sunt, et nobis renuntiantes nobiscum pariter statuerunt atquae definierunt; et cum presentaliter fuissent capitula ista relecta, omnibus placuerunt, et preventis adsensum statuerunt nobiscum, ut nihilominus per ordinem scriberentur.

Cap. I.

LXX. Si inter fratres per xl annos possessio fuerit de rebus seu de casis vel de terris quae indivisa sunt, vel per parentes, qui per xl annos possedit, qualiter presumit dicere per sagramentum ad sancta Dei evangelia, quod de avio aut de patre aut de fratre, aut qualis parens fuerit, quod ipsas res suas factas habuit, aut per donatione, aut commutatione, aut conparatione, aut de extimatio, aut quomodo presumpserit dicere aut firmare, leceat eum postea ipsas res habere et possedere; alias vero res quae divisae fuerunt inter fratres aut nepotes, vel ubi mensura tracta est, sortes stantes adaequentur. Nam ubi per xl annos minsura menime ambolavit, et causa provata fuerit quod in jure quieto possedissit, sicut superius legitur per sagramentum finiatur, excepto si communiter aliquit possedent.

II.

LXXI. Si quis alio asto conpellaverit de pugna, quod solit fieri per pravas personas, preveat sagramentum ipse qui conpellat solus, et dicat juratus, quia non asto animo eum per pugna faticare querat, nisi quod certam habeat suspitione, sibe de furto fuerit, sibe de incendio, aut unde ipsa conpellatio agitur: et si hoc juraverit, postea vadat exinde pugna; si autem menime jurare presumpserit, non fiat ipsa causa per pugna judicata aut finita.

III.

LXXII. Si quis liber homo ad alium liberum hominem consilium dederit perjurare, aut casa alterius incendere ubi homo cum rebus suis inhabitat, aut mulierem alienam vel puella tollere vel rapere, et causa provata fuerit, conponat pro ipso inlecito consilio quod contra rationem ministravit solidos c: ita sane ut inter ista capitula quae diximus, unde conpositio datur per ipsum qui ipsut malum agit solidi dcccc, ipse consiliator conponat solidos c; et unde conpositio fiet de solidos ccc, consiliator conponat solidos l; et si minus de tricentus solidis fuerit ipsa conpositio, consiliator conponat solidos xl, minus non: mediaetatem ex omnibus suprascriptis capitulis in palatio regis, et mediaetatem cujus causa fuerit. Et si ipse, de quo dicitur quod suprascripta mala consiliassit, vetare voluerit quod talem consilium non dedissit, preveat sagramentum cum legetimis sagramentalibus suis juxta qualis causa fuerit, et sit absolutus a culpa; nam per pugna non fatigetur: nam si rei veritas manifestata fuerit, conponat ut supra.

IIII.

LXXIII. De donatione quae sine launechild aut sine thingatione facta est, menime stare deveat; quia etsi specialiter in Edictum sic non fuit institutum, tamen usque modo sic est judicatam. Ideo, pro errore tollendum, hoc scribere in Edicti paginam jussimus, et qui fuerit propinquus parens ipse succidat; et si ille supraestis fuerit qui ipsam donationem sine launechild dedit, possit eam a se recollegere: excepto si in ecclesiam, aut in loca sanctorum, aut in exeneodochio pro anima sua aliquit quiscumque donaverit, stabile deveat permanere; quia in loga sanctorum aut in exeneodochio nec thinx nec launechild inpedire devit, eo quod pro anima factum est.

V.

LXXIIII. Si infans dum intra aetate est res suas cum fratribus aut cum parentibus suis devidere voluerit, aut si ipsi cum ipso infante dividere voluerint, faciat judici noditiam, et ipse judex faciat venire parentis ipsius, et una cum ipsis aut per se ipsum aut per missum suum bonam personam Deum timentem res ipsas dividant, sic tamen ut omni tempore sortis stare debeant, et adaequatio percurrat.

VI.

LXXV. Si infans dum intra aetatem est causam habuerit cum qualemcumque hominem, similiter faciat judex parentis ipsius propinquos venire, et accedat aput locum cum ipsis parentibus, et deliberit causam ipsam per justitiam, et faciat noditiam in quorum presentiam causam ipsam deliberaverit, et judicatum suum emittat, ut ipse qui causam suam querit non perdat justitiam suam pro eo quod ipse infans intra aetate esse vedetur. Judex autem quomodo ordinaverit aut qualiter fecerit causam in his capitulis de eo qui intra aetate est, habeat retribotorem Deum omnipotentem sibe in bono sibe in malo; et missus ille quem judex direxerit pro diffiniendum causis quae supra precipemus, si in aliqua parte cur suum in fraude declinaverit, aut fecerit ea quae oportuna non sunt, ut ipse infans damnum habeat quae intra aetatem est, et non fecerit aequalitatem, et provatum fuerit quod fraudem fecissit, aut conludium contra ipsum infantem statuissit, de propido suo restaurit quod fraudolenter divisit. Hoc ideo proinde dicimus, ut infans ille, qui causam suam nescit legitime procurare, damnum non habeat.

VII.

LXXVI. De religiosa femina quae vestem et habitum sancte religionis in se suscepit, si contegerit ex peccato ut adulterium volontariae comittat, qui ipsa sanctemonialem feminam adulteraverit conponat solidos cc: quia de saecularibus feminis Edictus contenet ut conponatur pro adulterium solidi c; et nos prospeximus veram esse justitiam ut in Dei omnipotentis causam vel sancte ejus genitricis MARIAE, cujus vestem suscipiunt, duplicentur. De autem pecuniam ejusdem religiose femine, quae, quod absit, volontariae adulterium penetraverit, sic fiat, sicut jam antea de religiosis feminis statuimus, quae se maritu copolaverit.

VIII.

LXXVII. Si duo fratres, aut si pater et filius thingati fuerent, si unus ex ipsis sine filiis, filiabus, mortuos fuerit, curtis regia ei succedat. Ideo autem hoc scripsemus, quia etsi adfictum in Edictum propriae non fuit, tamen omnes judices et fidelis nostri sic dixerunt, quod cadarfeda antiqua usque nunc sic fuissit.

VIIII.

De possessione.

LXXVIII. Qui aliquit de puplico habit, et per sexagenta annos quietos possedit, leceat eum in antea sine aliqua molestatione habere et possedere. Hoc autem ideo statuimus, quia possessio aliorum hominum secundum Langobardorum legem in xxx annos finitur; causas quidem regalis unde conpositio expectatur dublicatas statuit decessor noster ROTHARI rex conponere: propterea nobis rectum cum nostris judicibus conparuit esse, ut et in ista causa de possessione duplicentur ipsi anni, ut fiant LX. Et si aut judex aut actor noster ipsum quae possessionem talem habit pulsaverit quod ipsam rem injuste possedissit aut invasissit, et non sint conpleti LX anni: tunc ille cujus possessio est dicat juratus ad sancta evangelia aut de se aut de patre aut de avio, quod ipsam rem per principem, qualem ausus fuerit nominare, ipse aut parentes ipsius per LX annos possedissit, nec eam per legem dimittere deveat, et sit postea securus. Et si hoc facere ausus non fuerit, aut forte gastaldius aut actor provare potuerit quod conpleti LX anni possessio ipsa non sit, et veritas apparuerit quod de puplico fuissit, aut ostendat preceptum, aut amittat ipsam rem si LX anni in ipsa possessione non fuerit conpleti. Et si forsitans aliquis de servo aut de aldione domno regis conparavit, et provata causa fuerit, relaxit ipsam rem in puplico: quia de servo aut de aldione regis possessio vinditionis esse non devit, sicut nec de aliorum servis vel aldionibus.

X.

LXXVIIII. De eo homine qui cavallo in mercato conparare voluerit, ut ante duos aut tres homines eum emere deveat, nam non segrete; et si aliquis postea ipsum cavallum cognoverit, habeat testimonia

in cujus presentia conparavit, et ei postea furti calomnia non fiat. Et si ad ipsos testes non credederit qui furtum querit, firment ipsi testes per sagramentum, excepto si tales hominis fuerent, quibus rex aut judex sine sagramento credere possit. Et si homenis non habuerit in quorum presentia conparavit, nisi simpliciter dixerit, quod *Conparavi de Franco*, aut *Nescio de qualem hominem*, conponat ipsum cavallum pro furtum.

XI. *De furonibus.*

LXXX. Ut unusquisque judex in civitatem suam faciat carcirem sub terra; et cum inventus fuerit, ipsum furtum conponat, et conpraehindat eum, et mittat in ipso carcire ad annos duo vel tres, et postea dimittat eum sanum. Et si talis persona fuerit, ut non habeat unde ipsum furtum conponere, debeat eum dare in manus illius cui ipsum furtum fecit, et ipse de eo faciat quod voluerit. Et si postea iterum ipse in furto tentus fuerit, decalvit eum et cedat per disciplinam, sicut devit furonem, et ponat ei signum in fronte et faciae; et si nec sic emendare voluerit, et post ipsas districtiones in furtum tentus fuerit, vindat eum foris provincia, et habeat sibi judex praetium ipsius; verumtamen ut provata causa sit, et non eum sine vera provatione deveat vindere.

XII.

LXXXI. Si quis homo cavallum perdederit aut aliam qualemcumque rem, vadat ad judicem qui in loco positus est ubi furtum factum fuerit, et dicat ei omnia qualiter ei contegit; et si judex neclectum fecerit ad inquirendum ipsum furtum, conponat de proprio suo furtum ipsum. Et si dixerit quod nullum neclictum fecissit, preveat sacramentum quod neclictum ad inquirendum non fecissit, nisi quod invenire non potuissit, et sit absolutus; quod si jurare ausus non fuerit, conponat ut supra ipsum furtum de proprio suo.

XIII.

LXXXII. Si quis carrum et boves in silva sua invenerit, et lignamen superposito aut cum qualemcumque rem honerato, et ipsos boves aut carro conprehenderit et ad propriam suam duxerit, non sit culpavelis, pro eo quod in rebus suis eum invenit.

XIIII.

LXXXIII. De omnibus judicibus, quando in exercito ambolare necessitas fuerit, non dimittant alios homenis, nisi tantumodo qui unum cavallo habent, hoc est homines sex, et tollant ad saumas suas ipsos cavallos sex; et de minimis hominibus, qui nec casas nec terras suas habent, dimittant homenis decem, et ipsi homenis ad ipsum judicem faciant per ebdomata una operas tres, usque dum ipse judex de exercito revertitur. Sculdahis vero dimittat homenis tres qui cavallus habent, et tollant ad saumas suas ipsos cavallos tres; et de minoribus hominibus dimittant homenis quinque, qui faciant ei operas dum ipse reversus fuerit, sicut ad judicem diximus, per ebdomata una operas tres. Saltarius quidem tollat cavallo uno, et de minoribus qui ei operas faciat tollat homine uno, et faciat ei operas sicut supra legitur. Et si amplius judex vel sculdahis aut saltarius dimittere presumpserit homines sine regis permisso aut jussione, qui in exercito ambolare devit, conponat wirigild suo in sagro palatio.

Haec omnia superius conpraehinsa, quae antea per judicium finita et statuta sunt et terminum positum est, sic maneant sicut antea sunt statuta; quae autem amodo emerserent sic terminentur, sicut nunc in presenti Edicti paginam adfiximus.

EXPLICIT DE ANNO XIIII.

INCIPIT DE ANNO QUINTODECIMO.

(Kalendis martiis, anno DCCXXVII.)

VOLUMEN NONUM.

Jam enim octo vicibus illa in antico Edicti corpore aucmentare previdemus, quae credimus Deo et bonis hominibus placita esse. Modo quidem una cum nostris judicibus et reliquis Langobardis fidelibus nostris, diae kalendarum martiarum, anno, Deo protegente, regni nostri quintodecimo, indictione decima, iterum pro quietudine pauperum et omnium Langobardorum fidelium nostrorum tranquillitatem prospeximus in Edicti corpore illa adjungere, unde antea erat incerta difinitio, quoniam alii volebant per usum, alii per arbitrium judicare. Sed melius nunc est ut ille inponatur terminus unde nostri subjecti non fatigentur, et qualiter omnium unus fuit una nobiscum consensus, ita amodo et in futuro deveat permanere.

Primum omnium statuere previdemus pro christianae et catholicae legis defensione, quatinus nullus a fide Christi oberrare presumat, sed firmiter in ea permanentis Deum possemus habere defensorem atque propitium.

Cap. I.

LXXXIIII. Si quis timoris Dei immemor ad ariolos aut ad ariolas pro aruspicis aut qualibuscumque responsis ab ipsis accipiendis ambolaverit, conponat in sagro palatio medietatem pretii sui sicut adpretiatus fuerit tamquam si eum aliquis occisissit, et

insuper agat penitentiam secundum canonis instituta. Simili modo et qui ad arbore quam rustici sanctivum vocant atque ad fontanas adoraverit, aut sagrilegium vel incantationis fecerit, similiter mediaetatem pretii sui conponat in sagro palatio. Et si quicumque sciens ariolum aut ariolam, non eos manefestaverit, aut illos celaverit qui ad ipsos vadent et non manefestaverit, suprascriptae poene subjaceat. Qui autem servum suum aut ancillam ad ipsos ariolus aut ariolas transmiserit ad aliqua responsa ab eis recipienda, et provatum fuerit, suprascripta poenam conponat. Si vero servus aut ancilla sine volontate dominorum suorum, et tantum ex sua auctoritatem, ad ariolum aut ariolam ambolaverit similiter ad aliqua responsa accipienda, tunc dominus eorum venundare eos deveant foris provincia; et si neglexerit dominus eorum hoc facere, suprascriptae poene subjaceat.

II.

LXXXV. Si quis judex aut sculdahis atque saltarius vel deganus de loco ubi arioli aut ariolas fuerit neglexerit amodo in tres mensis eos exquirere et invenire, et per alios homines inventi fuerent, tunc conponat unusquis de locum suum mediaetatem praetii sui, sicut supra legitur. Et si manefestatum fuerit quod sciat judex aut sculdahis vel saltarius aut deganus ubi ipsi arioli aut ariolas sunt, et eos non condemnaverit, aut premium tolerit, aut quasi causa piaetatis vel pro qualicumque genio eos absolserit, tunc integro wirigild suo in sagro palatio conponat. Nam si per judicim inquisiti aut inventi fuerent sine noditia de sculdahis, tunc habeat ipse judex potestatem foris provincia eos vindendum, et praetium sibi tollendum atque habendum. Nam si per sculdahis inventi fuerent, mediaetatem de ipso praetio tollat judex et mediaetatem sculdahis; et si deganus aut saltarius ipsos ariolus aut ariolas vel suprascriptus sacrilecus invenerit, et sculdahis suo manefestaverit, tunc tertiam partem ipse saltarius aut deganus de ipso pretio per quem inventi fuerent habeat sibi, et duas partis tollat ipse sculdahis. Et ita prospeximus, ut unusquis judex et sculdahis faciat mittere preconem, ut qui usque modo ipsa nec dicenda opera egerunt, sibe masculus sibe femina, ut amodo non faciant; et si amodo non fecerent, non vadant venales: nam si post ipsum preconem in talibus malis operibus inventi fuerent, poenae suprascriptae subjaceant. Et ita volumus atque precepimus, ut unusquis sculdahis et saltarius atque deganus jurare debeat judici suo ad sancta Dei evangelia, quod in ista causa nullum neclictum ponant; quia justum est ut, dum in nostra causa neclictum ponere non presument, nec nobis celare qui contra nos agent aut consiliant, quantum magis non debent neclictum in Dei causa ponere, quae plus est, ad inquirendum?

III.

LXXXVI. Si quis cavallum alienum in damnum suum invenerit, et juxta anteriore Edictum ad clausura minaverit, et illam rationem fecerit quam Edictus anterior cernit, sic exinde procedat judicium, sicut gloriosae memoriae Rotharit rex instituit; nam si amplius aliquid in ipso cavallo facere presumpserit quam Edictus anterior legitur, si ipse cavallus nihil mali passus fuerit, conponat pro ipsa inlecita presumptione, juxta qualis ipse cavallus fuerit, medietatem praetii quantum ipse cavallus appretiatus fuerit, pro ipsa inlecita presumtione, et ipsum cavallum sanum restituat dominum ejus. Nam si ipse cavallus mortuus aut lesus fuerit, sic conponatur, sicut in anteriore Edictum legitur, et insuper pro ipsa inlecita presumptione conponat ut supra.

IIII.

LXXXVII. Si quis cum servo aut aldione vel cum pertenentem alieno de qualiscumque rem convenerit sine noditia domini ejus, quae in anteriore Edicto non contenetur, et provatum fuerit quod res domini sui naufragassit, tunc reddat ipsam rem qui eam suscepit absquae praetio domino ejus, ita ut satisfaciat per sagramentum quod amplius exinde non tolissit. Postea dominus ejus faciat de servo aut de aldione suo quod illi placuerit.

V.

LXXXVIII. De servis fugacibus, quia jam antea capitulum istum adfiximus, sed non est specialiter dictum in quali spatium dominus ejus eum perquirere debeat, ut justitiam faciat qui eum conpellat. Modo vero ita prospeximus, ut si fuerit in Beneventum aut in Spoliti, habeat spacium dominus ejus in mensis tres; quod si fuerit intra Tuscia, habeat spatium mensis duo; et si fuerit ista parte Alpe, habeat spatium perquirendum in mense uno, et faciat justitiam ei qui eum de servo suo conpellat.

VI.

LXXXVIIII. Si quis conjogi suae metam dare voluerit, ita nobis justum esse conparuit, ut ille qui est judex debeat dare, si voluerit, in solidos cccc, amplius non, minus quomodo convenerit; et reliqui novelis homenis deveant dare in solidos ccc, amplius non; et si quiscumque alter homo minus voluerit, quomodo convenerit. Et ipsa meta sub aestimatione fiat data et adpraetiata, ut nullo tempore exinde intentionis aut causationis procedant.

VII.

XC. Si quis res alienas, casas, aut terras, aut

pecunia, aut familias malo ordine possederit, et per legem et justitiam et per judicium exinde victus et expulsus fuerit, aliud exinde non conponat, nisi retro tempos reddat frugis et laboris sub sagramento ab illo diae quod exinde conpellatio facta et manefestata est.

VIII.

XCI. De scrivis hoc prospeximus, ut qui cartolas scribent sibe a legem Langobardorum, quoniam apertissima et pene omnibus nota est, sibe ad Romanorum, non aliter faciat, nisi quomodo in ipsis legibus contenetur; nam contra legem Langobardorum aut Romanorum non scribant. Quod si non sciunt, interrogent alteros; et si non potuerent ipsas leges pleniter scire, non scribant ipsas cartolas: et qui aliter facere presumpserent, conponat widrigild suum. Exceptó si aliquit inter conlibertus convenerit, et quiscumque de lege sua subdiscendere voluerit, et pactionis aut convenentias inter se fecerent, et ambe partis consenserent, isto non inpotetur contra legem, quia ambe partis volontariae faciunt; et illi qui tales cartolas scribent, culpavelis non inveniantur esse. Nam quod ad hereditandum pertinet, per legem scribant. Et quia de cartola falsa in anteriore Edictum adfixum est, et sic permaneat.

VIIII.

XCII. Si quis liber homo in terra aliena resedens livellario nomine humicidium fecerit, et fugam lapsus fuerit, tunc ille in cujus terra ipse humicida habitavit habeat spatium in mense uno ipsum hominem perquirendum; et si eum invenerit, licentiam habeat ipsum hominem, quamvis liber sit, conpraehindendum, et tradendum in manus illius cui humicidium fecit. Et si hoc non fecerit, dare deveat mediaetatem de omnebus rebus movilibus, excepto tectoras, quas in ipsa casa ipse humicida habuit; quod si nec hoc voluerit facere ipse cujus terra est, dare deveat livellario nomine ipsa terra ei cui humicidium factum est, ut reddat ei exinde sicut ille reddebat qui ipsum humicidium fecit. Tamen de his trebus capitulis in illius sit potestatem elegendi cujus terra est, ut faciat exinde unam qualem voluerit.

X.

XCIII. Si quis mulierem aut puellam aut religiosa femina, quae in alterius mundium est, in sacramento mittere presumpserit, conponat mundoald ejus solidos numero L, et in palatio numero L.

XI.

XCIIII. Si quis fream alienam sine volontatem de mundoald ejus movere de casa ubi inhabitat presumpserit, et alibi duxerit, conponat ille qui in caput est pro inlecita presumptione ad mundoald ejus solidos numero LXXX; et si liberi homenis cum ipso fuerent, conponat unusquis per caput solidos XX: servi autem in conpositione domini sui conpotentur. Nam si forte ille homo liber fuerit, qui ipsam fream de casa ubi est tolerit, et sibi uxorem duxerit, sic conponat, sicut gloriosae memoriae ROTHARIT rex in anteriore Edicto instituit.

XII.

XCV. Si quiscumque liber homo ancillam suam pro religionis et munditiae causa vestem religiosam induerit, ut ei, sicut consuitudo terrae aestius est, inferendam aut oblationem per loga sanctorum deveat deportare, et contegerit ex peccatis ut quispiam homo eam oxorem ducat, ubicumque inventi fuerent separentur, et conponat ipse qui eam tolit oxorem domino ejus solidos XL, et illa revertatur in pristinum habitum. Quod si aliquis eam, quod absit, adulteraverit, simili modo conponat domino ejus solidos numero XL: quia Edictus anterior de gentile ancilla adulterata XX solidos contenit ut conponatur, de Dei quidem ancilla justum est ut conpositio dublicetur. Verumtamen sic statuimus, ut si provata causa fuerit per presveterum aut alium sacerdotem, quomodo ipsa vestem religiosa induta est, ut non fiat alicui homini calomnia pro figmento, sed pro certa veritate; et dum provatio vera facta fuerit, sic ipsa conpositio fieri deveat.

Haec autem omnia, quae modo in presente Edicti corpore adfixemus, si deinceps causa emerserit sic deveat fieri terminata, sicut nunc statuere visi sumus; quae autem antea emerserunt sic determinentur, sicut anterior institutio fuit.

EXPLICIT DE ANNO XV.

INCIPIT DE ANNO SEXTODECIMO.

(Kalendis martiis, anno DCCXXVIII.)

VOLUMEN DECIMUM.

Pluribus jam quidem vicibus in antiquo Edicti corpore ea adjungere curavimus, quae pro salute animae et gentis nostrae salvatione esse prospeximus. Nunc alia, quae simili modo, ea considerantes, secundum Deum recte esse cognovimus, ut nec perjuria nec jurgia inter nostros emergant fideles, praevidentes una cum nostris judicibus atque fidelibus Langobardis, et modo presenti tempore, die kalendarum martiarum, anno, CHRISTO protegente, regni nostri XVI, indictione undecima, iterum adjungere: Deum invocamus testem, non pro

aliqua vana gloria aut laude humana querendum, sed Dei omnipotenti placendo, et nostros de errore tollendo subjectos.

CAP. I.

XCVI. Si quis pro causam suam aliquid judici aut ad qualemcumque locopositus vel fidelis regi dederit, et viventem eum requisierit dicendo quod liberatum non sit, faciat illi justitiam post quantuscumque annos requisierit. Nam si post mortem ejus filius aut heredis pulsaverit, sic statuimus, ut si viventem patrem pulsavit proclamando ad regem, aut conpellandam per tales homines quorum fedis ammittitur, et veritas apparuerit quod pulsavit et justitiam invenire non potuit, faciat ei filii aut heredes justitiam sicut lex est, si intra anni spatium post mortem patris sui repetitionem suam ostendere potuerit; nam si suam reclamationem ostendere non potuerit, et anni spatium preterierit, aetiamsi pulsassit non habeat fagundiam filius aut heretis repetendo, nisi sit sibi contemptus: quia et de wadia et fidejussore de sagramento ita ROTHARI decessor noster in anteriore Edicto sic statuit, ut post anni spacium cujus pars neglexerit amittat causam suam; ideoque nobis congruum paruit, ut ipse qui sine wadia et fidejussorem repetire querit, post anni spacium facundiam non habeat repedendum.

II.

XCVII. Si quis alium pulsaverit de servo suo aut aldionem, quod furtum aut humicidium aut aliquod malum fecissit, si viventem ipso servo aut aldionem eum pulsavit et conpellationem fecit, faciat ei justitiam quandoque pulsatus fuerit. Nam si dum ipse servus advixerit dominum ejus non pulsaverit, nisi post mortem servi aut aldionis ipsius quesierit a domino ejus ut ei justitiam faciat, decrevimus ut nullam facundiam habeat requirendi, si vivente servo aut aldionem non pulsavit dominum ejus: quia injuste nobis apparuit, ut posteus servo aut aldionem ipsum inquirere non potest, ut ei aliquam justitiam faciat.

III.

XCVIII. Si servus cujuscumque ancillam alterius tolerit, et dominus ancillae eam libertaverit et amund fecerit, aut si eam vindederit et qui eam emit doloso animo libertaverit, et servus ipse in servicium permanserit, amittat ipsa libertatem suam, et sit ancillam regis; et ipse qui eam libertaverit conponat regi aliam talem, aut precium quantum ipsa valuerit, eo quod conludium fecit. Servus vero ipse sit in potestatem domini sui, et ancillam ipsam faciat dominus servi suam cum pretium, aut qualiter regi optinere potuerit.

IIII.

XCVIIII. De puero intra aetatem decrevit clementiam nostram cum nostris judicibus vel reliquis Langobardis, ut sicut in alium hominem de rebus suis dum intra aetatem est donare non potest, ita nec regi donare possit antequam ad legitimam perveniat aetatem; quia de causam istam multe intentionis fuerunt.

V.

C. Nulli sit licentiam qualevit mulierem, mundium ejus habens in potestatem, post mortem mariti sui ante anni spacium eam velare aut monachico habito induere. Et si ipsa, sua volontatem, ante anni spacium hoc facere disposuerit, veniat ad palatium regi, et dicat clementiae ejus volontatem suam; et interrogata vel inquisita diligenter a rege, per ejus permissum accipiat religiones velamen. Si vero ante anni spacium sine permissum regis quis hoc facere presumpserit, conponat regi widrigild suum; mundio vero mulieris vel res ejus propriae sint in potestatem palatii. Quia qui hoc ante anni spacium facere querit, propter logrum pecuniae vel saeculi hujus cupiditatem hoc facere querit, nam non ob amorem Dei, aut animae ejus salvandam; quia post mortem viri sui, dum dolor recens est, in quale partem voluerit animum ejus inclinare potest: nam cum in se revertitur, et carnis delictationis eis obvenerit, quod pejus est, in adulterium cadit, et nec monacha esse invenitur nec laiga esse potest. Et si alter quiscumque homo in cujus mundium non est hoc facere presumserit, conponat widrigild suum in sagro palatium, et ipsa cum rebus suis sit in potestatem mundoaldi sui.

VI.

CI. Si qua mulier religionis velamen induta fuerit, vel observata omnia qualiter in superiore capitulo adfixa sunt in monasterio intrare voluerit: si filius aut filias habuerit in quorum mundium esse inveniatur, cum tertiam portionem de propriis rebus suis intrit in monasterium, et post ovitum ejus remaneat in ipso monasterium ubi ipsa intraverit; si vero filius aut filias non habuerit, cum medietatem de rebus suis in monasterio intrare possit, si voluerit, et post ejus decessum maneat ipsam medietas in potestatem monasterii. Nam si in domum permanserit, potestatem habeat de rebus suis judicare pro animam suam, aut cui voluerit, tertiam portionem; duas vero portionis sint in potestatem ipsius ad quem mundium eius pertinet.

VII.

CII. Si quis Langobardus habuerit filium masculinum legetimum unum, aut filia legetimam unam aut plures, et, antea quam eas ad maritum tradat,

ad mortem venerit, potestatem habeat ad filias suas per cartola donationis, si voluerit, usque ad quartam portionem de rebus suis judicare, et si judicaverit, stabilem permaneat; si vero duos filius legetimus habuerit, et filia una aut plures, septima portionem earum de rebus suis judicet, si voluerit; nam si vero amplius fuerit filii, per hanc rationem conpotetur. Si vero pater viventem eas ad maritum dederit, ordinet eas juxta legem qualiter voluerit.

VIII.

CIII. Nulli sit licentiam conjugi suae de rebus suis amplius dare per qualemcumque ingenio, nisi quod ei in diem votorum in mepfio et morgincap dederit, secundum anteriorim Edicti pagina; et quod super dederit, non sit stabilem.

EXPLICIT DE ANNO XVI.

INCIPIT DE ANNO SEPTIMODECIMO.

(Kalendis martiis, anno DCCXXVIIII.)

VOLUMEN UNDECIMUM.

Vicibus jam decem in volumina in antiquo Edicti corpore illa adicere curavimus, que Deo placita et genti nostre expedivilia esse cognovimus; et nunc quidem, propter singulas vexationes que inter homines oriuntur, perspeximus etiam et modo adjungere que oportuna esse probantur. Et ita statuimus atque censuimus, ut a die isto kalendarum martiarum, anno regni nostri, Deo propitio, septimodecimo, indictione duodecima, sic debeat de istis causis judicium procedere; nam quod antea statuta sunt, modo menime revolvantur. Quia nobis sic constitit cum nostris judicibus tam de Austria et Neustria, et de Tusciae partibus, vel cum ceteris Langobardis fidelibus nostris: id est in primis

CAP. I.

CIIII. Si servus cujuscumque habens legitimam oxorem et aliam ancillam super eam duxerit, conponat dominus servi sicut Edicto de adulterio contenit ei cujus ancillam postea tolit; ancilla vero ipsa pro inlecita presumptione accipiat talem disciplinam a domino suo in presentia de domino servi, ut aliam ancillam hoc facere non presumat.

II.

CV. De his qui de inlecito matrimonio ante tempo nati sunt, et eis legetimi fratris sui volontariae partem dederunt, ita statuimus, ut si ei fratris sui legetimi volontariae partem dederunt, in ipso deveant permanere, et eos exhereditare menime deveant; nam pater non possit illos inlecitus neque per thinx vel per qualicumque conludium heredis instituere. Hoc autem ideo statuere previdemus, ut omnes homo qui vult accipiat oxorem legetimam, non inlecitas contraat nuptias. Si autem fratres non sunt, et parentis propinqui fuerent qui potuerunt legetime ad hereditatem venire, et usque modo tacuerunt, taceant et in antea: et nullam habeant contra eos qui possedit per xxx annos fagundiam loquendi, dicendo quod exherede esse debeant, nisi quod per xxx annos possederunt, possedeant.

III.

CVI. Si quis aldiane alienam aut suam ad oxorem tollere voluerit, faciat eam widribora, sicut Edictus contenit de ancillam; nam qui sine ipsa ordinatione eam quasi oxorem habuerit, filii qui ex ea nati fuerent non sint legetimi sed naturalis.

IIII.

CVII. Si plures homenis cartolam convenientiae inter se fecerent, et poena posuerent, et postea unus, duos, aut tres, vel amplius se de ipsa conventientiam subtraere se voluerent aut poena rupperent: unusquisque per caput conponat ipsa poena quam posuerunt in integrum, quia omnes unianimiter consenserunt, et nullus eos imperavit talis causam facere; ideo per caput conponant qui ruperunt ipsa poena, sicut per caput volontariae consenserunt.

V.

CVIII. Si quis fedejussorem aut devitorem suum pigneraverit, et ipsum pignum recollegere neglexerit, et eum per duodicem dies dimiserit, tunc ille qui pignum ipsum aput se habit, si servus aut ancilla est costodiat eum, ut ei fatiga non faciat, et faciat sibi eum operas facere sicut suum proprium servum aut ancillam; et super habeat licentiam repinerare usque in secundam vicem, ut sint ipsa pignera in dubblo quantum devitum ipse est. Et si per xxx dies pignera ipsa debitor aut fidejussor recollegere neclexerit, si in Neustria aut in Austria fuerent, amittat ipsa pignera, et non habeant facundiam requirendum; si vero in Tusciae partibus fuerit, habeat spatium in dies LX, nam si super sexagenta dies fuerit, similiter amittat pignera ipsa. Insuper potestatem habeat qui pigneravit causam suam per legem agere et procurare.

VI.

CVIIII. Si quis permissum habuerit de devitotorem aut fidejussorem suum, ut per bove aut cavallus domitus pignerare possit, et pigneraverit, et intra duodicem noctis pignera sua devitor aut

fidejussor recollegere neglexerit, potestatem habeat eas menare sicut suas proprias et governare; et si mortui fuerit, non requiratur. Nam si pulsatus fuerit quod iniquo animo plus quam suam animalia minassit, satisfaciat ei solus ad evangelias. Si vero per xxx dies ista parte Alpe, aut per lx dies illa parte Alpis dilataverent, et non recollexerent, sicut superius de servo aut ancillam statuimus, ita et de cavallus vel boves, aurum vel argentum, vestimenta, aeramenta, ferramenta, aut animalia minuta, vel quolevit pignus fuerit, esse censimus.

VII.

CX. Si quis servum alienum aut ancillam loco pigneris tenuerit, et furtum aut humicidium vel quolevit malum fecerit, non repotetur proprio domino, nisi ei qui eum tenuit; quia posteus eum pro devitum suum conpraehindit, sic custodire devit, ut aliquo malo facere non possit. Si vero ancillam fuerit, et cum eam ipse qui pigneravit aut servus ejus adulteraverit ante prefinitum constitutum quod superius posuimus de xxx et lx dies, conponat adulterium ipsum domino ejus cujus fuerit ancillam; post constitutum vero xxx vel lx dierum spatium sit in potestatem ejus qui pigneravit, si ipse cujus fuerit recollegere neglexerit.

VIII.

CXI. Si quis servum aut aldionem alterius per conludium conprehindere presumpserit, dicendo quod super furtum suum eum praesissit, aut tacito in curtem suam noctis tempore invenissit, et conludius ipse apparuerit, et certa fuerit veritas adprovata: conponat ipse qui eum adpraehindere per talem ingenio presumpserit ei cujus fuerit servus aut aldius quantum ipse conponere debuit, si absque conludium aut fraudem eum presissit, id est furtum ipsum quod querebat in actogild, et pro inlecita presumptione solidos quadragenta; et si furtum non repetierit, nisi de tacito in curtem suam conpraehinsus dixerit, conponat solidos quadragenta, si ipse conludius apparuerit.

VIIII.

CXII. De puella unde antea diximus, ut in duodecimo anno legitima sit ad maritandum, sic modo statuimus, ut non intrantem ipso duodecimo anno, sed expleto, sic sit legetimam ad maritandum. Ideo nunc hoc dicimus, quia multe intentionis de causam istam cognovimus; et apparit nobis, quod inmatura causa sit ante expletus duodicem annos.

X.

CXIII. Si quis Langobardus voluerit in filios suos sibi bene servientibus aliquid largiri, habeat licentiam in hoc modo: ut si fuerint duo filii, tertiam partem supstantiae suae possit meliorare eum, qui ei bene et secundum Deo ovediens fuerit et servierit; et si tres fuerent, habeat licentiam quartam partem meliorare quem voluerit; et si fuerent quattuor filii, tribuat quintam partem; et si fuerent quinque filii, sextam partem; et si fuerent sex, septimam; et si amplius fuerent, per hoc nomiro percurrat: ut semper qui pater est vicorem habeat, qualiter ei filii sui recte, ut diximus, obediant et serviant; et si ei todi bene servierint, habeant aequalitatem substantiae patris. Quod si forsitans quiscumque secundam aut tertiam mulierem duxerit, et habuerit filius et de anteriorem conjoge et de sequentem: non habeat potestatem illos posteriores, quorum mater vivit, meliorem facere dum ipsa advixerit, ne dicat aliquis quod per ipsa mulierem talis soasio facta fuissit; defuncta autem mulierem pater licentiam habeat facere sicut supra legitur. Quia credimus secundum Deum esse, ut dum servus qui bene serviunt melioratus vidimus et remuneratus a dominis suis, quam illos qui recte non serviunt: quantu magis debent fieri recta causa, ut homo filium suum meliorare et remunerare possit, qui ei melius servierit?

XI.

CXIIII. Si puella sine volontate parentum absconse ad maritum ambolaverit, et ei meta nec data nec promissa fuerit, et contegerit ut maritus ipse antea moriatur quam mundium de eam faciat: contenta sit ipsa mulier, nec possit postea metam querere ab heretibus ejus qui defunctus est; pro eo quod neclegenter sine volontate parentum suorum ad maritum ambolavit, nec fuit qui justitiam ejus exquireret.

XII.

CXV. Si quis possederit qualiscunque rem movilem aut inmovilem per cartolam falsam, et adprovatum fuerit quod per ipso monime falsum rem ipsam possederit, non eum defendat possessio sua, hoc est xxx annorum, nec excludat illum cujus res legibus fuit, sed amittat ipsam rem quam per cartolam falsam possidet, si tamen, ut diximus, adprovatum fuerit, et ille ipsam recipiat, cui antea per legem pertinere debuerat.

XIII.

CXVI. Si quis commutaverit terram aut pratum vel silvam, et inibi laboraverit, et aedificium fecerit, aut clausura aut vinea posuerit, et postea surrexerit tertius homo qui ipsum locum suum faciat, et eum ille qui dedit defendere non potuerit, recipiat rem suam quam dedit; et insuper ille qui dedit, et menime potit defendere, ipsum damnum ei restituat, quantum adpretiatus fuerit quod ibidem postea laboravit vel edificavit. Sed et de conpara-

tionem statuimus sicut de cummutationem. Hoc autem de his causis dicimus, unde cartolam commutationis aut vinditionis homenis inter se non faciunt; nam unde cartolam faciunt et ostenduntur, sic deveat esse sicut in ipsa cartolam legitur.

EXPLICIT DE ANNO XVII.

INCIPIT DE ANNO NONODECIMO.

(Kalendis martiis, anno DCCXXXI.)

VOLUMEN DUODECIMUM.

Superstitiosae et vanae contentiones assidue nostram inpulsare clementiam non cessant. Et dum ad resecandas intentiones inproborum noster intenderit animus, quicquid nobis cum nostris judicibus vel reliquis Langobardis recta conparuerunt, sicut XI *jam vicibus a nobis alia statuta sunt, ita et nunc in presente nonodecimo anno regni nostri, die kalendarum martiarum, indictione quartadecima, decidere et confirmare in hujus Edicti pagina previdimus; ut si amodo de his capitolis quae subter adnexa sunt aliqua intentio excreverit, sicut statuimus ita finiantur atque determinentur.*

Cap. I.

CXVII. Si infans ante decem et octo annos, quod nos instituimus ut sit legetima etas, spunsalia facere voluerit, aut sibi muliere copolaverit, habeat potestatem et metam facere, et morgincap dare, juxta Edicti tinore, et oblicationem facere, et fidejussore ponere, et carta, si voluerit, pro causa ista scrivere; et qui fidjussoris stederent, aut scriva qui pro causa ista cartam scripserit, nulla exinde habeat damnationem: quia nos ideo usque ad illam etatem perduximus causam de infantibus, ut ipsi res suas non deveant naufragare aut disperdere; nam pro ista conjunctio quam Deus precepit, absolvimus ut fiat.

II.

CXVIII. Recolimus enim quod statuimus cum nostris judicibus, ut qui hominem liberum occiserit omnem substantiam suam amittat. Modo vero, dum repetirent singolis homenis, cui forte aliquam duritiam detenebant, quod parentis ejus qui in lectulum suum mortuos fuerat per veninum occisissit, et dum per pugnam ipsam causam, sicut antiqua fuerat consuitudo, querere disponebat: gravis causa nobis esse conparuit, ut sub uno scuto per pugnam omnem substantiam suam homo amitterit. Ideoque statuere previdemus, ut si amodo talis causa emerserent, quis ille mortem parentis sui querere per pugnam voluerit, quod eum per veninum occisissit, observata ea que in anteriorem Edicto scripsemus, ut per evangelia afirmit quod non asto animo causam ipsam querat, nisi quod certa ei sit suspectio, potestatem habeat querere per pugnam, sicut antiqua fuit consuitudo. Et si ei ferita venerit cui crimen ipsum inmettitur, aut ad camphionem ipsius quem conductum habuit, non amittat omnem substantiam suam, sed conponat eum secundum qualitatem personae, sicut antea fuit lex conponendum. Quia incerti sumus de judicio Dei, et multos audivimus per pugnam sine justitia causam suam perdere; sed propter consuitutinem gentis nostre Langobardorum legem ipsam vetare non possumus.

III.

CXVIIII. Si quis filiam suam aut sororem sponsare voluerit, habeat potestatem cui voluerit, libero tamen hominem, sicut anterior contenit Edictus; nam posteus eam sponsaverit, non habeat potestatem alteri homeni eam ad maritum dandi ante bienni tempus: et si dare cuilevit presumpserit, aut ipsa spunsalia inrumpere voluerit, conponat sponso ipsius sicut inter se poena posuerunt, qualiter in anteriorem Edicto legitur pagina; insuper in palatium regis conponat widrigild suum, et ille qui eam tolleri presumpserit conponat similiter in palatio widrigild suum. Si vero sine volontatem patris aut fratris eam tollere presumpserit qui jam alteri est disponsata, conponat sponso ejus dubbla meta, sicut Edictus anterior contenit, et in palatium regis conponat widrigild suum; pater vero aut frater, qui in tali causa non consenserunt, sint soluti. Puella vero ipsa qui suam volontatem hoc facere presumpserit, si aliqua ei portio ex parentum successionem devetur, amittat ipsam portionem suam, et nuta et vacua de rebus parentum suorum vadat, et ipsi succedant qui per legem succedere possent; nec possit ei pater aut frater per quolevit genium aliquid dare, aut hereditatem relinquere. Quia excrevit vicium hoc in gentem nostram pro cupiditatem pecuniae, et ideo eum resegare volumus, ut inimicidias cessent et faida non habeant. Si autem, quod absit, post sponsalia facta talis inter parentis ipsius excreverit inimicitias, qualiscumque causam intervenientis, ut humicidium de parentem ipsorum proveniat, unde duritiam inter se teneant: si dare aut tollere voluerit, conponat pars qui neclexerit sicut statutum inter se habuerunt, et sint absoluti; quia non est bonum ut ibi quispiam deveat dare filiam aut sororem vel parentem suam, ubi vera inimicitiam humicidii esse provatur.

IIII.

CXX. Contenit autem anterior Edictus de fream suam, qui eam male tractaverit ut amittat mundium ipsius; et non dicit qualis sit ipsa mala tractatio. Proinde providimus dicere, qualis sit ipsa

mala tractatio: id est si eam fame negaverit, aut vestimentum vel calciamentum secundum qualitatem pecuniae non dederit, aut ad servum vel aldionem alterius eam oxorem dare presumserit, aut eam battederit turpiter, excepto si infans fuerit pro honesta disciplina, ostendendum muliebre opera aut ad vicium malum emendandum, sicut de propriam filiam suam, et si eam in indicebilem operam quoacta minaverit, aut si ipsa adulteraverit; omnia haeç qui facere presumpserit, male tractata esse edicimus. Insuper et addimus, ut nec ad liberus homenis eam ad maritum absque ejus voluntatem dare presumat; quia pejus tractata esse non potest, si illum verum tollit, quem ipsa non vult. Ideo statuimus, ut propter plagas et feritas, si fecerit, vel de adulterium, conponat eidem femine sicut Edictus contenit, et mundium ejus amittat.

V.

CXXI. Si quis admodum inventus fuerit cum uxorem alienam turpiter conversari, id est si manos in seno aut ad pectum ejus miserit, vel ad alium locum unde turpe esse potest, cum consensum ipsius mulieris, et provatum fuerit, conponat qui hoc malum penetravit widrigild suum ad maritum ipsius mulieris; si autem causa non fuerit provata, nisi tantummodo quispiam de suspecto alium de oxorem suam conpellaverit, habeat licentiam ipse qui conpellat aut ad pugna aut ad sagramentum ipsum hominem querere qualiter voluerit. Si vero ipsa mulier in hac inlecita causam consentiens fuerit, potestatem habeat maritus ejus in eam vindicta dare, sibi in disciplina, sibi in vindicionem ubi voluerit; verumtamen non occidatur, nec ei sematio corporis fiat. Si quidem forsitans talis ipse fuerit liber homo, qui non habeat unde conpositionem faciat, tunc puplicus deveat eum dare in manum mariti ejus, et ipse in eum faciat vindicta in disciplinam et in vindicionem, nam non in occisionem aut in semationem. Si autem aldius aut servus alienus hoc malum in libera mulierem façere presumpserit, tunc patronus ejus conponat ad marito ipsius mulieris solidos LX, et ipsa persona dit ei in manu. Si vero servus aut aldius alienus per volontatem domini sui hoc malum fecerit quod supra scriptum est, et provatum fuerit quod ipse dominus consensit, conponat, sicut supra, widrigild suum, sic tamen ut ipse servus aut aldius in ipsa conpositionem tradatur. Et si provata causa non fuerit de domini ejus volontatem, tunc ipse dominus servi aut aldioni pureficet se per sagramentum cum legetimis sagramentalibus, ut in ipsum malum consentiens non fuissit, et sit absolutus; et tantum fiat sicut supra premisimus vel statuimus de servo vel de aldionem.

VI.

CXXII. Si quis miser et insipiens homo presumpserit sponsare mulierem habentem vero, sibi ipse vir ejus egrotus sit sibi sanus, sicut modo et nobis talem causam adnuntiatam est, et provatum fuerit, conponat ipse qui hoc fecerit widrigild suum ad maritum ejus; et ipsa suscipiat in se talem condemnationem, qualem superius diximus de illam mulierem, qui se turpiter adtractare permittit.

VII.

CXXIII. Si quis fororem accepto battederit hominem liberum aut mulierem liberam aut puellam, qui in scandalum ubi veri litigant venirent, et per ipsas feritas ponderosus vel ponderosas effecti fuerent, sicut et modo factum audivimus, conponat medietatem pretii ipsius masculi, tamquam si eum occidissit; de feminas semilem modo medietatem pretii tamquam si fratrem ejus occidissit: excepto si plagas aut feritas fecerit, conponat sicut anterior Edicto legitur.

VIII.

CXXIIII. Si quis aldium vel aldiam, servus vel ancillam battederit, et per ipsam batteturam ponderosi facti fuerent, medietatem pretii conponat domino vel patrono eorum tamquam si eum occidissit; excepto plagas aut feritas sic conponat, sicut in anteriorem Edicto legitur.

VIIII.

CXXV. Si quis malitiose et per superva, sicut et modo factum esse cognovimus, mulierem aut puellam liberam sedentem ad necessitatem corporis sui, vel in alium locum ubi ipsa femina pro sua necessitatem nuda esse vedetur, pungere vel percutere presumpserit, conponat ad mundoald ejus solidos octuacenta; et si aldius aut servus fuerit qui hoc facere presumpserit, conponat dominus ejus solidos LX, et ipsam personam qui hoc malum fecerit tradere deveat in manu de mundoald ejusdem femine.

X.

CXXVI. Si aldius cujuscumque aldia alterius tolerit ad oxorem, et filii de ea procreati fuerent, et mundium ex ea non fecerent, sint filii ejus aldionis cujus et mater fuerit. Nam posteus mundium fecerit, et filii nati fuerent, sicut anterior Edictus contenit patre sequantur; et talem legem habeant cum patrono suo, qualem et pater eorum habuit.

XI.

CXXVII. Si quis Romanus homo mulierem Langobardam tolerit, et mundium ex ea fecerit, et post ejus decessum ad alium ambolaverit maritum sine voluntate heredes prioris mariti, faida et anagrip

non requiratur; quia posteus Romanum maritum se copolavit, et ipse ex ea mundium fecit, Romana effecta est, et filii qui de tale matrimonio nascuntur secundum legem patris Romani fiunt, et secundum legem patris sui vivunt. Ideo faida et anagrip menime conponere devit qui eam postea tolit, sicut nec de alia Romana.

XII.

CXXVIII. In anteriore Edicti nostri capitula adfixemus, si wadiam suam solvendam quispiam liber homo tres fidejussoris habuerit liberos homines, et ipse qui wadiam suscepit reddere neclexerit, sic conponat sicut ille qui non habuerit fidejussores paratus. Modo vero, dum pravus homines cognovissimus talis fidiussores velle statuere qui nihil habuerent, nisi sulumodo personam suam, ut per eos justitiam suam creditur ipse invenire menime possit: statuimus, ut talis esse deveant fidiussoris ipsi, ut si amplius non habuerit quomodo eum pignerare possint quam ipsa oblicatio sit, vel tantum habeant, quantum, ut diximus, ipsa oblicatio est unde fidiussores intervenire debeant; nam si minus habuerit, non sit culpavelis ille qui eum recepere noluerit, nec ipse qui dare devit possit se excusare a culpam dicendo quod fidejussores paratus habuissit: quia inpossebilem est, ut talis fidiussoris homo recipiat, qui non habent, etsi amplius non, vel quantum ipsum devitum fuerit, quod tollere locum pigneris possit. Et si de presenti habuerit unde dare talis fidiussoris qui recipiendi sunt, ecce bene; si autem ipsa ora non habuerit, sit spacium de ipsam wadiam tres dies sine culpam, et postea debeat dare talis fidiussores qui habeant unde persolvant quod devitor dare debuit; si vero amplius dilataverit fidejussoris dandum, sicut antea statuimus sic conponat.

XIII.

CXXVIIII. Intervenientem vanissima et superstitiosa vel cupida soasionem et perversionem, apparuit modo in his temporibus, quae inlecita nobis vel cunctis nostris judicibus conjunctio esse paruit, quam adulte et jam mature aetate femine copolabant sibe puerolus parvolus et intra etatem legetimam, et dicebant quod vir ejus legetimus esse deverit, dum adhuc se cum ipsa miscere menime valerit. Nunc itaque statuere previdimus, ut nulla amodo femina facere presumat, nisi si pater aut avius pueri cum legetimi parentis puelle hoc facere previderit; nam si puer post mortem patris aut avii sui intra aetatem remanserit, et ei se qualiscumque femina, antequam ipse puer tertiodecimo anno conpleat, copolare presumpserit, dicendo quod legitimus maritus ejus esse debeat, inrita sit ipsa conjunctio, et separentur ab invicem. Femina vero ipsa revertatur vacua cum obproprium suum, et non habeat potestatem alio viro se copolare dum ipse puerolus ad aetatem suprascripta pervenerit: si quidem, ipsa inpleta etatem, puer ipse sibi eam oxorem habere voluerit, habeat licentiam; et si eam noluerit, tollat sibi alteram qualem voluerit aut potuerit. Illa vero, si ad alium maritum ambolaverit et ipse puerulus eam habere noluerit, non ei possit vero suo qui eam tollit pleniter mefio dare sicut ad aliam puellam, sed tantummodo mediaetatem sicut ad viduam mulierem. Qui vero puerum ipsum suaserit, sibe parentis ejus sint, sibe extraneos homo, conponat solidus centum, medietatem regi, medietatem ad ipsum puerolum.

EXPLICIT DE ANNO XVIIII.

INCIPIT DE ANNO VICESIMO PRIMO.

(Kalendis martiis, anno DCCXXXIII.)

VOLUMEN DECIMUM TERTIUM.

Haec sunt leges quas gloriosissimus LIUTPRAND *addidit princeps.*

Incipit capituli de anno XXI, *kalendis martiis, indictione* I, *domni* LIUTPRANDI *Regis.*

CAP. I.

CXXX. Si quis dixerit conjugi suae malam licentiam dandum, quia: *Vade, cumgumbe cum talem hominem*; aut si dixerit ad hominem: *Veni, et fac cum mulierem meam carnis comixtionem*; et talem malum factum fuerit, et causam provatam quod per ipsum maritum factum sit: ita statuimus, ut illa mulier, qui hoc malum fecerit et consenserit, moriatur, secundum anteriorem Edicto, quia talem causam nec facere debuit nec celare; quia si vir ejus cum ancillam suam aut cum alia femina adulterassit, mulier ipsa ad palatium et ad judicis habuit proclamare: ideo tacere hoc nequaquam debuit, quando ei primo fuerat dictum; propterea, ut diximus, moriatur, secundum anteriorem Edicti pagina. Ille autem vir ejus, qui ei tam malam licentiam dedit, aut alteri homeni dixit et auctoritatem tribuit in mulierem suam talem malum perpetrandum, conponat ad parentis ipsius mulieris suae tamquam si in scandalum occisa fuissit; quia et ipsa ex peccatis in scandalum cucurrere visa est quandum ad hoc malum penitrandum accessit, quia in majorem scandalum currere non potuit, quandum se ad mortem traxit: ideo, ut premisemus, conponat vir ejus sicut supra statuimus. Et res ejusdem mulieris, si filius habuerit, ipsi habeant; et si filios non habuerit, revertatur ad parentis ipsius mulieris; eo quod credimus quod talem malum ideo querat miser homo facere, ut

ipsam mulierem perdat et res ejus habeat. Ille autem homo qui ipsam mulierem alienam adulteraverit, quamquam cum vir ejus consilium, fiat traditus in manus ad parentis ipsius mulieris, nam non in manu veri sui qui talem malum consensit vel consilium inlecitum dedit. Item de causam istam quem supra premisemus, si consilium aut licentiam data fuerit ad mulierem, et ipsa non consenserit, et manefestaverit, et causam ipsam et ipsam operam malam facta non fuerit: tunc ipse vir ejus, qui ei talem licentiam et consilium dederit, conponat sicut antea in Edictum adfiximus quomodo qui alii malum consilium dat, id est solidos L; quia adhuc major malitia est quando homo ad molierem suam inlecitum consilium tribuit, quam si ad alterum hominem malum consilium dedissit.

II.

CXXXI. Si quis comendaverit res suas in cujuscumque casa de conlibertos suos libero hominem, et contegerit ut adveniens fur res ipsas furaverit, et ipse in cujus casa ipsas res fuerunt reddederit, aut si non redderent tamen reddere debit. Et nos ita statuimus et diffinimus, ut qui res alienas comendatas susceperit, et eas perdederit, restituat res ipsas cui fuerent; et si postea ipse furtus inventus fuerit, ei conponat ipse furtus de cuius casam ipsas res rapuit aut furavit. Quia ideo hoc prospeximus, quoniam si illi conponat ipsum furtum cui res ipsas fuerit, postea ille cujus casam rupit quereret rupturam case suae; et non possumus in unam causam duas calomnias inputare. Ideoque sic nobis justum fuit, ut ille qui res suas comendavit recepiat eas ab ipso, de cujus casa perierunt; et ipse de cujus casa perierunt aut ipsum furtum exivit querat ab ipso furone conpositionem, et tollat sicut lex est: et ipse fur, lecit malefactor sit, non habeat de una causa duas calomnias.

III.

CXXXII. Si quis fraudolenter tolerit ancillam alienam, et dixerit quod eam servus aut aldius ipsius tolissit ad oxorem, et postea veritas clarificata fuerit quod non eam ipse servus aut aldius tolissit: tunc, primum omnium, reddat ipsum mancipium cujus fuit et sit ejus ancillam cujus antea fuerat; et ille qui hanc fraudem fecerit dit insuper aliam talem ancillam aut aldianem eidem homeni cui fraudem fecit, et reddat operas de ipsa ancillam quam fraudolenter tolit, quamdiu eam habuit aput se.

IIII.

CXXXIII. Si quis liber homo in casam alienam introierit ad resedendum et ei censum reddendum, et postea aliquid emerit de illis rebus quas secum adduxit quando in ipsam casam introivit, aut forsitans habuerit res de mulierem suam et exinde emerit, et provatum fuerit: tunc ipsum negotium dimittat in ipsam casam, et recipiat pretium suum. Et ipsa provatio in hoc ordine deveat fieri, ut quando de rebus mulieris suae aliquid conparaverit, adducat homenis qui sciant quod ipsum precium de rebus mulieris suae sit; ut causam ipsam non veniat ad perjurium, sed quando voluerit jurare quod de rebus mulieris suae conparationem facta fuissit, et illi testis firmiter sciant et jurent, quia *Interfuimus quando ipsa conparatio de rebus mulieris ipsius facta est*: et sic postea recipiat pretium suum, et ipso negotium remaneat in ipsa casa. Nam si de illo laborem conparaverit quod postea laboravit aut fecit posteus in ipsam casam ad censum reddendum introibit, in ipso cespite dimittat ubi laboravit. Hoc autem ideo nunc adfiximus, quia tantumodo causa ista in hoc modo semper et antecessorum nostrorum tempore et nostro per cawarfida sic judicatam est, nam in Edicto scripta non fuit.

V.

CXXXIIII. Si homenis in uno vico habitantis aliqua intentionis habuerit de campo, aut vinea, prado, aut silva, vel de alias res, et collexerent se una pars cum virtutem, et dixerent, quia *Wifamus et expellimus eos de ipsum locum per virtute foras*; et ambolaverint, et scandalum ibi comissum fuerit, et plagas aut feritas factas vel homo occisus fuerit: ita decernimus, ut plagas et feritas aut hominem mortuum conponant secundum anteriorem Edicto, quod gloriosus ROTHARI rex vel nos instituimus; pro autem inlecita presumptionem de ipsa collectionem conponat solidos XX ad illam partem, qui in campum, vel in vitis, vel in prado, aut in silvam suum laborem faciebat. Hoc autem ideo statuimus, ut nullus presumat malas causas in qualiscumque locum excitare aut facere. Et non potuimus causam istam adsimilare neque ad arischild, neque ad consilium rustiganorum, neque ad rusticanorum seditione; et plus congruum nobis paruit esse de consilium malum, id est de consilio mortis: quia quando se collegunt, et super alius vadunt pro peccatis, ad ipsum vadunt ut malum faciant, aut, si casus evenerit, hominem occidant, et plagas aut feritas faciant; ideo, ut diximus, adsimilavimus causam istam ad consilium mortis, quod sunt, sicut supra premisemus, solidi vigenti.

VI.

CXXXV. Adnuntiatum est quidem nobis, quod aliquis perversus homo, dum se queta femina in fluvio lavarit, pannus ejus, quos hibi habuit ad operimentum corporis sui, totus tolissit, et ipsa remansissit nuda; et qui ibant et transibant per locum illum, pro peccatis vedebant turpitutinem

ejus: ipsa autem in ipso fluvio semper stare non potuebat: revertere autem ad casam suam nuda erubisciebat. Proinde statuimus, qui talem inlecita presumptionem fecerit, conponat eidem femine, cui talem turpitutinem fecit, ipse widrigild suum. Ideo hoc dicemus, quia si invenissit eam pater aut frater aut vir aut propinquus parentis ejusdem femine, scandalum cum eum comittere habuit, et qui superare potuissit, unus alterum interficere habuit; propterea melius est ut se vivo conponat widrigild suum, quam de mortuo crescat faida inter parentis et conpositio major.

VII.

CXXXVI. Item adnuntiatum est nobis, quod quidam homo habebat puteum in curtem suam, et secundum consuitudinem furca et tolenum ad auriendum aquam. Veniens autem alter homo stetit sub ipsum tolenum; cum autem venissit quidam ad hauriendam aquam de ipsum poteum, et incaute ipsum tolenum dimisissit, venit super eum qui sub ipso stabat, et mortuos est. Cum autem requisitio ejusdem mortui fierit, quis eum deberit conponere, et nobis relatum fuissit: ita nobis et nostris judicibus rectum paruit esse, ut ipse homo qui hibi mortuos est, quia non fuit animal, sed sensum rationalem habuit sicut homo debit habere, prospicere debuit in qualem locum se ponere ad standum, aut qualem pondus super se habebat, ideo repotit sibi duas partis pretii de conpositionem suam; et tertiam partem, quantum ipse secundum Edicti tinorem adpraetiatus fuerit, conponat ille qui ipsam aquam incaute auriebat, et dit eam filiis aut ad propinqui parentis, vel qui ei heredis exhistunt: et sit causam finita, absque omnem faida vel dolus, quia nolendum factum est. Ille autem, cujus ipse poteum fuit, nullam habeat calomnia; quia ei si calomniam ingerimus, postea nullus permittat de poteo suo aqua levare: et quia omnes homenis poteus habere non possunt, reliqui qui sunt pauperis moriuntur sitim, et iterantes aquae necessitatem patiuntur.

VIII.

CXXXVII. Item perlatum est nobis, quod quidam homo prestedissit jumentum suum alteri homeni ad victuram, et pollenus indomitus secutus fuissit ipsam matrem suam; dum autem per via ambolaverit ille qui eam ad suam victuram acceperat, contegit ut, infantis in quodam vico stantis, ipse pollenus de calcis percussissit unus ex ipsis, et mortuos est. Dum autem parentis ejus requirirent mortem ipsius infantuli, et nobis retulissit, ita prospeximus cum nostris judicibus, ut duas partis precii qualiter ipse infans valuerit conponat ille cujus pollenus fuit, tertia conponat ille cui ipsum jumentum prestitum fuerat. Nam nos scimus, quia in anteriore Edicto legitur: « Si cavallus cum calcem damnum fecerit, « dominus ejus conponat ipsum damnum »; sed quia iste caballus prestitum fuit, et ipse qui eum suscepit in prestitum rationalis homo fuit, et potuit dicere, si neglictum non habuissit, ad ipsum infantem ut se custodiret, ut hoc malum non proveniret: ideoquae pro ipsam neclegentiam ejus diximus ut tertiam partem pretii conponat.

VIIII.

CXXXVIII. Hoc autem rei veritas pervenit ad nos, quod quidam homo, diabolum instigantem, dixissit ad servum alienum: *Veni, et occide dominum tuum; et ego tibi facere habeo bonitatem quam volueris.* Ille autem puer suasus ab ipso intravit in causam ipsam malam; et hisdem qui eum suaserat in tantam maliciam perductus est, ut aetiam presentaliter diceret eidem puero: *Feri dominum tuum*; et ipse ei pro peccatis feritam fecit. Et iterum dixit ei: *Feri eum adhuc; nam si non eum feris, ego te ferire habeo*; ipse autem puer conversus fecit eidem domino suo alteram feritam, et mortuos est. Dum autem requisitio de mortem ejus et de conpositionem fieret, volebat aliquis dicere quod tantum deverit conponere his qui ipsum puerum suasit, et in sui presentiam ipsum hominem ferire dixit, quantum Aedictus anterior contenit de consilio mortis. Sed nobis et nostris judicibus hoc nullomodo placuit; quoniam consilium mortis in occulte fiet concinnatum, et aligotiens perficitur et aliquotiens non perficitur: nam hoc humicidium presentaliter factum est, et nos non dicemus esse consilium quando homo alteri homeni verbo tinus et presentaliter ostenderit et dicat: *Feri hominem istum.* Ideoque qui talem malum comiserit, et provatum fuerit, non conponat consilium mortis, sed conponat sicut nus nostro tempore in Edictum adfiximus, ut perdat omnem substantiam suam, et medietatem exinde accipiant heredis defuncti, et mediaetatem curtis regia: excepto illa antiqua conpositionem heredis ipsius qui occisus est in antea tollant, sicut in Edicto nostro tempore, ut diximus, est adfixum.

X.

CXXXVIIII. In nomine Domini noditia qualiter jubit domnus rex ad omnis actores suos, qui curtis ejus comissas habent: id est in primis de illo quod jam nostrum tempore inpuplicatum est, ut jurent unusquisque actor, et dicat per evangelium, quia quodcumque cognovero quod contra rationem alequid tultum est, facio exinde noditiam domno regi ut relaxetur; sic tamen ut dicat in ipso sacramentum, quod non consentiendum ad amicum, non ad parentem, non ad premium corruptus, nisi quod certo sciat quod contra rationem tultum est: et, cum nobis paruerit, retensitum per nostram jussionem relaxetur. Item unde antea jussemus, per

sexagenta annus inquirire possessio de picunia pupplicam: pro eo quod peccatis inmenentibus de sexagenta annis aliquid non commemorant, et pauci inveniuntur qui tantus annus habeat, ita statuimus, ut, excepto qui jam per justitiam inpupligatum est, ut actor qui bene certus est quod intra xxx annos aliqua invasatio aut fraus in pecuniam puplica peractum est, ipsum requirat, et adducat ad nostram noditiam; sic tamen ut antea non presumat wifare aut pignerare, quia nos volumus ista caussa per nosmedipsus audire et secundum Deum ordinare: quia apparuit nobis, quod si nos ipsa causa audierimus, Deo fabentem, sine peccatum eam inquirere habemus, et sic ordinare ut mercedem habeamus; quia judicis nostris neque arimannos nec actoris nostri possunt sic disciplina distringere, sicut nos. Quod autem provatum est, qui per triginta annos aut super cujuscumque possessionem fuit et amodo habeat, ut nullus actor eo presumat nec wifare nec molestare; et qui presumpserit, conponat ipse actor widrigild suum: excepto unde preceptum falsum inveniatur, quod aperta causa est ad requirendum.

XI.

CXL. Si servus noster occisus fuerit, duas partis de ipsa conpositionem tollat curtis nostra, et tertiam pars parentis ipsius servi nostri defuncti, sicut superius diximus. Hoc autem in diebus nostris et in tempore regni nostri statuimus, quamquam lex nostra non sit; post autem nostrum decessum qui pro tempore princeps fuerit faciat sicut ei Deus inspiraverit, aut sicut rectum secundum animam suam providerit. Quia non semel, set multotiens, cognovimus, ubi talis causas emerserit, quoniam nec in rebus publicis nec nulla rationem palatii profuerit quod exinde actores nostri tollerunt; et insuper invenimus et cognovimus multos actores nostros, qui tollebant de singulis unde decem solides, unde sex, unde amplius: et dabant talem spatium atque tranquilla, donec ipse qui homicidium faciebat obsegrare poterint, ut exinde nihil darent. Proindeque previdimus statuere, ut curtis nostra medietatem de aldiones et duas partes de servos, sicut superius diximus, habeat, et reliqua parte habeant ipsi parentis propinqui; ut unde habent dolore, habeant in alico propter mercedem consolationem.

EXPLICIT DE ANNO XXI.

INCIPIT DE ANNO VICESIMO SECUNDO.

(Kalendis martiis, anno DCCXXXIIII.)

VOLUMEN DECIMUM QUARTUM.

Pauca quidem capitula, que nuper exorta sunt, et antea minime in Edicto adfixa esse reperiebantur, et erat judicibus nostris dubium ad judicandum, prospeximus nunc in ipso Edicti corpore adnutare et jungere; hoc est diae kalendarum martiarum, ego in Dei omnipotentis nomine LIUTPRAND *rex gentis Langobardorum, anno, Deo propitio, regni nostri vicesimo secundo, indictione secunda: id est*

CAP. I.

CXLI. Si aldius cujuscumque aldia aliena tulerit aut servus ancilla, et, antequam de ipso conjugio aliquam convenentia domini eorum inter se faciant, contegerit ut quispiam miser homo ipsa aldia aut ancilla qui est uxor alterius fornicatus fuerit, ita praevidimus, ut ei de ipsa culpa debeat subjacere ille qui hoc malum perpetraverit, cujus uxorem adulteravit; nam dominus ejusdem mulieris tantum mundium de ea suscipiat, si aldia fuerit, sicut lex est, et si fuerit ancilla, accipiat exinde pretium aut vegariam, sicut convenerit. Hoc autem ideo prospeximus de uxore servi vel aldionis quasi de libero hominem, quoniam si quispiam miser homo mulierem alicujus adulterat, ad maritum ejus conponit, nam non ad parentes, etiamsi non habeat eam mundiatam.

II.

CXLII. Si quis homo liber habuerit servum aut ancilla, aldium aut aldia conjugatus, et, insticantem inimicum humani generis, cum ipsa ancilla quam servus ejus matrimoniatam habit, aut cum aldia que cum aldione ejus copulata est adulterium perpetraverit, ita statuimus, ut perdat ipsum servum aut aldionem cujus uxorem adulteravit, et ipsa mulier insimul, ut vadant liberi et absoluti fulfrealis, tamquam si thingati fuissint, ubi voluerint; quia non est placitum Deo, ut quislivet homo cum uxore aliena debeat fornicari. Tamen de ipsa libertatem ita dicemus, quia non possunt sic sine vera absolutione veri liberi esse, nisi sicut Edictus contenit, aut per thinx, aut circa altare sicut nos instituimus: ideoque veniant ad palatium ad nos aut qui pro tempore princeps fuerit terrae istius, et ipse eos absolvat, et faciat eis praeceptum suum, et sint postea certissimi liberi et absoluti.

III.

CXLIII. Relatum est nobis, quod aliquis hominis perfidi et in malitiam astuti, dum per se non presumpsessent mano fortia aut violento ordinem intrare in vicum aut in casam alienam, timentes illam conpositionem que in antiquo Edicto posita est, fecerunt collegere mulieres suas quascumque habuerunt, liberas et ancillas, et miserunt eas super homines qui minore habebant virtute; et adprehendentes hominis de ipso loco, et plagas fecerunt, et reliqua mala violento ordine, plus crudeliter quam viri, exercuerunt. Dum autem hoc ad nos pervenissit, et ipsi homines pro sua violentia

qui minus potebant interpellabant: ita prospeximus in hoc Edicto adfigere, ut si amodo mulieres hoc facere in qualecumque locum presumpserint, primum omnium decernimus, ut si aliqua injuria, aut obprobrium, aut plagas, aut feritas, aut mortem ibi acceperint, nihil ad ipsas mulieres, aut ad viros aut ad mundoald earum conponat ille qui se defendendum eis aliqua fecerit lesionem aut internicionem. Insuper et publicus, in quo loco factum fuerit, conprehendat ipsas mulieres, et faciat eas decalvare et frustare per vicos vicinantes ipsius loci, ut de cetero mulieres tale malitia facere non presumant. Et si in ipsa causa feritas aut plagas fecerint ipse mulieres cuicumque homini, mariti earum conponant ipsas plagas aut feritas quas ipsa fecerunt, secundum Edicti tinore. Hoc autem ideo prospeximus tam de disciplinam quam et de conpositionem, quia non potuimus mulierum collectionem ad arischild adsimilare, neque ad seditionem rusticanorum, quia istas causas viri faciunt, nam non mulieres: ideoque sic de ipsis mulieribus faciat, sicut statuimus supra. Si quidem simpliciter in scandalum qualiscumque mulier cucurrerit, et mortem aut plagas vel feritas ibi acceperint, sic ei faciat justitiam, sicut decessor noster ROTHARI rex instituit et judicavit.

IIII.

CXLIIII. Si quis homo sciens aldium aut aldiam suam, servum vel ancillam in casam cujuscumque esse, aut copolatus aut aliter, et non eum requesierit aut per judice aut per publico, et non eum retulerit, et dimiserit eum apud alterum hominem diutius permanere: non requirat operas eorum, quia sciendum neglexit requirire servum vel ancillam, aldium aut aldiam suam. Nam si requisiverit dominus eorum, et ille qui eos habuerit neglexerit reddere aut antesteterit, reddat operas eorum sicut lex est.

EXPLICIT DE ANNO XXII.

INCIPIT DE ANNO VICESIMO TERTIO.

(Kalendis martiis, anno DCCXXXV.)

VOLUMEN DECIMUM QUINTUM.

In nomine Domini nostri JESU CHRISTI ego LIUTPRAND, *excellentissimus, christianus atque catholicus rex gentis Langobardorum, adjungere praevidimus una cum judicibus et fidelibus nostris in Edicti pagina, anno regni mei, Deo propitio, vicesimo tertio, die kalendarum martiarum, indictione tertia, illa capitula que antea non erant instituta, unde cognovimus esse intentionem; ut amodo nulla sit judicibus nostris qui judicare debent qualiscumque dubietas, sed firmiter possint decernere sicut hic, Deo favente, adnotavimus: id est in primis*

CAP. I.

CXLV. Si cujuscumque servus aut ancillam, aldius vel aldiam in ecclesiam Dei confugiom fecerit, et dominus vel patronus eorum aut per se aut per missos suos exinde violenter traxerit, conponat widrigild suo in suprascripta sancta baselica. Et si servus vel aldius sine voluntate domini sui hoc malum fecerit, det ipso servo aut aldione pro ipsum malum in manu de custodes ipsius baselicae; et ipse dominus vel patronus satisfaciat per sacramentum, quod per ipsius voluntatem hoc factum non fuissit, et ipsum widrigild suum non conponat.

II.

CXLVI. Si quis, timorem Dei inmemor, pro cupiditatem terrena propter qualiscumque rem sciens se perjuraverit, et postea inventum et probatum fuerit quod perjurassit, tunc amittat ipsam rem pro qua se perjuravit, et habeat eam ipse cui contra rationem juravit; insuper, quia et in se ipso, et, quod plus est, in Deo peccavit, et negavit fidem suam, et perjuravit Domino Deo suo, et sibimetipsi non pepercit, conponat medietatem de widrigild suo ei cui perjuravit.

III.

CXLVII. Recolimus enim qualiter jam antea instituimus, ut si quis decedens de hanc vita reliquerit filiam unam aut plures, et sorores in capillo similiter unam aut plures, ut pariter atque equaliter sorores et filiae ei succedere debeant; et si soror in capillo decederit, soror qui remanserit similiter sorori suae succedat. Modo vero quia intentio exorta est inter fratres et sorores de nepte que in capillo mortua fuerat, altercationem ponentes quis ei succedere deberit: statuimus, ut barbas ejus in cujus mundium fuit, ipse ei succedat in ejus portione; nam amedanis ipsius de ejus portione nihil percipiant, nisi tantum habeant quantum si vivens fuissit ipsa neptes earum.

IIII.

CXLVIII. Si quis invenerit libera mulierem aut puellam per campum suum seminatum ambolantem et viam indicantem, pignerit eam, et parentes aut mundoald ejus conponant pro ipsa solidos sex, sicut lex est; nam si ipsa conprehendere presumpserit, et ad casam suam legatam aut submanicatam duxerit, conponat solidos centum, medietatem regi, et medietatem cujus causa est; sic tamen ut conpositio illa de sex solidis in ipsa conpositione conputetur. Et si pulsatus fuerit ille in cujus mundio

fuerit mulier aut puella ipsa, quod astu et iniquo animo femina ipsa ambulare per laborem alterius fecissit, ut ei conponerit, tunc preveat sacramentum quod, cupiditatem habendum de ipsa conpositione, asto animo per laborem ipsius ipsa femina non ambolassit, nec damnum asto faciendum; et si juraverit, tunc ipse qui eam conprehensit conponat solidos centum, ut supra: et si jurare non presumpserit, parentes aut mundoald ipsius feminae, ut supra, pro via indicata conponat solidos sex, sicut supra diximus, et ille qui conprehensit sit absolutus.

V.

CXLVIIII. Si cujuscumque servus aut aldio, ancilla vel aldia in furto conprehinsi fuerint, et dominus eorum neglexerit eos liberare, et usque ad dies triginta eos dimiserit, sint figanges, et habeat eos sibi in transacto cui furtum fecit; et postea ipsam furtum ei conponat sicut lex est et Edictus contenit.

VI.

CL. Si quis ex sua auctoritate terra aliena sini puplico wifaverit, dicendo quod sua debeat esse, et postea non potuerit probare quod sua sit, conponat solidos sex, quomodo qui palum in terra alterius figit.

VII.

CLI. Item de infantibus qui intra aetatem sunt, et necessitatem majorem habent, et a fame moriuntur, conparuit nobis ut, dum tempus fames fuerit, licentiam habeat cum misso principis aut cum judiei suo de terra aut de rebus suis vindere qualiter vivere possit, in tantum ut se de ipsa fame liberare possit ut non moriantur. Et hoc ipsum quidem judex de loco illo debeat providere, si certe pro ipsa necessitate famis fecit; et sic in ejus praesentia fiat, ut Deum habeat propitium, et si aliter fecerit Deum habeat judicem. Et in cártola indicit, quia pro famis necessitate ista vinditio ficta est; et qui acto comisso habuerit, non presumat de ipsis infantibus emere. Et dum tempus famis exierit, tunc ipsi infantes secundum anteriore Edicto distribuant res aut substantiam suam, nam non aliter; quia istam licentiam pro sola necessitate dedimus, nam non, quod absit, anteriore Edicto rumpendum.

VIII.

CLII. Si quis fossatum in viam fecerit, et ipsum locum suum probare non potuerit, conponat solidos sex, et ipsum fossatum restaurit; et damnum, si in vitis aut in arboris, ipsum fossatum cavandum, fecit, conponat sicut anterior Edictus contenit.

VIIII.

CLIII. Si quis porcus in silva alienam diffensam miserit sicut Edictus anterior habit, hoc est usque ad decem porcus, et occiserit ex ipsis porco uno, sic sit sicut anterior Edictus contenit. Si quidem tantum decem invenerit, et plus occiserit quam Edictus habit, conponat in actogild, sicut qui malo ordine res alienas tollet. Nam si ille homo qui ipsos porcos habit amplius miserit asto animo suos aut alienos in defensum, quam Edictus habit, et ille cujus silva est occiserit ex ipsos plus quam Edictus contenit, non requiratur. Et si ille qui porcos miserit jurare presumpserit quod asto non misissit, nisi sine voluntatem ipsius domini, tunc reddat ille qui occisit ipsos porcus ferquidus; et si de pastore suo similiter juraverit, similiter reddantur: nam si de pastore de asto jurare non presumpserit, medietatem reddantur, et medietatem repotit sibi, quia servum habuit indisciplinatum.

X.

CLIIII. Si quiscumque homo qui est prudicus aut naufragus, qui vendedit aut dissipavit substantiam suam, et non habit unde conpositionem faceat, et fecerit furtum aut adulterium aut scandalum, aut plagas alii homini intulerit, et fuerit ipsa conpositio valentem solidi viginti aut supra, dare eum debeat publicus in manu ejus, cui istas causas inlecitas fecit, et ipse eum habeat pro servum. Si autem minus de vigenti solidos fuerit ipsa conpositio, sicut solit fieri, usque ad sex et duodecim solidos, tunc debeat eum publicus dare in manu ejus cui tale culpa fecerit pro servo, in eo ordine, ut serviat ei tantos annos ut ipsam culpam redimere possit, et vadat postea ubi voluerit absolutus.

XI.

CLV. Si quis Langobardus oxorem habens filius aut filia procreaverit, et postea, inspirationem Dei conpulsus, clericus effectus fuerit, tunc filii aut filias qui ante ejus conversionem nati fuerint ipsa legem vivant, quam ille vivebat quando eos genuit, et causam suam per ipsam legem finiri debeant. *

* [CLV [a].

Si quis a convenientia per chartam a se factam se subtraxerit, heres ejus pena conpositionis tenetur adstrictus, praecepto per quandam institutionem, vel quae est. Hoc loco admonendi sumus, quod maleficiorum litigium, nisi lis contestata fuerit, adversus heredes non transeat. Si vero contractu litigaverit, sive lis contestata fuerit, sive non, heredi et in heredem conpetit.

CLV [b].

Placuit nobis inserere, ubi lex deest praecellat consuetudo; nulla consuetudo superponatur legi.]

XII.

CLVI. Et hoc enim statuemus, ut nullus judex neque actor aut qui super furonis erit nuscuntur non presumat servum aut aldionem alterius conprehindere pro furto aut alia culpa, sed domini eorum ipsos servos distringant, et ipsi rationem pro servos reddant, utrum culpabiles sint an non. Ipsi vero domini distringant et inquirant servos suos sicut ipsi amant.

EXPLICIT EDICTUM LIUTPRANDI REGIS.

ITEM MEMORATORIO
DE MERCEDES COMACINORUM.

CAP. I. *De sala.*

CLVII. Si sala fecerit, reputet tegulas in solido uno numero sexcenti; si in solario, tegulas quadringenti in solidam unum vestitum: quia quindecim tegulas viginti pedes lebant.

II. *De muro.*

CLVIII. Si vero murum fecerit qui usque ad pedem unum sit grossus, dupplicentur mercedes, et usque ad quinque pedes subquinetur; et de ipso muro vadat per solidum unum pedes ducenti viginti quinque: si vero macinam mutaverit, det pedes centum octoginta in solidum unum, usque ad pedes quinque sursum, in longitudinem vero ter quinos per tremisse. Similiter et si murum dealbaverit, sexcenti pedes vadat per solidum unum. Et si cum axes clauserit et opera gallica fecerit, mille quingenti pedes in solido vestito vadant. Et si arcum volserit, pedes duodecim vadat in solido uno. Si vero materias capelaverit majores minores, capita viginti per tremisse; armaturas vero et brachiolas quinque ponantur pro uno materio.

III. *De annonam Comacinorum.*

CLVIIII. Tollat magistri annonam per tremisse uno segale modia tria, lardo libras decem, vino urna una, legumen sextaria quattuor, sale sextario uno, et in mercedes suas repotet.

IIII. *De opera.*

CLX. Similiter romanense si fecerit, sic repotet sicut gallica opera; mille quingentos pedes in solidos uno. Et scias quia ubi una tegula ponitur, quindecim scindolas lebant; quia centum quinquaginta tegulas duo milia quingentas scindolas lebant. Et si massa fundederit, sexcenti pedes per solido uno.

V. *De caminata.*

CLXI. Si magistros caminatam fecerit, tollat per una tremisse uno. Et si abietarii cancellas fecerit, per solidos uno vadat pedes duodecim. Si vero peuma fecerit, quantos pedes habent tantas siliquas lebant. Et si carolas fecerit cum gisso, det per tremisse carolas quattuor: annonas ei non repotetur.

VI. *De marmorarios.*

CLXII. Si quis axes marmoreas fecerit, det per solidos uno pedes xv. Et si columnas fecerit de pedes quaternos aut quinos, det per tremisse columnas tres: annonas ei non repotetur.

VII. *De furnum.*

CLXIII. Si vero furno in pisile cum caccabos fecerit, et postes tres aut quattuor habuerit, et cum pineam suam levaverit caccabos ducenti quinquaginta, ita ut pinea ipsa habeat caccabos viginti quinque, exinde tollat tremisse uno; e si quingentos caccabos habuerit, habeat duos tremisses; et si mille fuerint caccabi, tollat exinde mercedes tremisses quattuor.

VIII. *De puteum.*

CLXIIII. Si quis puteum fecerit ad pedes centum, tollat exinde solidos xx; annonas ei non repotetur. Puteus autem de pedes xxxv, solidos quattuor; puteus vero de pedes viginti sex, solidos tres; puteus autem de pedes duodecim, solidum unum: annonas ei non repotetur.

EXPLICIT

A DOMNO

LIUTPRANDO REGE.


RA CHIS REX

INCIPIT

EDICTUM

RACHIS REGIS.

Notitia.

I. Ut unusquisque judex in sua civitate debeat cotidie in judicium residere.

II. De arimanno, qui ad judicem suum prius non ambulaverit quam ad palatium.

III. [Ut nullus praesumat causa alterius supprehendere.]

IIII. De arimanno, quomodo cum judice suo caballicare debeat.

Edicti capitula.

V. De wadia quomodo datur.

VI. De liberis feminis qui servos tollit.

VII. De his qui ad palatium proclamandum de libertate sua veniunt.

VIII. De carta venditionis unde naufragium fit.

VIIII. De judicibus vel reliquis hominibus missum suum sine regis jussione in extraneam provinciam direxerit.

X. De homines qui per singulas civitates zabas et adunationes faciunt.

XI. De homines qui sine jussione regis aut judici causa alterius agere presumit.

XII. De homines qui secreta regis investigaverit.

Capitula in brevi.

XIII. [De marcis ordinandis et vigilandis.]

XIIII. [De gasindiis, ut nullus judex eos opprimere debeat.]

(Kalendis martiis, anno DCCXLV.)

NOTITIA.

I.

I. In nomine Domini nostri JESU CHRISTI, qualiter juxta Dominum et animae nostrae salutem et omnium nostrorum rectum nobis paruit esse una cum nostris judicibus, ut et homines potentes, et pauperes qui suam querunt justitiam minime fatigentur: ut unusquisque judex in sua civitate debeat cottidie in judicium residere, et non attendat ad exemulationem suam aut aliam seculi vanitatem, sed per semetipsum resedeat et omnibus justitiam conservet, ita ut de nullo hominem premium accipiat, sicut jam per manum scriptam nobis promiserunt: qui aliter judicaverit, judicatum suum ammittat. Sed si quis judex amodo neglexerit arimanno suo diviti aut pauperi vel cuicumque homini justitiam judicare, ammittere debeat judicatum suum et honorem, et conponat in palatio regis widrigild suum, et illi conponere debeat qualiter Edicti continet pagina, cui justiam judicare neglexerit; quoniam jam teste Deo dicemus, quia nec alicubi vel ad orationem possumus exire aut ubicumque caballicare, propter reclamationem multorum hominum. Ideo hoc statuimus, et volumus ut omnis judex hoc faciat, ut Dei non previamus offensa; et ipsi judices volumus ut in eo tinore precipiant a sculdahis suos aut a centenarios aut ad locopositos vel quos sub se habent ordinatos, ut et ipsi similiter faciant, et promittant ad judicem suum sicut et ipsi judices nobis promiserunt: ut sit nobis et illis tranquillitas, et mercedes in animam. Nam qui a presente die kalendarum martiarum ea que superius leguntur non conservaverit aut non conpleverit, et tantas reclamationes ad nos venerint: primo omnium, de cujus judiciaria ipse homo justitiam non habuerit et ad nos venerit, sciat se quia de ipso honore eum expellimus; et per nullos patronos poterit optinere, ut honorem suum non amittat, et nobis et illis non conponat cui justitiam facere neglexit, sicut supra statuimus; quia cognoscimus eum nec Dei nec nostrum esse fidelem, nec pro salvatione terre istius decertare, sed, ut diximus, contra Deum quaerit agere et contra nos.

II.

II. Si quis vero arimannus aut quislibet homo ad judicem suum prius non ambulaverit et judicium de judice suo prius non susceperit, et post justitiam suam receptam sic venerit ad nos proclamare, conponat ad ipsum judicem suum solidos quinquaginta. Propterea precepimus omnibus, ut debeat revertere unusquisque causam habentes per civitates ad judicem suum, et nuntiare debeat causam suam ad ipsos judices suos. Et si justitiam non receperit, tunc veniat ad nostram presentiam; nam si quis venire antea presumpserit priusquam ad judicem suum vadat, qui habuerit unde, conponat solidos quinquaginta: et qui non habuerit unde conponere, juvemus ut eum fustetur. Ideo volumus ut vadat unusquisque ad judicem suum, et percipiat judicium ejus qualiter lex fuerit.

III.

III. Et hoc volumus, ut nullus homo presumat causa alterius ad dicendum supprehendere aut causare, nisi cum notitia de judice suo, causa de vidua aut de orphano dicendum. Nam qui, ut diximus, de conliberto suo causam supprehendere aut causare presumpserit, conponat widrigild suum, medietatem regi et medietatem judici suo; et si judex qui fuerit, ante quem causa altercatur, hoc fieri permiserit aut consenserit, conponat regi widrigild suum.

IIII.

IIII. Et hoc volumus et statuimus, ut unusquisque arimannus, quando cum judice suo caballicaverit, unusquisque per semetipsum debeat portare scutum et lanceam, et sic post ipsum caballicet; et si ad palatium cum judicem suum venerit, similiter faciat. Hoc autem ideo volumus ut fieri

debeat, quia incertus est homo quid ei superveniat, aut qualem mandatum suscipiat de nos, aut de terra istius ubi oportunum fuerit caballicare. Si quis vero aliter facere presumpserit, conponat judici suo solidos viginti; et judex ille, cujus arimannus hoc distulerit inplere, si non distrinxerit, sicut supra diximus, conponat widrigild suum in palatium regis. De ferratura quidem et aliam armaturam vel caballos ita debeat omnis judex arimannos suos distringere, sicut jam per anteriorem nostram jussionem precepimus.

EXPLICIT.

(Kalendis martiis, anno DCCXLVI.)

INCIPIT

EDICTUM RACHIS REGIS.

CHRISTI JHESU ET SALVATORIS NOSTRI adsidue nos convenit precepta conplere, cujus providentia ad regiminis culmen pervenimus. Ipsius auxiliante misericordia, ea que genti nobis commissae conveniunt, idest catholicae et Deo dilectae Langobardorum, statuenda previdimus. Quum gloriosissimus ac precelsus ROTHARIT rex, hujus gentis Langobardorum princes, divina sibi gratia inspirante, leges inseruit atque innovavit, ut omnes intentiones et dissensiones malorum hominum regulari judicio resecaret: quidem et statuit, ut cuncti successores ejus que, sibi Deum inspirantem, aspera et dura cognosceret, illi ad mollitiem et pietatis perduceret gratiam. Deinde successor ejus GRIMOWALD precellentissimus rex, dum studiose atque vigilanter singulorum consideraret necessitates, ea quae illi minus recta esse conparuit ad meliorem statum correxit, et plura etiam necessaria adauxit. Post hunc vero gloriosissimus et orthodoxus fidei cultor, atque hujus gentis gubernator, et noster per Dei omnipotentis misericordia nutritor, LIUTPRAND eximius et precelsus hac sapientissimus princeps, persistens in Dei operibus et cottidianis vigiliis, omni pudicitia et sobrietate ornatus, sicuti a Deo promeruit, per ipsius inspirationem omnia decenter elicuit, et in Edicti paginam cum suis Langobardis ac judicibus confirmavit. Idcirco per Redemptoris nostri providentia ego divino auxilio RACHIS rex, precellentissimus et eximius princeps, anno regni mei secundo, die kalendarum martiarum, indictione quartadecima, dum cum gentis nostrae, id est Langobardorum, judicibus tam de Austriae quam et de Neustriae vel Tusciae finibus universa quae a decessoribus nostris statuta sunt sollicite considerassem: quaedam ibi justa, et quaedam purganda esse invenimus; quia dum pravi homines ea quae ad Dominum pertinent non considerant, magis hujus saeculi lucrum quam animarum suarum remedium intindunt, et per humanam astutiam debiles vel egenos opprimere non desistunt. Quoniam, peccatis facientibus, multos homines neglegentes et humana cupiditate conpulsus in perjurio cadere cognovimus, eo quod gloriosissimus ROTHARIT rex in Edicti pagina statuerat, inter creditorem et debitorem seu fidejussorem intentionem orta, quo tinore wadia dedisset, et debitor statutae causae tinore negaverit, licentiam ei esse aut per sacramentum aut per arma ipso tinore negare. Sed nobis et nostris judicibus atque Langobardis adstantibus justum conparuit, ut hoc perjurium fieret resecatum; et ita statuimus, sicut subter adnexum est.

CAP. I.

V. Si quis admodum in presentia regis vel judicis seu liberorum hominum qualecumque modo wadia dederit, et postea negare voluerit ille qui wadia dedit quod in tali tinore wadia non dedisset, sicut ille qui wadia suscepit queritur: si fuerit inter hominis liberi quorum fides ammittitur, non habeat licentia jurare quod in tali tinore wadia non dedissit, nisi qualiter judex qui judicavit se rememoraverit, vel homines qui interfuerunt quando ipsa wadia dedit testificaverint, ita conpleat, et in eorum testimonio credat; quia si stantiam, quam ante liberos hominis aliquis facit, stare debit, quanto magis ea causa que per wadia firmatur, et homines liberi intersunt, negare nihil hominis convenit? Si vero tales hominis inter non fuerint quorum ammittitur fides, quando ipsa wadia data fuerit, tunc exinde procedat judicium, sicut ab ipsum ROTHARENE regem est institutum.

II.

VI. Reminiscimur enim quia anterior Edictus continere dignoscitur de liberis feminis que servis copulantur, ut quandoque inventi essent, in servitio reducerentur. Sed quia GRIMOWALD rex instituit de his qui per triginta annos in libertatem viverent, ut in servitio non replicarentur, tamen quia curtes regia possessio non inpedit nisi per sexaginta annorum curricula, sicut domnus LIUTPRAND rex instituit: ideo definivimus, si quis femine admodum inventae fuerit que sibi servi copulaverunt, et per sexaginta annos in libertatem permanserunt, ipsa et filii vel filie earum aut qui de ipsis procreati inventi fuerint, nullus eos in servitio replicare praesumat, sed in libertatem suam permaneant sicut per sexaginta annos permanserunt. Si autem admodum presumpserit cujuscumque servus arimannam ducere uxorem, sic exinde detur judicium, sicut anterior Edictus continet.

III.

VII. Si quicumque Langobardus qualecumque hominem servum aut aldionem suum facere voluerit, et ipse ad palatio venerit proclamandum, et jussione regis accepta eidem portaverit ut aut ipse judicit, aut veniat in presentia regis vel de judices cum ipso, judicium habendum; et ipse neglexerit, et furore accepto si eum battederit, aut, quod absit, occiserit, sicut nunc factum ex peccatis esse cognovimus, conponat widrigild suum in palatium. Et si ipse homo vivus fuerit, et jam servus aut aldius sit, perdat eum cum rebus ejus, et in libertate permaneat ipse vel filii ipsius: si vero fuerit liber, et widrigild suum conponat regi, et si eum battederit ei conponat sicut ad liberum hominem. Nam si ipsum occiderit, per hoc capitulum, sicut supra legitur, conponat mortem illius insimul, et widrigild suum regi pro presumptionem; si vero aldius fuerit aut servus, perdat filios ejus et res ipsius, et conponat, ut diximus, widrigild suum in palatio.

IIII.

VIII. Omnibus enim pene notum est, quia usque nunc per prava cupiditatem deducebant hominis sacramentum de cartola vinditionis que facta erant, et conpellabantur quod pretium conpletum non haberent qui ipsas cartolas habebant et res possidebant; et sic emptores deducebant sacramentum, quod pretium conpletum habuerint. Quod nobis et nostris judicibus durum esse conparuit; quia qui pro opinionem suam jurare nolebant, pro sacramentum suum aliquid dabant, et habebant damnietatem sine causa: et naufragi hominis propterea ipsa conpellationem faciebant, ut aliquid eorum pro ipso sacramento tollere possint. Ideo decernimus, ut si quis cartola vinditionis alicui de aliqua res fecerit, et ad scrivane publico scriptam vel a testibus idoneis roboratam fuerit, et tam ipse vinditor quamque et testes in ipsa cartola subscripserint aut manus posuerint, et manifestaverint in ipsa cartola quod pretium inter eos statutum suscepissit: si pulsatus fuerit postea emptor quod pretium ipsum non conplessit, sacramentum exinde non procedat; nisi forte ipse ei per wadia obligavit, prendat fidejussorem suum.

V.

VIIII. Si quis judex aut quiscumque homo missum suum dirigere presumpserit Roma, Ravenna, Spoleti, Benevento, Francia, Bajoaria, Alamanniam, Ritias aut in Avaria sine regis jussionem, anime sue incurrat periculum et res ejus infiscentur.

VI.

X. Cognovimus enim quod per singulas civitatis mali homines zavas et adunationes contra judicem suum agendum faciebant. Sed ita statuimus nunc, ut si admodo quiscumque homo adunationem cum quattuor vel quinque aut amplius hominis fecerit, dicendo quod voluntatem judici sui non faciat quae ille ei recte dixerit, aut ad ejus judicium non vadat, confidens in alicujus patrocinio, et alios circa se adgregare voluerit ut ipsi similiter faciant: conponat sicut anterior Edictus de seditione contra judicem suum levata continere videtur. Si vero de causa regis aliquid dicere voluerit, sit ei licentiam veniendi ad palatium; et si super quem dixerit veritatem adprovaverit, sit condemnatus cui adprovavit, et suscipiat sententiam secundum qualitatem cause, sicut anterior Edictus contenit: et si veritatem adprovare non potuerit, fiat ei datus in manus cum rebus suis, et faciat de eo quod voluerit. Violentia quidem si sustinuerit aliquis aut a judicem suum, aut ab alium hominem, et judex neglexerit judicare, forsitan adtenderit ad gasindio suo vel ad parentem aut ad amicum suum vel ad premium, et legem non judicaverit: tunc veniat ad palatio, et reclamit sua violentia; et si probatum fuerit, non conputetur in adunationem ei qui proclamavit, sed ipse judex conponat widrigild suum, medietatem regi et medietatem ei cui justitiam denegavit, et honorem suum amittat. Arimannus quidem ille si mentierit et dolose hoc dixerit, et si antea venerit ad palatium, quam ad judicem suum vadat ad judicium: si habuerit unde conponere, conponat solidos quinquaginta, medietatem regi et medietatem judici suo; et si talis homo fuerit, qui non habeat unde conponere, suscipiat disciplinam, ut et ipse emendatus fiat, et alii hoc facere non presumat.

VII.

XI. Si quis causam alterius agere aut causare presumpserit in presentia regis aut judicis, excepto si rex aut judex licentiam dederit de vidua, aut de orphano, aut de talem hominem qui causam suam dicere non potuerit, conponat widrigild suo, medietatem regi, et medietatem ei contra quem causaverit. Et si forte aliquis per simplicitatem causam suam agere nescit, veniat ad palatium; et si rex aut judex praeviderit quod veritas sit, tunc ei dare debeat hominem qui causam ipsius agat: nam si judex hoc consenserit, excepto his capitulis, et non emendaverit, et ipse similiter conponat widrigild suum in palatium regis. Si enim quiscumque homo liber in servitium de gasindio regis aut de ejus fidele introierit, et judex de sub quem fuerit dolose eum obprimere quesierit pro eo quod ipse in servitio alterius introierit, et inlicite per ipsum dolum ei judicaverit, et forsitans ab ipso judice suo justitia sua invenire non potuerit: tunc conponat judex sicut supra legitur, et ille in cujus servitio ipse est habeat licentiam causam ejus agere et usque ad legem perducere; sic tamen ut ante vadat ad judicium judici suo, justitiam suam suscipiendam.

VIII.

XII. Relatum quidem nobis est, quod sint aliqui pravi homines qui submittant in palatio nostro secretum nostrum discendum, ut aut per deliciosus aut per ostiarios vel per alios hominis captiose aut absconse aliquit investigare possint quidquid nos agimus; et ipsi qui rogantur, quidquid cognoscere possunt eorum, mandant aut annuntiant secrete, et adhuc in extranea provincia mandatum faciunt. Sed adparit nobis, ut qui tale causa penetrare presumit non est in fide sua rectus, set in mala suspectionem manere videtur. Unde decernimus, ut qui in tale causa admodum detentus fuerit, tam qui submittit quamque qui submittitur, anime sue incurrat periculum et res ejus infiscentur: quia, sicut dicit Scriptura: « Secretum regis abscondere bonum est, « opera autem Dei revelare honorificum est ».

EXPLICIT EDICTUM RACHIS REGIS.

INCIPIT

CAPITULA IN BREVI.

Ista quae superius scripta tenentur, in Edictum scribantur: et ista duas capitula de subtus in brevi previdimus statuere.

Cap. I.

XIII. Hoc autem statuere previdimus, ut marcas nostras CHRISTO custodiente sic debeat fieri ordinatas et vigilatas, ut inimici nostri vel gentis nostre non possint per eas sculcas mittere aut fugaces exientes suscipere, sed nullus homo per eas introire possit sine signo aut epistola regis. Propterea unusquisque judex per marcam sibi commissam tale studio et vigilantia ponere debeat, et per se et per locopositos vel clusarios suos, ut nullus homo sine signo aut epistola regis exire possit. Et dum ad ingrediendum venerint peregrini ad clausas nostras, qui ad Romam ambulare disponunt, diligenter debeat eos interrogare unde sint, et si cognoscunt quod simpliciter veniant, faciat judex aut clusarius socropos, et mittat in cera, et ponat sibi sigillum suum, ut ipsi postea ostendant ipsum signum missis nostri, quos nos ordaenaverimus: signum post hoc missus nostri faciant eis epistola ad Romam ambulandi; et con venerent da Romo accipiant signo de anolo regis. Si vero cognoverent quod fraudelenter veniant, per suos missos eos ad nos diriga, et innotescat nobis causa ipsa: nam qui ille judex hoc facere distullerit, et, quod abse, forte per ipsius notitia aliquis exierit, sanguinis suo incurrat periculum, et res ejus infiscentur. Et si praesumpserit jurare quod sine ejus premissum factum fuisset, sed solutus a culpa; pro nilectum tamen, sit se aduniaverit, conponat in palatio widricild suum. Et hoc addimus, ut unusquisque judex ponat sollicitudinem per judicaria sua in partibus Tussciae, ut nullus homo possit sine voluntate regis vel sigillum aliquid transire; et si inventum fuerit quod sine jussione transisset, ut sigillum aliquid transire non edoniaverit, conponat widrigild suum.


II.

XIIII. De gasindiis quidem nostri ita statuere, ut nullus judex eos opremere debeant, quoniam nos debemus gasindios nostros defendere. Et si contra lege aliquid faciunt ad arimanno homine, et ad judice reclamaret suum, judex aut per epistola aut proprio ore admoneat gasindio nostro ut judicet in se: et ipsum, si judicare non scit, advocit alios conlibertus qui sciunt judicare, et judicit causam ipsam per legem, et faciat judicatum suum, ut arimannus ipse fatigatus non fiat. Nam antequam eum admoneat, sicut dictum est, non per wifa, non per pignerationem sine jussione nostra facere quis presummat. Gasindius vero ipse si distullerit judicare, et legem non judicaverit, judix eum distringat, idem arimanno justitia faciendo: sit tamen non doloso animo, et ipse gasindius stare debeant in judicium ipsivius judicii; et ipse judix emittat judicatum suum. Si enim postea ei apparuit quod legibus non judicasset, venat cum ipso judicato in presentia nostra.

EXPLICIT

A DOMNO

RACHI REGE.


HISTOL
FVS REX

INCIPIT

EDICTUM

AHISTULFI REGIS.

DE ANNO PRIMO.

I. De donationes illa, que facta sunt a RACHIS *regem et Tasia conjuge.*

II. De his qui loricas habere possit.

III. De negationes.

IIII. Item de negationes.

V. De clausas dirruptas.

VI. De negatiônes et terreno negotio.

VII. De judices qui homines de exercitu dimittunt.

VIII. De illicita conjunctiones.

VIIII. De furonibus.

DE ANNO QUINTO.

X. Si quis moriens et sororem in capillos dimiserit.

XI. Si quis Langobardus pertinentes suos thingare voluerit.

XII. Si quis in egritudinem res suas ordinaverit.

XIII. Si quis non habens filium, unam filiam suam meliorare voluerit.

XIIII. De usufructu uxoris sue.

XV. De paranimpha.

XVI. De convenientia cum pontificibus vel abbatis.

XVII. De conparatione ecclesie, que in mundio palatii est.

XVIII. Si quis res aecclesie possederit.

XVIIII. De sacramentum inter judices vel abbates seu praepositum aecclesiae.

XX. De sacramentum cum actores regis.

XXI. De pignore hominum, qui in exercitu ambulare debent.

XXII. Si quis in servitium cujuscumque pro bona voluntate introierit.

INCIPIT DE ANNO PRIMO.

(Kalendis martiis, anno DCCL.)

VOLUMEN PRIMUM.

In generatione et tempora antiquorum Langobardorum permiserunt et antiquorum suorum dispositiones [*corrigere et adaugere, quod et decessores nostri*] *usque nunc servaverunt. Sed modo, auxiliante* DOMINO NOSTRO *JHESU CHRISTO,* AISTOLFUS, *in ipsius nomine rex gentis Langobardorum, traditum nobis a Domino populum Romanorum, anno regni nostri primo, indictione tertia, residente intra Ticinum in palatio nostro una cum cunctis judicibus et Langobardis universarum provinciarum nostrarum: previdimus enim, ut cum Edictus Langobardorum antiquorum regum precessorum nostrorum fuerat institutus, parum in ejus volumine adaugeri in capitularem affigere die kalendarum martiarum.*

CAP. I.

I. **Primo omnium statuerunt de donationes illas quae facte sunt a RACHIS rege et Tassia conjuge ipsius, ut omnia illa precepta, quae postea facta sunt postquam AISTOLF factus est rex, stare nullatenus debeant, nisi per AHISTOLFUM regem ei denuo cui donatum est fuerit concessum.**

II.

II. **De illos homines qui possunt loricam haberent, et minime habent, vel minores homines qui possunt habere cavallos, scuto et lancea, et minime habent, vel illi homines qui non possunt habere nec habent unde congregare, debeant habere scuto et coccora. Et stetit ut ille homo qui habet septem casas massaritias habeat loricam cum reliqua conciatura sua, debeat habere et caballos; et si super habuerit, per isto numero debeat habere caballos et reliqua armatura. Item placuit, ut illi homines qui non habent casas massaricias, et habent quadraginta jugis terram, habeant caballum, scutum et lanceam. Item de minore homines principi placuit, ut si possint habere scutum, habeant coccora cum sagittas et arcos.**

III.

III. **Item de illis hominibus qui negotiantes sunt et pecuniam non habent, qui sunt majores et potentes habeant loricas, scutos, et caballos, et lanceas; et qui sunt sequentes habeant caballos, scutum, et lanceam; minores habeant coccoras cum sagittas et arcos.**

IIII.

IIII. **Et hoc item de illis hominibus, qui negotium fecerint sine voluntate regis cum Romanus homines: si fuerit judex qui hoc facere presumpserit, conponat widrigild suum, et honorem suum ammittat; si fuerit arimannus homo, ammittat res suas, et vadat decalvatus clamando: Sic patiatur qui contra voluntatem domini sui regis cum Romanus homines negotium fecerit quando lites habemus. Similiter conponat judex qui neglectum fecerit ad inquirendum, si ante ad ejus notitiam pervenit quod arimannus ejus hoc fecisset aut alius homo in ejus judicaria, conponat widrigild suum, et honorem suum non perdat; et si dixerit ipse judex quod ad ejus notitiam non pervenisset, purificet se ad sancta Dei evangelia, quod ad ejus notitiam non pervenisset.**

V.

V. **De clusas quae disrupte sunt, restaurentur, et ponant ibidem custodiam, ut nec nostri homines possint transire sine voluntate regis, neque extranei possint ingredere in provincia nostra similiter sine voluntate regis vel jussione. Et in quale clusa inventi fuerint, tali pena subjaceat clausarius qui custodire neglexit a judice suo, qualis ipse judex**

a rege ante posito; nisi judex pro utilitate regis miserit missum suum aut susceperit, tantummodo pro causa regis.

VI.

VI. De navigio et terreno negotio, ut nullus debeat negotium peragendum ambulare aut pro qualecumque causa sine epistola regis aut sine voluntate judici sui; et qui hoc fecerit, conponat widrigild suum.

VII.

VII. De judicis et de sculdahis vel actores, qui homines potentes dimittunt ad casa de exercitu; qui hoc faciunt, conponat sicut Edictus continet pagina.

VIII.

VIII. De inlicita conjunctione, qui nec unde canones aut Edictus habet esse non possunt copulatus, placuit eidem principi nostro ut a presente separentur; et quis intra presentem indictionem causam istam de nostris judicibus neglexerit ad judicandum aut distringendum, conponat widrigild suum: quia de causa ista apparet nobis omnibus, qui talia consentiunt contra Deum et animam suam faciunt, et malitia amplius crescit.

VIIII.

VIIII. De furonibus, qui neglexerit inquirere aut sollicitare, vel qui eos transire permittunt foris clausas; ita subjaceat, sicut Edicti continet pagina; et intra presentem indictionem fiat inquisitio. Et hoc statuerunt, ut si conprehensus a qualecumque judice fuerit, et de sub alio judice collegam suum criminaverit, et ipse judex qui ipsum furonem conprehensum habet ad alium judicem mandatum fecerit, et ipse neglexerit eum conprehendere: conponat ipsum furtum, cui factum est, judex ipse, eo quod conprehendere neglexerit furonem ipsum. Et si servus cujuscumque fuerit, faciat scire dominum ejus, et ipse dominus ejus inquirat servum suum, et faciat ei justitiam qui conpellaverit; et si ipse dominus ejus neglexerit conprehendere aut inquirere, conponat ipsum furtum cui factum est, eo quod conprehendere neglexit.

EXPLICIT DE ANNO PRIMO.

INCIPIT DE ANNO QUINTO.

(Kalendis martiis, anno DCCLIII.)

VOLUMEN SECUNDUM.

Quoniam prophetica nos vaticinatio admonet dicens: « Justa judicate filii hominum; » et alibi: « Justitiam discite qui habitatis terram, quia justus « Dominus justitiam dilexit »: illa nos sedule convenit sancire, ut gens nobis commissam in judicio non gravetur, et omnipotenti Domino, cujus opitulatione regnamus, in omnibus placere valeamus; decessorum nostrorum sequentes exempla, qui, Redemptori omnium saeculorum pleno pectore placere desiderando, pro sibi commissae gentis tuitione, ut recto moderamine regeretur, leges inposuerunt. Idcirco ego, Dei omnipotentis auxilio, AHISTULFUS *precellentissimus catholicae gentis Langobardorum rex, praecessorum nostrorum omnia instituta perpendens, quaedam ibi repperimus non adnexa, de quibus maximus error nostros judices ad danda judicia involvebat: anno felicissimi regni nostri in Dei nomine quinto, die kalendarum martiarum, indictione septima, convocatis ex diversis partibus regni nostri pertinentibus judicibus, commune consilium in Edicti pagina adfigi statuimus que precellentiae nostre juxta Deum justa conparuerunt, quatinus et justitia maneat, et a nostrorum judicum judicio omnis obscuritas inluminetur.*

CAP. I.

X. Recolimus enim in anterioris Edicti pagina esse insertum, ut si frater decederit absque filiis, filiabus, et sorores relinquerit, ipsae ei heredes succederint; nam amedanis suorum nepotum possessionem capere nullumodo potebant, quia nihil de eisdem amedanibus prior continebat Edictus, nisi aut sorores aut parentes propinqui succedebant: et dum remanebant in capillo, in casa inordinate patientes necessitatem servis se copulabant. Ideo, Deo nobis inspirantem, statuere previdimus, ut si quis Langobardus moriens sororem unam aut plures in capillo in casa reliquerit, et filium unum aut plures, filii ipsius debeant perpensare qualiter amedanes eorum absque necessitatem vivere possent secundum qualitatem substantiae suae, ut amedanes illorum indigentiam non patiantur neque de victum, neque de vestimentum, neque de calciamento, sed nec de obsequium suum; et si in sacro monasterio sub statuta regula vivere voluerint, ab ipsis suis nepotibus ordinentur ut illis praevisum fuerit aut convenerit. Si autem predicti nepotes decesserint absque filiis, filiabus, aut intestati, et sorores reliquerint, amedanis eorum que in casa in capillo remanserint cum ipsas nepotas suas in rebus nepotum et fratrum succedant equaliter quantecumque fuerint.

II.

XI. Anterioris Edicti legitur kapitula, ut si quis Langobardus pertinentem suum in quartam manum tradiderit et a se amund fecerit, aut circa altario deducendum sacerdoti tradiderit, soluti ab omni conditione servitutis permanerint. Sed quoniam perversi homines benefactores suos accepta libertate

postponebant, et ipsi eum postmodum retinere nequaquam valebant, multi hominis timentis ne sui liberti eos postponerent, libertatem eis facere obmittebant. Propterea statuimus, ut si quis Langobardus pertinentem suum thingare voluerit in quarta manu, et cartola illi fecerit, et sibi reservaverit servitium ipsius dum adhuc vixerit, et decreverit ut post obidum ejus liber sit: stabilem debeat permanere secundum textu cartule quam ei fecerit; quia justum nobis paruit, ut homo benefactorem suum vivente eum dimittere non debeat. Nam qui in ecclesia liberum dimiserit per manus sacerdotis, sic maneat ei libertas sicut anterior Edictus contenit.

III.

XII. Cognovimus enim multotiens perfidos hominès contra voluntatem parentum defunctorum suorum agere, dum ipsi pro animabus suis per loca venerabilia res suas destribuebant, et pertinentibus suis simplicem libertatem cum rebus quibuslibet donabant; et cum ipsis hominibus per astutia agebant, et eos a suis cespitibus removentis in suum servitium replicabant, postmodum libertatem simul et res amittebant. Ideo previdimus, hanc resecare malitiam, ut voluntas et ordinatio inpleatur defuncti: et ita sancimus, ut si quis Langobardus per cartola in sanitatem aut egritudinem suam res suas ordinaverit, et dixerit eas habere loca venerabilia, et familias per que res ipsas excoluntur liberas esse dixerit, libera ei sit potestas; si dixerit ut in ipsis religiosis locis redditum faciant, secundum ipsius statuta reddant omni tempore juxta domini sui preceptionem ipsi et filii filiorum illorum, et sint liberi de suis personis sicut dominus eorum instituerit, et ab ejus heredibus non replicentur, nec a suis cespitibus removantur, sed ab ipsis venerabilibus locis defensentur, excepto si sua voluntate voluerint exire, licentiam habeant in libertate sua exire, et vivere ubi voluerint. Nam si ad finis mortis properaverit, ita ut nec thingare hominem suum possit, neque in manu sacerdotis tradere circa altario liberum dimittendum, propter subitaniam mortem, et instituerit ut post obitum ejus per manum sacerdotis qualem designaverit circa sacro altario deduci debeatur: causa miserationis decrevimus, ut sicut dominus eorum preceperit ita impleatur, et sacerdos quem designaverit eum absque cujuscumque contradictione absolvat, et liber permaneat; quia maxima mercis nobis esse videtur, ut de servitio servi ad libertatem deducantur; eo quod Redemptor Noster servus fieri dignatus est, ut nos libertatem donarit. Si vero aliquid ei in ipso exito suo donaverit aut donare preceperit, stabilis ei ipsa donatio permaneat; quia Apostoli Pauli auctoritas *maxime ad domesticos fidei* beneficium praestare jubit. Et pro launegild inputetur ei servitium suum, eo quod servus non habit unde aliut launegild ei faciat.

IIII.

XIII. A nostris decessoribus jam antea est institutum, ut Langobardus potestatem habeat filium suum sibi bene servientem de rebus suis meliorare; de filiabus non contenebatur. Ideo statuimus, ut si duas filias habuerit, et filium non reliquerit, potestas ei sit unam filiam suam, qualem voluerit, meliorare tertiam partem de rebus suis, et si tres fuerint, quartam partem; et si amplius fuerint, per hanc rationem conputetur.

V.

XIIII. Et iterum si quis Langobardus decidens uxori sue usumfructum de rebus suis judicare voluerit, et filius vel filias ex ea reliquerit, non amplius ei pro usumfructum judicare possit, quam medietatem ex sua substantia, super illut quod ei in morgincap et metam secundum legem datum fuerit. Et si filius aut filias ex alia uxore reliquerit unum aut duos, possit uxori suae tertia portionem ad usumfructum relinquere; si fuerint tres, quartam partem; si autem amplius fuerit, per hoc numero conputetur. Morgincap et meta, quod ei legibus data est, habeat in antea. Si quidem nupserit postea aut mortua fuerit, usumfructum in integrum ad heredes revertatur; de meta vero et morgincap fiat secundum anteriorem Edictum.

VI.

XV. Pervenit ad nos, quod dum quidam hominis ad suscipiendam sponsam cujusdam sponsi cum paranimpha et troctingis ambularent, perversi hominis aquam sordidam et stercorosam super ipsa jactassit. Sed quia cognovimus malum hoc per singula loca fieri, previdimus, ne pro hanc causam scandala vel homicidias surgant, ut si quiscumque liber homo talem rem facere temptaverit, conponat solidos nonientus, medietatem regi, et medietatem ad mundoald ejus. Nam si pertinentes hominis hoc fecerint sine voluntatem domini sui, et se dominus eorum purificare per sacramentum ausus fuerit quod nec cum ejus voluntatem nec consilio vel consensum factum fuisset, servi ipsi tradantur in manus de mundoald ejus, et ipse faciat de eis quod ei placuerit, et amplius patronus calumnia non habeat; et si jurare non presumpserit, conponat sicut supra legitur solidos nungentos.

VII.

XVI. Si quis Langobardus cum pontificibus, abatibus, vel custodibus ecclesiarum, seo exenodochiorum prepositis, de quibuscumque rebus convenientiam fecerit, et poena inter partis obligaverit, et heredes vel successores suos conligaverint, et idonei hominis interfuerint, non possint postea ab eorum successoribus removeri, sicut nec removitur ab eodem

Langobardum, excepto si pena obligata conponere voluerit. Si vero commutationem fecerint de casis, terris, vel familiis, et fuerint inter missus regis vel pontificis seo judices, aut tales homines tres quorum fides ammittitur, et res meliorata eis paruerit tunc quando ipsa commutatio facta fuit quod pars loci religiosi suscipiat, nullo in tempore postea ab eorum successoribus removeatur, sed semper commutatio ipsa firmis permaneat; et si removere voluerit, poena inter se conligata conponat.

VIII.

XVII. Relatum est nobis, quod nunc usque talis fuissit consuitudo, ut monasteria vel reliqua loca venerabilia, que in defensione sacri palatii esse noscuntur, conpositione dubla exegessent ab hominibus qui in ipsa venerabilia loca conponere devebant, sicut curtis regia exegere videtur. Nunc autem statuimus, ut monasteria, baselica, vel exenodochia, quae ad palatii defensionem esse noscuntur, si conpositione exegere debuerit, non exegant sicut de causa regia dublum, nisi sicut alia venerabilia loca exegunt que ad palatio non perteneunt.

VIIII.

XVIII. Si quis Langobardus qualecumque rem possederit, et custodes locorum venerabilium de ipsis rebus eum molestaverit, et ipse possessionem suam de triginta annos consignaverit, et ejus claruerit possessio, possedeat et in antea. Similiter et venerabilia loca faciant de rebus quae ipsi possedeunt, si a Langobardis fuerint pulsati. Quia anterior Edictus contenit de quinque annorum possessionem, ut qui possederit per quinque annos in facie ejus qui pulsaverit, ipse secundum legem defendat; et loca venerabilia inter se de rebus quibuslebit quadraginta annorum possessio excluditur: ideo justum duximus, ut qui per triginta annos possederit possedeat et in antea.

X.

XVIIII. Si quis Langobardus causam habuerit cum locis venerabilibus que ad defensionem sacri palatii esse noscuntur, si fuerit causa unde sacramentum debeat procedere, si judex abatem, custodem vel prepositum pulsaverit, ipse ei satisfaciat: si autem aba, custus aut prepositus judicem pulsaverit, et sacramentum datum fieri debuerit, ipse judex ei sacramentum deducat. Si vero alter Langobardus habuerit causam cum abatibus, unde similiter sacramentum deductum fieri debeat, anteponatur ipse abas solus; nam alius quales elegerit, quanti secundum legem jurare debuerint, sacramentum deducant: ita tamen ut ipse abas talis sit, qui per regulam secundum Deum vivat, et subjectos monachos usque quinquaginta et amplius cum eo regulariter vivant. Si quidem cum alio custodem vel prepositus de locis venerabilibus causam habuerit, ipse custodis vel prepositis sacramentum deducant.

XI.

XX. Si quis cum curte regis causam habuerit, et evenerit ut pars curtis regis sacramentum deducere debeat, si major causa fuerit, per sacramentum ovescarioni cum actoribus finiantur; si vero minor causam fuerit, actor de loco cum actoribus secundum qualitatem causae persolvant sacramentum.

XII.

XXI. Et hoc definimus, ut postquam jussio regis fuerit in exercitum ambulandum, et constitutum positum ad movitionem faciendam, nullus presumat fidejussorem aut debitorem pro quacumque causa pignerare, si de una judicaria fuerit, ad dies duodecim antequam exeat ad exercitandum, sed sit quietus a duodecim dies antea et duodecim postea quam de exercitum fuerit reversus; si autem de aliis judicariis fuerit, similiter sit spatium ad dies viginti: nam si quis intra ista spatia pigneraverit, conponat pignera ipsa, sicut qui contra rationem pignus abstulerit.

XIII.

XXII. Si quiscumque homo pro bonitatem suam introierit in servitio de judice aut de alio hominem, et deservierit ei vel ad filius aut ad nepotes ipsius, et claruerit veritas quod parentes ejus omnis liberi fuissint, et postea eum in servitio detenere voluerit, dicendo quod per triginta annos ei vel parentibus ejus deservisset: non possit eum pro ista possessione tenere; quia inpossibile est et contra Dei preceptum, dum omnes ejus parentes liberi sunt, ut ipse solus qui voluntariae deservivit in servitio deteneatur pro sola possessione. Nam si pro furto aut pro alia malitia, sicut Edictus contenit, ad deserviendum in manus datus fuerit, et probatum fuerit, deserviat et in antea. Si vero ejus parentes pertinentes fuerint, et ipse solus ad libertatem tendere voluerit, si ipse libertatem suam edoniare per cartola aut per hominis liberos vel per possessionem juxta legem non potuerit, deserviat et in antea.

EXPLICIT

EDICTUM

AHISTULFI REGIS.

APPENDICES.

APPENDIX I.

CHRONICON GOTHANUM

AB AUCTORE ANONYMO

ANNO A DCCCVI AD DCCCX CONSCRIPTUM.

Asserunt antiqui parentes Langobardorum per Gambaram parentem suam, pro quid exitus aut movicio seu visitatio eorum fuisset, de inter serpentibus parentes eorum breviati exissent; sanguinea et aspera progenies et sine lege. In terra Italiae adventantes, fluentem lac et mel, quod amplius est, salutem invenerunt baptismatis, et vestigia sanctae Trinitatis recipientes inter numerum bonorum effecti sunt. In illis impletum est, « Non « imputatur peccatum cum lex non esset ». In primis lupi rapaces, postea agni inter dominicum gregem pascentes. Proinde gratia referenda est Domino, qui illos de stercore inter justorum gregem collocavit. In his est Davitica impleta prophetia: « Et « de stercore erigens pauperem, sedere facit eum « cum principibus populi sui. » Sic superscripta Gambara cum eisdem movita adserebat, non ut prophetaret quae nesciebat, sed phitonissa inter Sibillae cognomina dicens eo quod illi superna visitatione movissent, ut de spina rosa efficeretur, nesciens in qualia, nisi divinandum perspicerit. Moviti itaque non ex necessitate aut duritia cordis aut pauperum oppressione, sed ut ex alto salutem consequeretur, asserit exituros. Mirumque est omnibus et inauditum videre, ubi non fuit meritum parentum, talis salus refulgere quidem inter mucrones spinarum odoramenta aecclesiarum inventis, sicut ipse misericors filius Domini antea praedixerat: « Non veni vocare justos, sed peccatores. » Isti fuerunt unde ipse Salvator ad Judaeos in Proverbiis dicens ait: « Habeo alias oves, quae non sunt ex « hoc ovili, et illas me oportet adduci ad aquam « vivam poscendam. »

II. Hic incipiam originem et nationem seu parentelam Langobardorum, exitus et conversationem eorum, bella et vastationes quae fecerunt reges eorum, et patrias quas vastarunt. Vindilicus dicitur amnis ab extremis Galliae finibus; juxta eundem fluvium in primis habitatio et proprietas eorum fuit. Primis Winili proprio nomine seu et parentela, nam, ut asserit Hieronimus, postea ad vulgorum vocem LANGOBARDI nomminati sunt, pro eo quod barba prolixa et nunquam tonsa. Hic supradictus Ligurius fluvius, Albiae fluvii cannalis inundans, et nomen finitur. Postquam de eadem ripa, ut supra dictum est, Langobardi exierunt, sic Scatenaugae Albiae fluvi ripa primis novam habitationem posuerunt.

III. Sic deinde certantes, Saxoniae patriam attigerunt, locus ubi Patespruna cognominantur, ubi, sicut nostri antiqui patres longo tempore asserunt habitasse, et in multis partibus bella et pericula generarunt; ibique primum regem levaverunt nomine AGELDUND. Cum ipso de hoc loco in antea patrias ad suam partem expugnare coeperunt. Unde in Beovinidis aciem et clauses seu tuba clangentium ad suam proprietatem perduxerunt, unde usque hodie presentem diem WACHONI regi eorum domus et habitatio apparet signa. Deinde, meliorem ubertatem patriae requirentes, ad Traciam provinciam

transierunt, in Pannoniae urbis patriam suam hereditatem afflixerunt; unde cum Abaris reluctantes seu bella plurima ardentissimo animo, ipsam Pannoniam expugnaverunt, et Abari cum illis foedus amiciciae emiserunt, et xx et duos annos ibi habitare perhibentur.

(Capita IIII—VI. vide supra, in Chronico Rotharis regis, a col. 6, vers. 27, ad col. 7, vers. 38.)

VII. Iste Albuin movit et adduxit Langobardos in Italiam, invitatus ad Narside proconsule et praeside Italiae, qui minas Suffiae reginae erat perterritus. Eo tempore cum exire coeperunt Langobardi a Pannonia, tunc fecerunt pactum et foedus amiciciae Abari cum ipsis Langobardis et cartam conscriptionis, ut usque ad annos ducentos, si eorum oporteret Pannoniam requirere, sine omnia bella certaminis ad eorum partem ipsam terram relaxarent, et in Italiam, in quam ipsi perrexerant, usque ad plenos ducentos annos in eorum auxilium essent parati. Et movit se Albuin rex Langobardorum de Pannonia cum exercitu suo valde copioso, mense aperile in pascha, indictione prima; secunda vero indictione incipiente coeperunt praedare finem Italiae; tertia autem factus est dominus Italiae. Nam Narsis proconsul Italiae si quid eorum promiserat relinquens Italiam ad Spaniarum provinciam est reversus. Tunc Papiae cives et Mediolanum metropolim cum reliquae aliae civitates Italiorum, videntes se vacuae, sicut a Domino fuerat praedestinatum colla sua ipsi Albuin regi subicierunt. Et cum regnasset Albuin in Italia annos tres et menses sex, malo inito contra eum consilio per Rosemoniam uxorem, et consilio Peredei cubicularii sui, a Helmechis spatario suo occisus est in Verona civitate.

VIII. Et volebat Helmechis regnare, et non potuit, propter metum Langobardorum et necem Albuini. Tunc mandavit Rosemonia festinanter Longino praefecto militi Ravennensi, ut eam in fugam susciperet ad Ravennam. Ut autem audivit Longinus haec verba, misit movere angarias, et tulerunt Rosemoniam et Alsuendam filiam Albuini regis, et omnem thesaurum Langobardorum secum duxerunt et Helmechis; unde pluros annos scisma et bella inter Langobardos et Romanos fuerunt. Tunc ut per foemineum primum exordium accidit mala suasio peccati, inde usque ad presentem diem feminalis tenet consuetudo peccandi. Suasit ipsa Rosemonia Longino militi sicut prius a Helmechis, ut et ipsa occideret Helmechis, et Longino esset uxor. Inito isto consilio venenum Rosemonia, et dedit Helmechis; cumque gustasset, intellexit quod malignum biberat; praecepit ut et ipsa Rosemonia cum eo biberet invita; et mortui sunt ambo. Tunc Longinus praefectus tulit omnes thesauros Langobardorum, et Albsuendam filiam Albuin regis jussit ponere in naves, et transmisit eam Constantinopolim ad imperatorem suum.

VIIII. Eo tempore levaverunt Langobardi sibi regem nomine Cleps, de genere Peleos, et regnavit annos duos et menses sex, et mortuus est. Et judicaverunt judices Langobardorum sine rege Italiam annos XII. Post haec levaverunt sibi regem nomine Autarenem, filium Cleffonis. Et accepit Autaren uxorem nomine Teodelendam, filiam Garibaldi et Walderadae; et venit cum Teodelenda frater ejus nomine Gundwald, et ordinavit eum Authari rex ducem in civitatem Austinse. Et regnavit annis septem, et mortuus est.

X. Et venit Agilwald dux Thuringorum de Taurini, et junxit se Teodelindae reginae, et factus est rex Langobardorum. Et occidit tres duces rebelles suos, Langrulf de Verona, Mimolfo de insula Sancti Juli, et Gaidulfo de Bergamo, et alios plures rebelles suos. Et genuit Awald rex de Teodelinda filiam nomine Gudebergam, et filium nomine Adelwald. Et reguavit Agilwaldo annos xx et v. Adelwald filius ejus regnavit annos x. Arioaldus regnavit annos decem.

XI. Rothari regnavit annos sedecim; per quem leges et justitia Langobardis est inchoata, et per conscriptionem primis judices percurrerunt; nam antea per cadarfada et arbitrio seu ritus finierunt causationes. Istius Rothari regis temporibus ortum est lumen in tenebris; per quem supradicti Langobardi ad cannonica tenderunt certamina, et sacerdotum facti sunt adjutores. Rodoald regnavit menses sex. Aribertus regnavit annis VIIII. Grimwald regnavit annos VIIII. Berthari regnavit annis x et VII. Canibert regnavit annis XIII. Liupert regnavit annos duos. Aribert regnavit annos XII. Ansprando regnavit menses tres. Liutprando regnavit annos XXXI et menses VII. Hildeprand regnavit menses VII. Ratgis regnavit annos IIII et menses VIIII. Aistulfus regnavit annos VII. Desiderius cum filio suo Adelchis regnaverunt annos decem et VII et menses tres.

XII. Hic finitum est regnum Langobardorum, et incoavit regnum Italiae, per gloriosissimum Carolum regem Francorum, qui adjutor et defensator domni Petri principis apostolorum, qui ab Italia perrexerat ejus justiciam requirendam. Nam nulli lucri cupiditas peragrare, sed bono pius et misericors factus est adjuvator; et, sicut poterat omnia demollire, factus est clemens indultor, et paternae patriae leges Langobardis misertus concessit, et suas, ut voluit, quae necessariae erant, Langobardis adjunxit, et innumerabilibus viris qui eidem culparunt incessanter culpas dimisit: pro quod illi omnipotens Dominus centies multiplicavit ubertates. Postquam Italiam cepit, in Spaniam suos terminos posuit; deinde Saxoniam perdomuit; post Bavariae dominator existet: et super innumerabiles gentes ejus timor irruit. Ad ultimum vero, ut dignus fuit imperii honor, adeptus est coronam imperii, dignitates Romanae potestatis accepit, factus est domni Petri apostoli subditissimus filius, et ejus facultates ab inimicis defensabat.

XIII. Post haec autem omnia regnum Italiae

tradidit magno et glorioso filio suo domno Pippino magno regi; et sicut omnipotens Dominus patri concessit fortitudinis gratiam, ita et in filio habundavit. Per quem Tratia provincia una cum Abaris ad Francorum servitutem est redacta; illi qui ab inicio malorum stirpe progeniti inimici aecclesiarum, persecutores Christianorum semper fuerunt. Per isto, ut diximus, domno Pippino, seu et patri suo solatium, supradicti Abari sunt evacuati et superati, et sanctae aecclesiae defensatae, et multa vasa Sanctorum, quae illi crudeles et impii rapuerunt, per istum defensatorem sunt ad propria reversa. Deinde Beneventana provincia, ut digni fuerunt suae praevaricationis sacramenti, cives eorum igne sunt examinati et consumpti, et populus eorum capitalem subierunt sentenciam. Post haec et Beowinidis cum exercitu suo perrexit eamque vastavit, et populos terrae ejus predavit et captivos adduxit. Igitur Corsicam insulam a Mauris oppressam suo jussu ejusque exercitu liberavit: presentem diem per ejus adjutorium splenduit Italia, sicut fecit antiquissimis diebus; leges et ubertates et quietudinem habuit per domini nostri merita, prestante Domino nostro JHESU CHRISTO.

AMEN.

APPENDIX II.

ORIGINES LANGOBARDICAE

E MEMBRANA BIBLIOTHECAE HALENSIS

SAECULI XI INEUNTIS

PRIMUM EDITAE

A JOHANNE FRIDERICO CHRISTIO

ANNO MDCCXXVIII.

Hi prefuerunt genti WINILORUM, hoc est LANGOBARDORUM, IBOR scilicet et AGIO, utreque germani, ex matre Gambara editi. Qui egressi de Scandinavia venerunt Sciringa, quae Wandalis contigua est; de qua egressi venerunt in Mauringam: inde applicuerunt in Golanda. Mortuis igitur Ibor et Agione, primum AGELMUND Agionis filius per XXXIII annos eidem genti regnavit. Post Agelmundi funus, LAMISIO secundus suscepit regnum.

II. Post Lamissionem, tercius ad regni gubernacula per LX annos LETUS ascendit. Hoc defuncto, ILDEOC [IIII] ejus filius IIII suscepit regnum. Quo decedente, quintus GODEOC regnum est adeptus. His temporibus Odovacer Italiam regebat. Godeoc mortuo, regni gubernacula suscepit ejus filius CLAFFO. Ex supradicta regione Winili egressi venerunt in Rugilanda, quae Rugorum dicitur patria, quam Feletheus, qui et Feuba dictus est, rexerat; sed, Odofacra resistente, amisit cum vita patriam: illic per aliquantus Winili commorati sunt annos. Claffone defuncto, TATO septimus ascendit ad regnum. Winili vero egressi de Rugilanda venerunt in campos, qui sermone barbaro Feld appellantur. Tatone interfecto a WACHONE, ipse aliquantisper genti sue dominatus est: qui ex sua filia filium suscipiens, eum Waltari appellavit. Ipse WALTARI post Wachonem octavus per septem annos optinuit regnum.

III. Post quem AUDOIN nonus adeptus est regnum; qui Langobardus in Pannoniam duxit. Alboin mortuo, jam decimus ejus filius ALBOIN ad patriam est regendam electus; quique per Narsetam ex Pannoniam vocatus, in qua per LXII annos deguerat, in Italiam universa cum multitudine gratanter ingreditur ad eandem obtinendam. Hic autem, insidiante Rosmunda sua conjuge, ab Helmichiso suo milite, Peredeo operante, interfectus est.

IIII. Cujus post necem CLEB, nobilissimus, ad regni fastigium erectus est; sed post annum et sex menses a suo puero interfectus est. Post hec Langobardi sub ducibus per X fuerunt annos. Sed communi consilio ANTHARIM, Claffonis filium, in regnum praeficiunt; qui, ut tradunt, veneno accepto, mortuus est. Huic successit AGILULF, qui per suam conjugem Theudelinguam, Gregorio papa monente, statuit cum Romanis pacem. Is postquam XXV regnaverat, diem clausit extremum. ADALOALD post patri successit, decem cum matre annis regnavit. Sed hunc regno ejecerunt Langobardi, et ejus in loco ARIOALD electus est in regnum; hic post XII annos quibus regnaverat, defunctûs est. * * *

APPENDIX III.

LANGOBARDORUM REGUM

LEGES

AD EDICTUM NON PERTINENTES.

GRIMOWALDI REGIS.

(Anno DCLXII—DCLXVIII.)

NOTITIA.

I.

Si quis servus per xxx annos domino suo servitium fecerit, non praesumat contra dominum suum pugnare, nisi serviat ei. Et si aldius fuerit, et per xxx annos fecit operas, similiter non liceat eum pugnare contra dominum suum, sed faciat sicut et parentes ejus fecerunt; nam nova amplius a domino suo non inponatur. Et qui per xxx annos cognoscitur fuisse liber, nullam patiatur violentiam, nisi liceat eum in libertate sua permanere, aut per sacramentum defendere.

II.

De servis qui culpas faciebant de solidis DCCCC, et dominos suos pro ipsis conponere stetit, statuimus, ut si talem culpam fecerit servus unde DCCCC solidi conponebantur, nihil aliud faciat dominus ejus, nisi ipsa persona tradatur ut moriatur; et conponat pro illicita causa dominus ejus quod servus commisit solidos LX, et amplius non calumnietur.

(Ad GRIMOWALDUM item nonnulli codices referunt, quod nos e pluribus codicibus subjunximus LIUTPRANDI Edicto sub numeris CLVII – CLXIIII, MEMORATORIUM de mercede Comacinorum.)

LIUTPRANDI REGIS.

(Kalendis martiis, anno DCCXXXIII.)

NOTITIA.

I.

IN NOMINE DOMINI NODITIA qualiter jubit domnus rex ad omnis etc. (Auctoritate codicis Vercellensis in Edictum recepimus inter LIUTPRANDI leges de anno XXI, cap. X.)

II.

Si servus noster occisus fuerit, etc. (Auctoritate codicum Vercellensis et Eporediensis in Edictum recepimus inter LIUTPRANDI leges de anno XXI, cap. XI.)

III.

Propter Deum et ejus misericordia precipimus atque statuimus, sola pietatis causa, ut si aldio noster occisus fuerit, medietatem de ipsa conpositionem tollat curte nostra, et medietatem parentes ipsius defuncti, si vivo patrem habuerit aldione nostro, sibe matrem, sibe fratres, sibe filii.

IIII.

Hoc precipimus, ut nullus presumat nec da servo nec da aldione nostro aliquid emere; quia pro cautella et pro futuris temporibus per omnes curtes

nostras breves facimus de omni territuria de ipsas curtes pertinentes. Unde precipimus, ut qui amodo inventus fuerit de servo aut de aldione vel abthin de curte nostra aliquid emere, ipsum perdere habet, sicut qui res alienas malo ordinem invadit; et si actor consenserit aut conscius fuerit, res ejus tollere et inpublicare faciat. Quia debet omnis home considerare propter Deum et animam suam, quoniam nos illum relaxavimus a livero eremannos, quod nobis in curtis nostras secundum antiquo Edicto legibus pertinebat; quoniam qui unam filiam relinquebat, tantum in tertiam pars substantiae patri suo succedebat, et duas in publico revertebant si propinquus parentes non habebat; et si duas filias habebat aliquis aut amplius, in medietatem tantum succedebant patri suo, et publicus in medietatem: et ecce nos modo omnia de talibus causis propter Deum et ejus misericordiam relaxavimus. Proinde unicuique debet sufficere sua substantiam, et non debet cupiditatem habere contra rationem conparandum da servo aut de aldionem vel abthin nostro. Unde qui hoc facere presumpserit, conponere habet sicut scriptum est; insuper in perjurii reatum nobis conparuit pertinere, eo quod nobis juratum habet quod nobis fidelis sit; et qualis fidelitas est, dum ille cum judicis aut actorem aut aldionem vel servo conludium facit, et res nostra contra nostram voluntatem invadit? Quia hoc statutum est in Edictum, ut qui de servo aut aldionem conparaverit, perdat pretium; et quale legem unusquis Langobardus sibi habere vult, talem debet ad curtem nostram conservare. Et quis modo conparavit aut infiduciavit, perdat pretium suum secundum Edicti tinore; qui vero hoc modo facere presumpserit, et pretium perdat, et sicut qui res alienas malo ordine invadit nesciente domino conponat: actor vero amittat substantiam suam qui hoc consenserit, sicut superius legitur. Nam si nos relaxavimus, unusquisque habere debeat cui preceptum fecimus aut fecerimus.

(Huc item referenda LIUTPRANDI regis capitula CLVII-CLXIIII; forte etiam capitula XXVIIII, LXIIII, CLVI.)

RACHIS REGIS.

(Kalendis martiis, anno DCCXLV et DCCXLVI.)

(Huc pertinent, quae ex codicibus in ipso Edicti corpore edidimus, RACHIS regis capitula I-IIII et XIII-XIIII.)

[AHISTULFI REGIS.

(Anno DCCLIII—DCCLVI.)

I.

Et hoc addi placuit nobis, ut nullus sacerdotum in rebus Langobardorum auctoritate propria absque judicio calculorum intrare presummat, neque quisquam Langobardorum in rebus eclesiarum, sacerdotum, sive clericorum, prevalendum intrare presummat. Si quis amodo tam Langobardus quam clerus rem sibi indebitam absque judicio usurpare presumpserit, qui convictus fuerit hec fecisse ea sententia feriatur, ut eandem rem quam invasit cum alia tale eidem cui vim ablata est restituat.

II.

Villa exceptro villarum, et piscatoria manufacta, et quicquid fossibus aut sepibus vel etiam alium genere clausurarum munitione precingitur, edodem immunitate et temeratoribus dicatur campo et silva que sine laborationibus sunt nullo modo munitione cinguntur, non plus inmunitate nomina conplete, quam claustra monasterii.]

APPENDIX IIII.

KAROLI MAGNI

FRANCORUM ET LANGOBARDORUM REGIS

CAPITULARE,

e codice Eporediensi XXXIIII, fol. 26, b.

SECRETIORES.

Cap. I.

Quod, Deo miserante, filii nostri etatem habent, et, excepto paterna consolatione, per se ceteris hominibus praecellere debent.

II.

De consiliariis, et ut illi semper audiantur, quia ad profectum et utilitatem communem consilia sua proferunt; qui vero de propriis potius quam de communis considerare solent, reiciantur de loco consilialiorum.

III.

Quomodo causam confinales nostri odio semper habent contra illos, qui parati sunt inimicis insidias facere et marcam nostram ampliare.

IIII.

De episcopis, presbiteris, diaconibus vel clericis interdixit per omnia magna sinodus, ut nulli episcopo vel presbitero atque diacono sive clerico liceat habere mulierem simul nec ancillam aut aldiam quae in opinione adulterii manet aut difamatur, nisi forte matrem aut sororem aut amitam; simul nec et ipse in casas ubi ipsi manent esse non debeant: et qui hoc facere ausus fuerit, bannum nostrum ad partem nostram conponat.

V.

Et postquam hoc capitulum adnotare jussimus, et per regnum nostrum cuiquam de nostra jussione commendatum fuerit, et alio modo fecerit, nisi quod nobis et nostris fidelibus placitum est, quiscumque nostra jussione in dispectum habuerit, bannum nostrum dupliciter ad parte nostra conponat; et postea ipse reus appareat in sancta sinodo, et secundum canones judicetur. Et placuit nobis, ut quiscumque de fidelibus nostris hoc actum a nobis jussum habuerit ad inquirendum per regnum nostrum, ubicumque inquisierit, quales seniores homines in ipsa loca fuerint manentes, eos sacramentare faciat, ut per ipsos veritas declaretur.

VI.

De illis hominibus vel sacerdotibus vel quibuslibet per regnum nostrum, qui propter premia vel parentellas de nostra justitia inquirentibus aut emendantibus vicia veritatem ofuscare volunt missis


vel fidelibus nostris, ut se in perjuria mittant: jubemus atque praecipimus, ut si suspitio fuerit quod perjurassent, ut postea ad campum vel ad crucem judicetur, ut ipsa veritas vel perjurium fiant declarata. Et si Domini fuerit voluntas, quod per ipsa judicia veritas aut perjurium declaretur, tunc volumus atque jubemus, ut si sacerdos vel clericus fuerit, dupliciter bannum nostrum persolvat, sicut superius decrevimus, et postea secundum sanctos canones judicetur; et si laicus fuerit, widrigild suum ad partem nostram persolvat.

In Capitulari Hlotarii in Maringo, anno DCCCXXV, x kalendas martias, idem codex, fol. 31, inter secundum et tertium hoc addit capitulum, quod deest in editione Pertzii, Legum T. I, p. 241.

III.

Placuit nobis de illis hominibus, qui se liberos per triginta annos esse dicunt, volumus adque instituimus, ut per hanc probationem liberi non sint, nisi de ingenuo patre vel matre nati sint, aut cartam libertatis ostendant.

Dein capita quae in editione sunt 3 et 4, in codice Eporediensi sunt IIII et V. Vox *tercio* in fine Capitularis deest.


ARE
DUX

APPENDIX V.

ADELCHIS

BENEVENTANORUM DUCIS

CAPITULARE.

I. Si servus libera uxorem tulerit.
II. De homine pagano.
III. Si mulier morgincapud factum non habuerit aut factum perdiderit.
IIII. Si quis testem si quisque manibus suis subscripserit.
V. Si quis rem suam obligaverit, et eam postea vendiderit.
VI. Si juraverit quis et perjuraverit.
VII. De munimine perdita per ignem aut depredationem postea.
VIII. Ut brebes nonnisi notari scribant.

Omnipotens universitatis Dispositor quondam, ut ei placuit, Italiae regnum genti nostrae Langobardorum subdidit. Quorum quidem regibus jam feliciter regnantibus Inspirator bonorum omnium in eorum dignatus est pectoribus serere quemammodum legis decreta communi concilio sancirent, quibus subditus populus cunctaque gens illa legaliter vivens, nullusque metas statutae legis excedens adversus alterum nihil sinistrum auderet perficere. Idem vero reges, si contra coelitus illa decernere valuerunt, ita prudenter atque humiliter scriptum relinquere voluerunt, ut sequentes reges quaeque superflua in eorum Edictis forsan aspicerent, pumice frangerent; et quaeque minus quam oportuerit forent, pro temporum qualitate adicere non resurgerent. Quod ita caute factum a quibusdam est regibus postea regnantibus, veluti in eorum statutis cognoscitur. Ejusdem vero famosae gentis tunc gloria permanente, subito Gallorum gens primatum et capud regni illius invasit. Eo quoque tempore rex DESIDERIUS *Langobardorum sceptrum tenebat, cujus gener eodem tempore erat Carolus Francorum rex, qui, sedi ejus invidens et insidians, contra eundem subdole et callide agere non refugit. Quo quidem capto atque in custodia posito, regnum Italiae gentemque Langobardorum suo imperio subdidit. Sicque, decreta dispositione Conditoris eadem gente ad minima decidente, ducatum tunc Beneventi gubernabat* ARECHIS *dux, romanus, catholicus, atque magnificus; qui, imitator existens majorum, suae gentis reliquias rexit nobiliter et honorifice, et, sequens vestigia regum, quaedam capitula in suis decretis sollerter corrigere seu statuere curavit, ad salvationem et justitiam suae patriae pertinentia; quae utilia nempe sunt, et insertu in Edicti corpore retinentur. Longo autem post tempore ad nos quoque ducatum ipsius reliquiarum*

gentis supernae pietati producere placuit, quos jam infestatio multarum gentium valde opprimit, quae nostros concives conterere et dissipare non desinunt, plurimas nostrorum villas oppidaque cremantes et disperdentes. Et liceat ista nostro excreverint tempore, quibus multum mestificamur, simul et habundaret nequitia profundam caepit nostratium, quibus unus contra alterum semper molitur insidias, statuta antiquae legis excedens, cupiensque frequenter quocumque modo suo nocere proximo: de quibus indesinenter animus noster contristatur. Propterea, dum talia recidere et corrigere tractaremus, sequentes praephati Arechis *excellentissimus ducis aegregium exemplum, ad imitationem ejus quaedam instituere providimus capitula ad amputandas quorundam nequitias congrua. Ideo, communi habito eloquio in hoc nostro Beneventano palatio cum domino Adone fratre nostro venerabili episcopo, seu cum comitibus, abbatibus, caeterisque nostris magnatibus, anno aeducatus nostri duodecimo, mense martio, et indictione quinta, eadem capitula statuire sollicite curavimus, quibus omnis iniquus suam malitiam et iniquitate retundere et refrenare debeat. Quae nimirum in Edicti paginis inserere praecepimus perpetuo jure retinenda: quorum primus iste est*

Cap. I.

Si cujuscumque servus liberam sibi uxorem tulerit, qui ad palatium juxta legem pertinebat, utique pessima extitit consuetudo, ut eas personas quisquis vellet expeteret. Amodo autem et deinceps statuimus, ut tanta perversitas nullum habeat locum, sed ipse solummodo eos habeat semper, cujus primum ille fuerat servus, etiamsi illos a palatio numquam repetat; nam potest fieri, ut ipsum solum habeat dominus suus, quem si hac occasione amiserit, efficietur pauperrimus. Sed seu unum sive plures habuerit famulos, et in uno quolibet eorum istud acciderit, dominus suus, uti decretum est, eum cum illam quam sibi uxorem tulerit possideat perpetim cum filiis eorum. Et si quis temerarius eos a palatio petere deinceps presumpserit, petitio illius cassa permaneat.

II.

Si quis a quocumque fuerit plagatus, et plagam judex presentaliter factam aspexerit, et adversarius illam ei egisse negaverit: preveat sacramentum plagatus, quod certius ipse supra quem proclamavit illam ei fecerit quam ostenderit plagam; postea vero improbus persolvat illi juxta Edicti tinorem justitiam absque tergiversatione aliqua.

III.

Si clarum manifestumque fuerit quamlibet feminam consuete et legaliter habuisse maritum, et quartam seu octabam habuisse ab eo sibi factam, eamque pro perturbatione temporis perdidisse quomodocumque, vel si etiam, ut accidere solet multotiens, quartam eamdem vel octabam non fuerit scripta, propinquus mariti vel quilibet alter eamdem quartam vel octabam eidem mulieri rite competentem contrare minime presumat. De quibus si ulterius altercationem quisquam proposuerit, ejus quaerella nullum obtineat fructum; quoniam inicum et reprehensibilem videtur, ut quod omnes de suis retinent viris, aliquante mulieres pro incuria aut aliqua accidentia amittant.

IIII.

Si quis se testem in quocumque munime propriis manibus subscripserit de rebus quibuslibet forsitan facto ad se pertinentibus, statuimus, ut postea nullomodo inde valeat movere causationem; devet enim sollicite requirere et scire quid sit illud, ubi rogatur subscribere.

V.

Si quis rem suam obligaverit cuicumque, et denuo illam alteri vendiderit, et emptor ipsam ante faciem ejus, cui obligata fuerit prius, anno uno expleto possederit, postea exinde nullam controversiam his qui eam obligatam habuit valeat movere; quoniam neglectui ejus rite deputabitur, quod emptorem infra tot spatium exinde appellare contempsit, et quod ab illo obligatore nullam prius acceperit firmitatem. Quoniam justum videtur, ut magis his qui illud pretium dedit eamdem rem possideat, quam ille qui solam obligationem retinet.

VI.

Si quis juraverit, et cognitum fuerit certius judici quod perjurasset, aut famam habuerit perjurandi: si calumniator intentionem proposuerit, ex judicio judicis per pugnam ei approbet quod perjurasset fallaciter, et postea ipse qui juravit persolvat ei justitiam, si ceciderit, juxta tenorem Edicti.

VII.

Si casam vel quacumque rem aliquis per munimen habuerit et possederit, et illud munimen per ignem aut depredationem postea amiserit, et causator quicumque dixerit, quoniam eadem casa vel res quam possidet ei debeat pertinere legaliter: preveat sacramentum idem possessor cum parentibus, quod de eamdem rem vel casa veracia habuisset munimina, sed ea per ignem aut azalationem seu

depredationem perdidisset. Si vero his qui quaerellam movit prius elegerit illi velle per pugnam approbare, solus juret qui ipsam tenuerit, quaecumque fuerit res, et sic ad pugna pergatur. Etenim considerandum est et veraciter credendum fieri potuisse, ut multi sua munimina, velut dictum est, amiserint et amittant; dum et oppida et ville plurime a paganis cremate sunt, et, nostris exigentibus meritis, sepius cremantur et disperduntur: ideoque iniquum videtur, ut talibus accidentis amisso munimine aliquis id perdat si munimina inde non ostenderit, quod ei jure conpetit habere.

VIII.

Inconveniens usque modo consuetudo extitit, ut jam quisquis voluisset, si nosset, scriberet brevem undecumque opportunitas exegisset. Amodo autem decernimus, ut soli notarii breve scribant, sicut et cetera munimina. Et quiscumque deinceps brevis fuerit absque notarii subscriptionem ostensus, nullam retineat firmitatem; quoniam multos ex illis deprehendimus fuisse falsos, quod, Deo opitulante, cupimus ut ulterius non fiat.

APPENDIX VI.

INSCRIPTIONES

LANGOBARDICAE

IN PEDEMONTIO REPERTAE.

I.

(Tertiodecimo kalendas novembres, anno DCVIIII.)

+HIC SACERD EPISCOPAVIT ANN XLVII CONPLEVIT OMNES DIES SVOS ANN PL M LXXX



+ Hic Sacerd(os) episcopavit ann(os) XLVII; conplevit omnes dies suos, ann(os) pl(us) m(inus) LXXX.

☧

+ Dep(ositio) s(an)c(ta)e m(emoriae) Ursicini ep(iscop)i sub d(ie) tertiodecimo kal(endas) novembres, ind(ictione) tertiadecim(a).

A ☧ ω

II.

(Octavo idus februarias, anno DCXX.)

+ HICREQVIESCIT IN
SOMNOPACISBMHO
NORATAQVIVIXIT
IN SAECVLOANNOS
PL·M·XL DEFVNCTAEST
SVBREGEAΔLOWALΔO
ANNO XVIII·REGNI EIVS
INΔIC VIII·VIII IDVSFEBR
ΔIEMER·ZIQVISHVNCTV
MOLVMVIOLARETEMPTA
VERITIRAMDIINCVRRAT
ETANATHEMATVSSIT

+ *Hic* requiescit *in* *s*omno pacis b(onae) m(emoriae) *Ho*norata, qui vixi*t* in saeculo anno*s* pl(us) m(inus) XL; defuncta *est* sub rege ADLOWAL*DO*, anno XVIII regni ej*us*, indic(tione) VIII, VIII idus *febr(uarias)*, die mer(curii). Si quis hanc *tu*molum violare tem*pta*verit, iram D(e)i incur*rat*, et anathaematus s*it*.

III.

(Tertio kalendas julias, anno DCXLV.)

+ HIC REQVIESCET
IN SOMNOPACES BM
SIM PLICIVSCONΔVC
TORQVIVIXIT IN SECVLO
ANNOSPLMlxxvRECES
SETDEHACLVCEMSVBΔIE
TERCIOKALENΔAS IVLI
TE
ASREGNANΔMNNOS
TROROTHARIREGE
ANNOVIIIINΔICCIONE
TERCIAFELICETER

+ Hic requiesce*t* in somno paces b(onae) *m(emoriae)* Simplicius codu*c*tor, qui vixit in se*culo* annos pl(us) m(inus) LXXV; rece*s*set de hac lucem sub die tercio kalendas jul*i*as, regnante d(o)m(i)n(o) nostro ROTHARI rege, anno VIIII, indiccione tercia, feliceter.

IV.

(Septimo kalendas augustas, anno DCLV—DCLVII.)

+HICREQVIESCITINSOMPNOPACES
BMBERTALDVSPRESB·QVIVIXET
INHOCSEC·ANNPLMXC·DECES
DEHVNCSECSVBDIEMVIIKAL
AVGREGNANTEDN N ARIPERTVS
REGEANN IIII IND FEL

+ Hic requiescit in sompno paces b(onae) m(emoriae) Bertaldus presb(yter), qui vixet in hoc sec(ulo) ann(os) pl(us) m(inus) xc; deces(sit) de hunc sec(ulum) sub diem vii kal(endas) aug(ustas), regnante d(omi)n(o) n(ostro) ARIPERTUS rege, ann(o) iiii, ind(ictione) **, fel(iciter).

V.

(Sexto idus martias, anno DCLVIII.)

+HICREQVIESCITIN
SOMNOPACESBM
MARCIANA Q·VIXITANN
PLM·L·ETRECESSITDEHOC
SCLOSVBD·VI·ID·MARCIAS·
REG· DOM· ARPT.
ANNO V· P IND· I·

+ Hic requiescit in somno paces b(onae) m(emoriae) Marciana, q(uae) vixit ann(os) pl(us) m(inus) L; et recessit de hoc s(e)c(u)lo sub d(ie) vi id(us) marcias, reg(ni) dom(ini) ARIPERTI anno v, p(er) ind(ictionem) i.

VI.

(Nono kalendas februarias, anno DCLXVIIII.)

+HICREQVIESCITINSOMNOPACIS
BMROFIAQVIVIXITINHOCSCLOAN
NOSPLM XX·ETRECESSITDEHVN SCLM
SVBD VIIII KAL FEBRVAR REGNANTEDMN
NO GRIMOWALDOREGEANOVII P
IND XII FEL

+ Hic requiescit in somno pacis b(onae) m(emoriae) Rofia, qui vixit in hoc s(ae)c(u)lo annos pl(us) m(inus) xx, et recessit de hun(c) s(ae)c(u)l(u)m sub d(ie) viiii kal(endas) februar(ias), regnante d(o)m(i)n(o) n(ostr)o GRIMOWALDO rege, ano vii, per ind(ictionem) xii, fel(iciter).

VII.

(Decimosexto kalendas octobres, anno DCXCI.)

+ Vixit in D(omino) ann(os) pl(us) m(inus) LXV.

A ☧ ω

D(e)p(ositio) b(onae) m(emoriae) Rustici ep(iscop)i, sub die XVI kal(endas) oc(tobres), regnante v(iro) gl(orioso) CUNINCPERT, ind(ictione) IIII.

Hic requiescit Sacerdos * * *

APPENDIX VII.

AD LEGES LANGOBARDICAS

GLOSSAE

CAVENSES ET EPOREDIENSES.

I.

GLOSSAE CAVENSES.

ROTHARIS.

cap.	vers.	ad vocem
I.	I.	*anima*) Anima ponitur pro corpore.
I.		Quando cultrum vel gladium in manica aut in sinum aut sub tunica adhinventus fuerit ante presentiam regis. aut comedendi aut bibendi venenam dare voluerit bene iste cogitavit contra animam regis.
XVIIII.	I.	In cap. LVII. et in cap. XCVIIII. et in cap. CXVII. et in cap. LXXVII.
XX	I.	Roth. cap. VIII. et CXLIII.
XXXVI.	I.	Roth. cap. CCXLV.
XC.	3.	Roth. cap. CCLIIII.
XCI.	9.	Roth. cap. CCXLIII. Roth. cap. LXIII.
XCVI.	I.	Roth. cap. CCCLXI.
C.	I.	Roth. cap. XV.
CIII.	4.	Roth. cap. LXXXVIIII.
CVI.	I.	Roth. cap. CLXV.
CVIII.	3.	Roth. cap. CCLII.
CVIIII.	5.	Roth. cap. CCL.
CXIII.	I.	Rot. c. XII.
CXV.	I.	Rot. cap. CLXXXVIII.
CXXXVI.	4.	Rotari c. CCCVI.
CXLIII.	2.	Rot. cap. CCCLXXVIII.
CXLVII.	I.	Rotari cap. IIII. et in cap. XIIII.

GRIMOWALDI.

VIII.	I.	Rot. cap. CCXI.
VIIII.	I.	Rot. cap. CCLI.

LIUTPRANDI.

XIIII.	I.	Roth. cap. IIII. In antea cap. C. XL.

RACHIS.

I.	15.	Rotari cap. CCCLXVI. – Liupr. XXV.

AHISTULFI.

XIIII.	I.	Areg. cap. XIIII.

II.

GLOSSAE EPOREDIENSES.

(Marginales glossas ab interlinearibus hac nota distinximus m.)

ROTHARIS.

cap.	vers.	ad vocem
CCXXXII.	9.	*tunc*) .i. *(idest)* ad illum tempus.
CCLXVII. m.		Ista lex in pars vacuadum na lex liutprandi. Si quis res suas c. . . . . in cujuscumque causa de conliberto suo. *(L. XIII, II).*
CCLXVIII.	2.	*quia fugax est*) Foris provincia fugire temtaveri.
CCLXXI. m.		Capitulo lodoici qui incipit sic: Si mancipia de de *(sic)* domino suo fugierit innaliena *(in aliena)* potestate concordasse. exsplitoci *(explicat oc in?)* ipsa lege de hoc quod dicit secundum eam solvere cogatur.
CCLXXIII.	7.	*ille*) s. *(scilicet)* omo. *(Eadem glossa tercenties occurrit.)*
CCLXXIIII. m.	1.	Mancipium dicitur a manu capiendum, eo quod in ostes frequeter *(frequenter)* fieri solet. *(Justiniani Instit. I, III, 3, de Jure personarum: « Mancipia dicti sunt, quod « ab hostibus manu capiun- « tur ».)*
CCLXXVI-LXXX.		Vada in librando *(Liutprando)*. Relactum est nobis, quod aliqui homini perfidi *(L. XIIII, III)* uuux jurate dicitur vixe dubio, sicut dici in canto: Vix justum salvabitur. R*(ecordare)* quia continet capitolo lodoici, qui incipit: Si servi per contumacio collec tulleri udrue orum c̄ annum.
CCLXXVII. m.		Si quis romano abueri filii de femina langobarda, et ante quam ad legitimam uxore tullerit filios abuerit, et postea legitima feceri filio habueri, qualiter dividat zius, idest fratrem patris, aut avunculum, idest fratre matris.
CCXCI.	4.	*figangit*) Idest transata morte.
CCCIII. m.		Quare qui ille cujus sepi est nec suum pertinentem invovit a saliendum, et sic feceri, conponat pro eo; quia ipse cujus sepe esse clusura ... vel suum pertinente moveba a saliendum: et si non movi, nichil conponat. Et possumus dicere verbi gratia provocasse.
CCCXXVIII.	3.	*intrigatu*) .i. plagatum. *(Item alias.)*
	5.	*jobemus*) .i. comandamus. *(Saepe alias.)*
CCCXXX.	4.	*nam*) .i. certe. *(Saepe alias.)*
CCCXLVII. fin.		Nam si eum apsconse abueri*(aut)* aut eum vendideri, conponat ipsum caballum in actogil.
CCCLV.	3.	*incautam*) .i. non previsa.
	4.	*presumptionem*) .i. osacione.
CCCLX.	5.	*excepto*) .i. anteposito.
	8.	*thingavit*) .i. donavi.
CCCLXV.	1.	*appellaverit*) .i. pulsaveri.
	3.	*dicernimus*) .i. statuimus.
	4.	*pulsatur*) .i. apellat.
CCCLVI.	3.	*pretexto*) .i. tinore.
	5.	*singolus*) .i. solus.
CCCLXVIIII.	5.	*morh*) .i. mortem penetraveri in asconso.
	6.	*in suo vigore*) .i. in suo robore.
CCCLXXIII.	1.	*hoberus*) .i. curtis rupture.
	1.	*wacuor*) .i. si antesteri viam.
	1.	*marahw*) .i. jactaveri omine liberum de caballo.
CCCLXXXV. m.		Ista lege declara ut omo qui fueri inpintus et cecideri et accepi ibi plagas, non conponetur nixi de plagas; et si cecideri et non acceperi ibi plagas ex lexionem, non nixi det praedicta, sicut ista lex dicit.

GRIMOWALDI.

cap.	vers.	ad vocem
I.	3.	*patrocinia*) .i. ajutorio.
II. (ibi III)	5.	*edoniare*) .i. purificare.

LIUTPRANDI.

De anno I.

cap.	vers.	ad vocem
I. m.		L *(iutprandus)* in ista lege declara, ut qui habuerit filium masculinum legitimus, ipse debeant sucedere; et si non abuerit filium, filia legitima debeant sucedere, non alius. Ideo dice ut filii naturalis non debeant sucedere nec alii parentes vel curtem regis.

cap. vers. ad vocem

i. m. — Si Langobardus deserit *(decesserit)*, et relinqueri filia ex nepus, filio de suo filio etqualiter *(aequaliter)* sucedere debeant, quoniam filia non debet sucedere, nisi tantum filium; si ergo filia totum succedit, plus filium sucedit.

De anno V.

i. m. — Recordare quoniam non posi donare nec judicare omnes rex suas filium, idest de filia in capillo abuerit justa lege duas. prima iniciatur ita: De eo qui filiam in capillo in ca abueri *(L. XIII, I)*. Secunda inicia sic: Si quis Langobardus volueri in fili suis *(L. XI, X)*.

i. fin. m. — Re*(cordare)* de lege que inicitur sic: Nulli si licencia conjunge sue *(L. X, VIII)* quoniam illi concorda se cum ista, quia dicit ut per nullum ingenium non posit omo dare sua uxore aliquit super morgincap et sponsaricio.

ii. m. — Re*(cordare)* quoniam per ista legetimus nosicar langobardo tres aut quatuor testes extendum est, quia de convenencias non debet alius esse nisi credant ambe partes testimonium eorum que fueri tunc, justa lege et illa que inicitur sic: Si quis domodo in presencia regis *(Ra. I)*, et declara istas lege insta*nibil fuerint abet tres omine.

iiii. — Ista tangit lege robrari que incipitur sic: Si servum suum proprium aut ancillam suam propriam *(Ro. CCXXIIII)*, retro.

v. — Ista lex tangi rothari que inicitur sic: Si servus dum in fuga est *(Ro. CCLVI)*; et alia lege que inicitur sic: De servis fugacibus *(L. V, XV)*; loquitur de ac causa.

vi. — *(Haec bis scripta est; semel in margine, semel in scheda inserta in sutura codicis. In orthographicis textum modo hunc modo illum secuti sumus.)* In ac lege declara ut pater vel frater dare posit ad conjungium ante XII annos sua filia vel sorore, ex lege que inicitur sic: Advenientem vanissima *(L. XII, XIII)*; dicit ut puer posit copulare in conjungium femina antequam ipse puer ante conplea XIII annos si pater ad avus *(scheda* aut adavus*)* ejus consenseri. Set istas sentencias ambe vacua sunt justa cap. Karloni et inicitur sic: Illut preteria. secundo et lodoicit, et inicitur sic: Ita inventi sunt multa; quoniam dicunt ut conjungium non potest *(margo* posit*)* fieri inter puerum et puellam antequam ambo pervenit et puberta *(margo recte* perveniant a pubertate, et puberta*)* in masculis XIIII annos completos et feminas duodecim annos completos, justa Instituta *(Idest Institutiones Justiniani, de Nuptiis, I, X, princ., et Quibus modis tutela finitur, I, XXII, princ.)*

viii. — *(Haec item bis scripta.)* R*(ecordare)* quoniam in lege non apella mulier propinqua parentes; et alia lege que inicitur sic: Si quis alii wadia dederint et fidejuxore *(L. V, XI)* declara similiter ut propinqui parentes masculi sunt de feminino ideo dico mater nec alii femine non posunt sucedere suum proprium, nixi illas quas rex nominatum precepit sucedendum.

id. — *(Item bis scripta.)* R*(ecordare)* quoniam si soror deciderit *(margo* decesserit*)*, frater et pater patris qui si ejus mundio et soror frat debet sucedere soror, quia ista lege non dicit de alia sorore nisi de illas sucedere *(de illas sucedere deest in scheda)* debeant pater et mater suas. Si ergo pater habet filium, sucedit patri, non filia. et si non est mundoalt frater, ille *(marg.* illi*)* cui pertinet mundium ipse sucedat, justa lege rohari prima inicitur sic: Si puella aut vidua sponsata habuerit *(R. CCXV)*. Ideo de mundoaldo id est si pater propinqui aut

cap.	vers.	ad vocem
		pater aut frater vel dederi vel donaveri.

De anno XI.

cap.	vers.	ad vocem
I.	38.	*precedat*) .i. acresca.
III.	2.	*matrinia*) .i. noverca.
IIII.	1.	*previdimus*) .i. statuimus. *(Item alibi).*
	2.	*amodo*) .i. deinces, in ante *(Item mox).*
	2.	*presumat*) .i. osat. *(Saepe alias).*
	5.	*amittat*) .i. perdat. *(Item alibi).*
	9.	*adfiximus*) i. adfirmamus. *(Item alibi).*
	9.	*Urbis*) .i. civitatem.
	11.	*adortavit*) .i. afirmavi.
	12.	*nullatinus*) .i. nullo modo.
XIIII.	4.	*launigild*) .i. wirardonum.
m. fin.		Ergo estimo si jurare ausus non fueri de conludio, ut conponeri debet in dublum, quia dicit .... istius.

De anno XV.

cap.	vers.	ad vocem
IIII.	6.	*ita*) .i. sic.
VI.	6.	*quiscumque*) .i. qualicumque. *(Item alias).*

De anno XVIIII.

cap.	vers.	ad vocem
I.	3.	*copolaverit*) .i. sociaverit in conjugio.
	4.	*morgincap*) .i. quartam partem.
	6.	*ponere*) .i. mitere.
II.	1.	*Recolimus*) .i. recordamus.
	1.	*enim*) .i. nam.
	3.	*amittat*) .i. perdat. *(Item alias).*
	10.	*ideo*) .i. proter oc.
	11.	*emerserit*) .i. evenerit.
	15.	*asto*) .i. irato.
	ult.	*vetare*) .i. negare.
III.	3.	*tamen*) .i. certe.
	6.	*bienni*) .i. duos annos.
	11.	*similiter*) .i. simili modo.
	15.	*meta*) .i. pena.
	24.	*genium*) .i. conludio.
	25.	*excrevit*) .i. acrescere.
	26.	*resegare*) .i. remanere.
	35.	*quispiam*) .i. si aliquis homo.
IIII.	1.	*frem*) .i. mundoalda.
	15.	*addimus*) .i. ajungimus.
V.	2.	*turpiter*) .i. verecundia. *(Item alias).*
	8.	*quispiam*) .i. qualiscumque homo.
	9.	*conpellaverit*) .i. apellaverit. *(Similiter alias).*
	18.	*puplicus*) .i. comes.
	28.	*tamen*) .i. certe.
VI.	1.	*insipiens*) .i. non sapiens.
	3.	*egrotus*) .i. infirmus.
VII.	1.	*fororem*) .i. ira.
	1.	*accepto*) .i. recepto.
X.	2.	*procreaverit*) .i. genuavit.
XI.	7.	*matrimonio*) .i. conjudio.
XII.	2.	*(wadiam suam) solvendam*) .i. liberandam.

De anno XXI.

cap.	vers.	ad vocem
VIII. fin. m.		Vado supra ad Si quis servus noster occissus fueri *(L. XIII, CXL).*

De anno XXII.

cap.	vers.	ad vocem
III.	1.	*Relatum*) .i. adnunciatum.
	3.	*mano fortia*) .i. virtute.
	6.	*collegere*) .i. adunare.
	7.	*eas*) s. mulier.
	10.	*plus crudeliter*) .i. plus male.
	11.	*exercuerunt*) .i. comandaverunt.
	11.	*hoc*) s. factum.
	11.	*ad nos*) s. sire.
	14.	*adfigere*) .i. afirmare.
	17.	*obprobrium*) .i. veracundia.
	20.	*internicionem*) .i. ocisionem.
	22.	*decalvare*) .i. taliare.
	22.	*frustare*) .i. scuvare. *(Etiamnum Itali scopare).*
	28.	*prospeximus*) .i. statuimus.
	32.	*viri*) .i. omini.

De anno XXIII.

cap.	vers.	ad vocem
II.	2.	*inmemor*) .i. non memor.
	9.	*non pepercit*) .i. non wardavit.
III.	2.	*discendens*) .i. moriens. *(Similiter alias).*
	7.	*similiter*) .i. simili modo.
	8.	*exorta*) .i. nata.
	10.	*altercationem*) .i. intentione.
	10.	*ponentes*) .i. mitentes.

RACHIS.

cap.	vers.	ad vocem
I. Init.		*(Nullus prologus; omissa etiam inscriptio: sed in marg. legitur)* Incipit domnus rachis cap. primo, et c*(etera)*. lex Si homines infra wdia *(wadia)* presum fuerit et qui wdia dederit manifestat qui in tali tinore dediset sicut professaset cum *(verius ci)* rothari rex firmatur.

cap.	vers.	ad vocem
II.		Lex Si libera femina servum copulaveri et LX annos in libertate permanserint sic le*(be)*re sit cum fili*(is)* filiabus suorum per ista libertate capitulare vacua ....
VII. m.	7.	*pro simplicitatem*) per insipiencia vel per alia infirmitate.
m.	11.	*excepto his capitulis*) .... de viduis vel de orfanis aut de alio omine qui de causa sua agere nexi.
VIII.	2.	*submittant*) .i. tramitant.
	2.	*secretum nostrum*) .i. consilio nostro.
	3.	*dicendo*) .i. apreendum.
	3.	*delicioso*) .i. mali.
	4.	*hostiario*) .i. drudo regis.
	4.	*alios*) .i. amabiles.
	4.	*captiosae*) .i. frudolenter.
	4.	*absconsae*) .i. geniose.
	5.	*invisticare*) .i. querere.
	5.	*agamus*) .i. faciamus.

AHISTULFI.

cap.	vers.	ad vocem
II. m.		Tam lege legem rothari incoa sic: Si quis servum suum proprium aut ancillam suam propriam libero dimittere voluerit. *(Ro. CCXXIIII).*
III. m.		Questio abet lex ista cāp. que dicit de fili *(sic)* cui pater per manu et rogatores omnes servos suos junxitor *(jusserit)* fierit liberos.
V. m. fin.		s. ille suce *(sucedat)* qui per mundium suum fecit.
VI.	1.	*Pervenit*) .i. avenia.

APPENDIX VIII.

GLOSSARIUM

CAVENSE

Astalin, *id est* deceptio. aut fraus.
Anagrip, *id est* faida. aut inimicitia.
Aldia, *id est* de matre libera nata.
Aamund, *id est* a se extraneum.
Astogild, *id est* quod iniquo animo querit.
Arimannus, *id est* qui scutum dominicum sequitur.
Arischild, *id est* adunacio.
Aritraibus, *id est* solidos nungentos.
Aistan, *id est* irato animo.
Amissivus, *id est* naturalis.
Aydones, *id est* sacramentales legitimos.
Andegaveric et Arigilveric, *id est* cui donavit. vel aliquid stabile dedit. secundum legem Langobardorum.
Armentarius, *id est* qui supra grex boum. vel equorum.
Asto, *id est* voluntariae.
Ammittat, *id est* perdat.

Barbanus, *id est* patrius (*lege* patruus).
Bandum, *id est* vexillum.

Amenicula, *id est* ubi ube (*pro* uvae) pendunt.
Ambulatoria, *id est* pastora caballi.
Aborsum (*lege* Abortum), *id est* si se fragaverit.
Armenta, *id est* greges boum vel aequarum.
Arimanno, *id est* homo mundus liber.
Ariolus vel Ariolas, *id est* incantatores.
Aruspices, *id est* quod aram aspiciunt.
Ametanes, *id est* thie (*Italice* zie, *e Greco* θεία).

Cespitibus, *id est* rebus et substantia.
Camphio, *id est* pugna. seu pugnator.
Carolas, ***
Condoma, *id est* curte ubi servi habitant.
Cespitibus, *id est* terris.
Cicatrix, *id est* signum vulneris.
Casindios regis, *id est* qui palacio regis custodiunt.
Casa mancipiata, *id est* ordinata.

Ancilla gentile, *id est* pagana.

Cautio, *id est* scriptura obligationis.

Defradin, *id est* dona. que ei in die votorum aliquid accepit.

Cassinam, *id est* casella.

Edoniare, *id est* liberare. seu defendere. vel firmare.

Faida, *id est* inimicitia.
Ferquidum, *id est* similem.
Fulfor, *id est* filius legitimus.
Fara, *id est* parentela.
Faderfido, *id est* quod adduxit da parentibus.
Fulfreal, *id est* qui per sacerdotes circa altare liberi sunt.
Ferea, *id est* esclum.
Figantt, *id est* ut semper habeat sibi.
Fus nachar, *id est* arvo campo stuppla.

Fidejussor, *id est* mediator.
Fraidan, *id est* refugium.

Exigatur, *id est* inquiratur.

Faida, *id est* inimicitia.
Fragaverit, *id est* leserit.
Facundia, *id est* eloquentia.
Filias in capillo, *id est* absque viri.

Guidribora, *id est* quattuor vias.
Gargathungin, *id est* saecundum qualitatem persone.
Gairethix, *id est* qui recipit donum.
Gisil giseli, *id est* liberi homines.
Gaida, *id est* casindios.
Gafar, *id est* coheredes parentes proximi.
Gajo, *id est* silva regis.
Guaregang, *id est* qui de exteras fines venit.
Gahamalos, *id est* confabulatos.
Gualapauz, *id est* qui se furtivum vestimentum alienum induerit. aut caput vel facie se transfiguraverit latrocinando animo.
Guidrigild, *id est* c. l. solidos.

Frea, *id est* puella que in alterius mundium est.

Gafandus, *id est* heredes proximi parentes.

Impans, *id est* qui in votum regis dimittitur.
Infaida, *id est* apud alienum refugium.
Iderzon, *id est* sepis aliena.
Instigatum, *id est* naufragatum.
In actigild, *id est* nouum (*lege* nonum).

Guecorin, *id est* qui per fortia adulteraverit femina libera.
Guarfida, *id est* consuetudo antiqua.

Lidinlaib, *id est* in die obitus sui.
Launegild, *id est* donum vel meritum.
Liberta, *id est* qui libera dimissa est.
Lagi, *id est* supra genuculum.
Lang, *id est* longam vard.
Lithingi, *id est* quidam nobilis.

In pensilem, *id est* in sua proprietate.
Interemtus, *id est* occisus.

Marphais, *id est* statutor (*lege* strator).
Morgincaph, *id est* quartam partem.
Meta, *id est* promissio quod marito facit uxori antequam tollat.
Matrinia, *id est* nuvercam.
Modola, *id est* quercum.
Morioth, *id est* super cubitum.
Maragohris marchugoris, *id est* qualibet minorem causam.

Jugera terre, *id est* quantum arare possunt cum xl paria boum.

Oberus, *id est* curtis ruptura.
Odan, *id est* quem adjecta litera godan dixerunt. ipse est qui apud romanos mercurius dicitur. (Ex Paul. Diac. Hist. lib. I, cap. viiii.)
Obfuscetur, *id est* obscuretur.

Lex dicitur ad ligandum, id est quia ligat pravos homines. lex enim dicitur eo quod animos nostros liget.

Ploderaub, *id est* spolia de mortuorum.
Proditor, *id est* indicator.
Pleuma, *id est* palu de lugo.
Pulsaib, *id est* percutere.

Sculdhais, *id est* Rector loci.
Scala, *id est* patera.
Stalaria, *id est* salicem.
Scamera, *id est* furones.
Scilfor, *id est* armiger.
Siliquas, *id est* vicesima pars solidi.
Sancimus, *id est* statuimus. decrebimus.
Stolesaz, *id est* qui ordinat conventum.
Silmundia, *id est* in sue potestatis arbitrium.
Soga, *id est* funem.
Sonor phair, *id est* verrem qui alios verres in grege vincit.
Sudes, *id est* palus.

Maccinam, *id est* pontonem.
Muttaverit, *id est* prestavit.
Mundium, *id est* pertinentia.
Threus, *id est* homines metiani. qui non sunt nobiles.

Think, *id est* donatio.
Trino, *id est* subtus cubitum.
Trewam, *id est* quod auctor (*lege* actor) publicus facit.
Trotigin, *id est* arsenica (*Num ab ἀρσενικός?*)
Tibia, *id est* gamba.

Roborem, *id est* sorbum.
Ritu, *id est* consuetudo.

Uidribora, *id est* libera.
Uecorin, *id est* orbitaria.
Uarfida, *id est* consuetudo.
Vegoren, *id est* minorem culpam.
Uncie sex, *id est* medietas.

Zabas, *id est* adunacio.

Noverca, *id est* matrinia.

Oriatur intentio, *id est* nascatur.

Prohibuere, *id est* antestare.
Preest, *id est* super est.
Perpretare, *id est* incitare.

Pro-puslai, *id est* pro una ferita.
Plovum, *id est* incibo arati.

Redimere, *id est* comparare.
Res, *id est* substancia.
Resecatum, *id est* deliberatum.

Sculca, *id est* guardia.

Mort, *id est* homicidium.
Magister commacinus, *id est* fabricatores.

Creditor, *id est* cui (*lege* qui) prestaverit.

Anegrip, *id est* secretum mulieris.
Asto, *id est* voluntarie.

Sala, *id est* domo in curte facta.
Septimum genuculum, *id est* usque in vii generationem.
Silmundia vivere, *id est* usque in arbitrium sue potestatis vivere.
Solum edificandum, *id est* casa faciendum.
Servus massarius, *id est* servus qui ordinatus est super alios in domo senioris sui.
Sepe stantaria, *id est* sero lata.
Stipulatio, *id est* promissio. vel confirmatio.
Saltarius, *quod est* cursores qui homines comprehendunt, id est exactores qui in loco est.
Sponte, *id est* voluntarie.

In exercitu, *id est* in publica oste.

Thinga in gaida, *id est* donare in publico.
Throthingo, *id est* designavit. vel judicaverit. aut definierit.

Uncias duas, *id est* sextam pars.
Ultimum, *id est* novissimum.

Cenodochia, *id est* ubi peregrini excipiuntur.

Resecare, *id est* funditus tollere.

Zabas, *id est* fabulas.

Casui, *id est* a cadendo.

Sepe, *id est* cotidie et semper.
Siliquas, *id est* vicesima pars solidi, ab arbore cujus semen est vocabulum tenens. (*Ex Isidori Orig. XVI, xxiiii.*)

Roborem, *id est* sorbum.

Jure, *id est* legem.

EXPLICIT CLOSA.

APPENDIX VIIII.

GLOSSARIUM

MATRITENSE.

ITEM PAUCA DE GLOSA.

Decrapurci guarfi, *id est* sepultura.
Rairaib, *id est* homo mortuus in flumine.
Vecorion, *id est* orbitaria. qui mulieri via antesteterit.
Scamara, *id est* furtum.
Astalin, *id est* decipere.
Evidrigild (*lege* Widrigild), *id est* centum quinquaginta solidos appreciatus fuerit.
Inangargathungin, *id est* secundum arbitrium regis.
Evalapauz (*lege* Walapauz), *id est* violenciam quam disfigurando fecerit.
Faida, *id est* inimicitia.
Pulsai, *id est* percussio.
Ferquidum, *id est* similem.
Stolasaiz, *id est* districtus.
Fulbor, *id est* filius legitimus.
Threus, *id est* filius naturalis.
Patrui, *id est* barbani.
Mundio, *id est* dominio.
Eairethinx (*lege* Gairethinx), *id est* obligatum donum.
Gisil, *id est* qui donum recipit.
Lidinlaib, *id est* quod in die obitus sui reliquerit.
Fara, *id est* rebus.
Meta, *id est* obligatio in die nuptiarum.
Masca, *id est* striga.
Camphio, *id est* pugna.
Messio, *id est* arre.
Silmundia, *id est* vivendi in sua potestate.
Anagrip, *id est* manu agrippare carnem.
Fulfread, *id est* quarta manu.
Evidribora (*lege* Widribora), *id est* per quadrubium.
10 Gaida et gisileum, *id est* ferrum et astula sagitte.
Andecaberc et agricaberc, *id est* secundum legem Langobardorum.
Actigild, *id est* sibi nonum.
Massario, *id est* qui super est.
Amund, *id est* liber.
Teclatura, *id est* sinaida.
Eafand (*lege* Gafand), *id est* heres.
Figangin, *id est* tentus in furto.
Infraida, *id est* refugium.
20 Aistan, *id est* irato animo.
Oberos, *id est* curtis ruptura.
Iderzon, *id est* sepis.
Exegias, *id est* pertica divisa.
Plobum, *id est* jugum.
Amminicula, *id est* adjutoria de pali.
Eravice (*lege* Travice), *id est* aravicellum (*lege* travicellum) vitis.
Cagio, *id est* gualdum.
Edoniare, *id est* absolvere.
30 Sonorfair, *id est* qui alios verres in grege battet.
Stupla, *id est* restutio.
Furnaccar, *id est* campo non clauso.
Gamaalos, *id est* confabularios.

Evareganc (*lege* Wareganc), *id est* advena.
Mort, *id est* homicidium.
Evecworf (*lege* Wecworf), *id est* orbitario. qui mulieri via se anteposuerit.
Casina, *id est* casile.
Ariaraib, *id est* cum justitia.
Morioth, *id est* brachium super cubitum.
Erino (*lege* Trino), *id est* subtus cubitum.
Lagi, *id est* coxa.
Tibia, *id est* subtus genuculum.
Maragworf, *id est* qui hominem liberum de cavallo in terram jactaverit.
Stalaria, *id est* salices.
Ususfructus vocatur quia solo usu habetur ejus fructus.
Siliqua, vicesima pars solidi.
Adversa parti, *id est* contrarie parti.
Addat, *id est* adjungat.

(In hac voce *adjungat* desinit mutilus codex Matritensis).

APPENDIX X.

DE FILIIS CLERICORUM

CONSTITUTIO

SUB ROMANORUM IMPERATORUM NOMINE CONFICTA,

e folio praeposito codici Vercellensi LXXVI.

DE DIACONORUM, PRESBITERORUM, ET EPISCOPORUM SUBOLE.

Imperatores Theodosius, et Honorius, et Arcadius, et Gratianus, et Valerianus, et Valentinianus Augustus ad Aurelium praefectum Urbis Romae.
In septimo libro Gaji.

Per omnes nostrorum regnorum provincias, quae sub nostrae salutifere tuitionis regimine sive salubri imperio vivere noscuntur, quarum negotia nostris praesulibus aequo jure dirimenda commisimus, hanc eis sumo et vigilanti studio providae sollertiae praecipimus adhibere industriam, quatenus ut non sinantur diaconorum, presbiterorum et episcoporum suboles, qui post eorum consecrationem de eorum nefaria et scelerosa commixtione nati probantur, ad ullius dignitatis apicem ascendere. Sed omnium nostrorum praesulum ipsi cuncti dominio et potestati, ubicumque inventi fuerint, mox subicientur obnoxii. Ut in foro nostro, in quo universae nostrae reipublice negotia justo examine ventilantur, nullam habeant postea communionem degendi aut litigandi inter satrapes et magistratus et consules; quia nostrorum et eorum rethoricam cenolosi jam fedare videntur: sed mox a nostris presulibus capti aut igniferae coquinae sive latrine stercora vel cenosas sordes cloacharum civitatis et sterquilinia pontium et aquaeductuum curandi officiis atque purgandi tradantur. Si quis igitur ex nostris praesulibus ea quae superius diximus facere distulerit, honore quem a nobis accipere promeruit careat, et quinque librarum auri pondera de suo proprio nostrae camerae cogatur persolvere.

APPENDIX XI.

AD MEMORATORIUM

DE MERCEDIBUS MAGISTRUM COMACINORUM

ADNOTATIONES CAROLI PROMIS

ad calcem Edicti Liutprandi Regis

§ CLVII-CLXIIII.

Cap. I.

De mercede magistri commacinorum.

CLVII. *Id est si sala fecerit, reputet tegulas in solido uno numero sexcenti; si in solario, tegulas quadringenti in solidum unum vestitum: quia quindecim tegulas viginti pedes lebant.*

Quid *sala* sit, satis explicant Rotharis § CXXXIII, CXXXVI, stabulum nimirum et pastorum mansio. *Salae* vero humi tunc temporis habitae, et in eis accensus ignis, indeque ab amplitudine translatum nomen ad oecos magnos nostrarum aedium, in quibus caminus medio iam pavimento locatus, postea et nunc parieti adiectus cum fumariolo: unde, frequentissima in medii aevi monumentis salarum mentio, non illarum priorum Langobardicae aetatis, sed posteriorum saeculorum, quaeque prius humi extructae, postea ad primam contignationem ascenderunt: *caminatas* praetereo hoc loco, de quibus agunt etiam leges nostrae § CLXI, qua voce post VIII saeculum significati fuerunt caminus ipse et cella in qua caminus esset; fuit et *sala caminata*, de qua vide anonymum poëtam Modoëtiensem saeculi XIII (apud Frisi *Memorie di Monza* III. 235). Solarium vero superiorem esse contignationem, abunde notum est: Romanis antiquitus in usum fuisse probat illud Plauti (Miles Glor. v. 340), necnon Svetonii, aliorumque verba: homines vero medii aevi solarium dixerunt aedem quamlibet una et altera contignatione instructam, unde gentibus inditum nomen, praecipue apud nos: nominis vero et rei usus et mos extant apud Sardos, qui in solariis horrea sua habent, humi morante familia. Consuluit vero lex laboris et impensarum incremento vel evehendis tegulis usque ad secundam contignationem, vel ipsarum confringendarum auctae occasioni.

Quia quindecim tegulas viginti pedes lebant.

Quia xv tegulae cooperiunt spatium xx pedum quadratorum: una scilicet tegula refert superficiem pedis cum triente, quae tegularum ratio eadem est ac illa antiqua Romanorum, hodierno quoque tempore Romae et Florentiae habita. Verbo *lebare* carent glossarii, attamen illius sensus minime obscurus verbi *velle* locum obtinet: *quodlebit damnum* legimus in lege Rotharis § CXLV, ubi *quodlibet* seu *quodvis* intelligendum est, unde *lebare* seu *lebere* pro *libere* vel *lubere*.

Maior vero agitatur disputatio de quo pede agant leges Langobardicae. Percelebris pes ille qui in Italia pluribus abhinc

saeculis usum obtinet, quique a Liutprando rege nomen accepit, et memoratur ab anno saltem 915 *(Docum. per la Storia di Lucca V.* 3. 83): de eo disseruerunt viri docti, inter quos eminet Dominicus Maria Mannus libro cui titulus *Del Piede Liprando* etc. (inter opusc. Calog. X. 125), ficto nomine Tubalchi Panichii: nuperrime etiam Petrus Rocca typis Genuae mandavit libellum de ipsius origine *(Investigazioni sulla vera origine del Piede Liprando* 1842. 8°), in quo Manni observationibus et argumentis nova monumenta adiecit ex chartis et diplomatibus recentius vulgatis deducta, novamque spopondit dissertationem: ab utroque multa quidem allata scriptorum verba, monumentaque exposita fuerunt ad rem declarandam, nodus vero insolutus remansit, nulla enim ab ipsis producta comparatio pedis Liutprandi regis cum alia nota mensura. Utrum ex hisce disquisitionibus lux aliqua emerserit, videant viri eruditi, mihi enim densissimae illae tenebrae minime rarefactae videntur.

Adsunt et Pauli Diaconi verba, quae Manno et Roccae ignota extitisse admodum miror: ego hic exponam; ut omnimodis argumentis non careat quaestio, non quia ex illis veritas per se ipsam luculenter innotescat. Sunt haec (De gestis Langob. lib. I. 5). « Denique in Italia, sicut et antiqui » scripserunt, circa diem Natalis Domini, novem pedes in » umbra staturae humanae hora sexta metiuntur. Ego au» tem in Gallia Belgica, in loco qui Tonis-Villa dicitur, » constitutus, status mei umbram metiens, decem et novem » et semis pedes inveni. » Primus in loco Diaconi inlustrando se protulit Iosephus de Rinaldis scripta dissertatiuncula, oblatis schematibus (Op. Calog. vol. XLV), de Pauli duplici assertione, altera alteram ad nihilum reducente, silentium servavit. Sunt etenim in Pauli verbis duo contrariae affirmationes seque invicem delentes; si etenim, umbrae longitudinem pedum IX (quae est in Italia) Romae, commoditatis causa, collocemus, tunc nobis die solstitii hiemalis, erit hominis seu gnomonis altitudo pedum tantum IV $^{127}/_{1000}$, serbato romano pede antiquo, qui Pauli experimento facto in Gallia Belgica oppido Tonis-Villa *(Thionville?)* mire convenit; huius oppidi enim, cum altitudo poli sit graduum $49^{\circ}\ 26$, data proiectione umbrae praedicta die, ammissaque hypothesi auctorem usum esse eodem pede, habebimus hominis stantis altitudinem romanorum pedum VI efficientium metricae, uti vocant, mensurae 1,77: statura praecipua quidem, non autem immanis, nam Langobardos homines corpora alta et valida habuisse, uti Germani omnes, satis compertum est. Itaque, si Paulo fides danda, tum cum de experimento loquitur a se ipso instituto, vulgaris vero Italorum traditio reiicienda sit, tunc nobis compertum erit Caroli Magni aevo veterem Romanorum pedem adhuc in usum fuisse. Animadvertendum item est, barbaras gentes omnium disciplinarum rudes vel potius ignaras, mensuras a Romanis necessario obtinuisse; mirandum tamen non esse, si in tanta rerum scientiarumque iactura artifices quoque aliquid a vera antiqua mensura recesserint, et pes ille vetus corruptionem vel minimam sit passus.

Cuius argumenti maxima probabilitate ductus, romani pedis notitiam et usum apud Italos tunc temporis fuisse, publicamque seu legis seu consuetudinis sanctionem habuisse, fidenter affirmabo, atque ad meam roborandam sententiam nova adiiciam documenta.

Sexdecim digitis constabat pes ille, ex quibus duodecim (sive tres ex quatuor partibus) romanum palmum hodiernum effecerunt; florentinum, uti vocant, brachium duos ex hisce pedibus numerat; romanus pes duodecim digitis auctus (sive pes vetus addito hodierno palmo) pedemontanum pedem genuit; pes bononiensis veteri pedi ferme aequatur addito quadrante; quae rationes, non quidem ad unguem exactae, parum tamen re ipsa absunt. Si vero hodierni hi pedes (reliquos enim omitto minus accuratas rationes habentes) ab antiqui partibus seu digitis originem duxerunt, haud dubium homines septimi octavique saeculi romanam mensuram satis exacte cognovisse eaque usos fuisse, si illa usque ad nos vix mensurabili discrimine mutata levissimeque corrupta pertransivit. Quod factum, hucusque pene inobservatum, gaudeo viris antiquitatum studiosis, architectis praesertim, subiicere, argumentum deducens, non inepte reor, ad probandum romanum pedem maximum in usum fuisse apud Langobardos et procul dubio in rebus aedificatoriis ceterarum omnium mensurarum multo amplius notum, itemque me a sensibili errore abesse dicentem pedem Liutprandi regis unum eumdemque esse cum vetere pede romano et de hoc ipso loqui leges nostras. Adiiciam, artifices caementarios seu marmorarios illius aevi non Langobardos fuisse, sed Italos omnes, imo ab oris Larii lacus per Italiam effusos, nihil commune cum barbaris habuisse rerum architectonicarum plane ignaris: nostrae etiam aetatis operarios videmus veterum mensurarum tenacissimos et illarum praesertim quarum domi primam hauserunt notitiam. Constat etiam, vertente V saeculo, unum romanum pedem praevaluisse: sicuti vero ab illa aetate nulla hisce in rebus invecta fuit mutatio (excepta quadam inevitabili corruptione), liquet pedem illum VII et VIII saeculo usum procul dubio obtinuisse, praecipue apud Italos qui omnia ad aedificationem pertinentia ad illius pedis rationem ab antiquo aptaverant. Nova argumenta videbis etiam, lector, in adnot. ad harum legum § CLVIII. CLXIIII.

II. *Item de muro.*

CLVIII. *Si vero murum fecerit qui usque ad pedem unum sit grossum, duppliceníur mercedes, et usque ad quinque pedes subquinetur.* Haud obscurum mihi videtur, modulum crassitudinis muralis esse pro semipedis mensura: nostris etiam temporibus modulus iste est pars aliquota alicuius probatae mensurae. Cum ita se res habeat, pro uno pede duplicatum stipendium artificum, quod eadem ratione, qua et muri crassitudo, augebatur: muri crassi ultra pedes V infrequentissimi tunc temporis, ideoque ad eos non respiciebat lex.

Et de ipso muro vadant per solidum unum pedes ducenti viginti quinque. Numerum CCXXV praetuli numero CCXV, et quod per extensum scriptum, ubi imminuta errandi facilitas, et quod multiplicatum exhibeat perfectiorem, uti in legibus desideratur cuiuscumque loci et temporis. Hosce quoque CCXXV pedes pro superficialibus habendos puto; iique, uti superius monui, per semipedem multiplicati praebent pedes cubicos CXII sem. Indeque pretia horum operum et infradictorum ad aequiorem rationem ducta.

Si vero macinam mutaverit. – *Macina* seu *machina* nomen est lignei aedificii artificum caementariorum, quod vulgo *ponte da muratore* appellamus. De hisce machinis, seu pegmatibus, perspicue Isidorus (Orig. XIX. 8). « Machiones » dicti a machinis quibus insistunt propter altitudinem pa- » rietum ». Unde apud Gallos, murorum structores vocati *maçons*. Adsunt et glossae Cavenses, ubi legitur *macina id est pontonem*.

Det pedes centum octoginta in solidum unum, usque ad pedes quinque sursum. Scilicet quod v pedum altitudo numeranda sit ab ima machinae tabulatione ad summum opus. Quibus verbis inest etiam novum argumentum ad demonstrandam veram Langobardici pedis longitudinem, eamque a vetere Romano minime abesse: caementariorum enim mos est operam ducere stantes in machina, sitque pes iste aequalis Romano pedi, habebimus altitudinem metr. 1,475, ultra quam perdifficile foret cuivis structori stanti in pegmate, brachia manusque sublevare, opusque conficere commode prospicientibus oculis: oportet enim ut humeri altitudo ab operis struendi proceritate non sit superata.

In longitudinem vero numerum ter quinos per tremisse. Obscurus plane locus, ad quem declarandum praemittenda est hypothesis longitudinem muri hic esse pro longitudine interiori seu crassitudine: data hypothesi, habemus rem ipsam superius a legislatore productam *duplicentur mercedes etc.*: voci itaque *terquinos* respondet superius vocabulum *subquinetur*. Forsitan etiam intelligendum est, ut caementariis in machina stantibus solvatur tremisses pro omni augmento crassitudinis muralis de tribus in tribus ex quinque partibus pedis. Haec autem pro divinatione habeantur.

Similiter et si murum dealbaverit, sexcenti pedes vadant per solidum unum. Hoc in loco, vox *dealbare* collectivum vocabulum est perfecti operis tectorii.

Et si cum axes clauserit et opera gallica fecerit, mille quingenti pedes in solidum vestitum vadant. Opera gallica, seu opus gallicum, nova sane vox et glossatoribus ignota, videtur mihi fuisse illa aetate denominatio tabulatorum sive parietum ex asseribus aedes sepientium vel cellas dividentium, illo enim tempore plurimae struebantur ligneae aedes, uti apud Gallos (et hodie quoque generatim extra Italiam) mos adhuc viget, qui extructis in oppidis muris exterioribus ex lateribus vel saxis, intus dividunt per tabulata, in pagis vero et rure saepissime omnia lignea sunt. Nec carent codd. ferentes *et opera cum alliga fecerit*, ubi nulla vocum significatio. Gallico vero operi respondent opus romaniense, de quo inferius, opus saracenicum paulo post temporis vulgatum apud inferiores Italos, opus signinum iamdiu Romanis notum, necnon et alia quae nomen a gentibus vel oppidis acceperunt. Artificum vero stipendium alteri ex codicibus ferunt unius solidi pro pedibus D (de superficie semper habendum est), alteri idem obferunt pretium pro MD: hanc igitur lectionem, rationi magis consentaneam, accepimus, alteram reiicimus, quippe quae pretiorum proportioni haud aeque respondeat. Dubitavimus etiam, utrum intelligendum esset de opere formaceo (Gallis *pisé*, Italis fortasse *pigiato*, idem referente voce) de quo abunde Plinius (Hist. nat. XXXV. 48. 14. cf. etiam Palladium I. 34) iamdiu in Africa et Hispania vulgatissimum, quoque nostra etiam aetate magnopere utuntur Galli, Sardi et inter Subalpinos Italos praecipue Alexandrini rustici: hoc opus vero sollicitum sane, sed habita pretii ratione a nostra lege relati, plenum quidem laboris quodque non sine multis comparatis perficiendum est, vectibus scilicet et machinis et asseribus ad instruendas formas. Qua de causa mihi iudicium erit opus gallicum intelligendum esse non de formaceo, sed de tabulato ligneo. Conferantur etiam § CLX et adnotationes nostrae, ubi evidenter liquebit, gallicum opus ligneum fuisse, sive ex asseribus vel magnis vel parvis constasse.

Et si arcum volserit, pedes duodecim vadat in solidum unum. Incertum admodum est, geometrice loquendo, de quo pede agat lex: pedis cubici numquam mentio fit apud Langobardos, pes vero quadratus ex se ipso ineptus est ad aestimandum pretium operis fornicati: postremum tamen praeferam, adiecta hypothesi arcuum per unius lateris crassitudinem semper structorum. Nam concameratae cellae Langobardis pene ignotae, fornicumque usus fenestris et ianuis cooperiendis tantum servatus, in quibus constantes mensurae pro domestico more, constans et ipsa arcus crassitudo; data hypothesi, evanescunt difficultates. Ingentis pretii causam habes, lector, in fornicum necessariis armamentis.

Notanda vox *volserit* radicem praeferens italici verbi *voltare un arco*, qui dicendi modus frequentissimus apud scriptores saeculi XIV et sequentium, itemque optimus et praeseferens motum, ut ita dicam, parietis se volventis sursum ut semetipsum adverso coniungat. Vocabulo tam necessario caruisse Romanos incredibile puto, tamen ad nos non pervenit, et de illo tacuit ipse Vitruvius, qui in Graecorum praeceptis studens et ipsa praecipua suorum opera persaepe ignoravit. Ovidius tamen (Met. III. 159) habet *ducere arcum*.......

Nam pumice vivo
Et levibus tophis nativum duxerat arcum.

Si vero materias capellaverit majores minores, capita viginti per tremisse vadant. Materies a latino *materia*, quae vox est optimi aevi, quaque significat Ulpianus ligna ad struendum fulciendumque apta, unde hispana vox *madera*. Verbum *cappellare* saepe hisce in legibus occurrit, servata semper significatione caedendi vel evellendi (cf. Margarini *Dict. Long.* 14), ab eoque deductum italicum *scapitozzare* vel *capitozzare*, utraque radicem habentia in latino *capitulare*: hoc vero in loco perspicue significat operam caedendi tigilla maiora et minora, quorum viginti capita (*venti capi di legname*, uti et nos) solvantur altera pro alteris ad tremissem.

Armaturae vero et brachiola quinque ponantur pro uno materio. Idiotismus ab optima voce *armamentum*, quae hisce in adiunctis idem refert: sic apud Plinium (XVII. 35) legimus *vinearum armamenta* pro palis quibus fulciuntur vites. *Brachiolum* hic est pro capreolo, vulgo *saettone* vel *razzo*, legiturque apud Ducangium adducto loco Rolandini Patavini. Intelligendum vero est, in quovis armamento unum transtrum (*materies*) aequiparare pretium reliquae materiationis.

III. *De annonam.*

CLVIIII. *Tollant magistri annonam per tremisse unum segale modia tria, lardo libras decem, vino ornam unam, legumen sextaria quattuor, sale sextario uno, et in mercedes suas repotet.* Particula nulla explicatione egens.

IIII. *De opera.*

CLX. Titulus *De opera* referendus est ad omnem tecti materiationem, uti ex rebus inferius producendis liquebit: tanti enim negotii ne verbum quidem in legibus nostris, et uno hoc modo lux quaedam potest illucescere primae huius capituli particulae.

Similiter romanense si fecerit, sic repotet sicut gallica opera, mille quingentos pedes in solidos uno. Vocabulum *romanense* adiectivum est *tecti*, intelligendumque tectum romano more structum (scilicet ex tegulis planis et testaceis, pro nostratium antiqua et hodierna consuetudine) aestimandum esse ad idem pretium ac si gallico more seu ex ligneis asseribus (cf. adnot. ad § CLVII).

Et scias ubi una arcula ponitur, viginti et quinque scindulas lebant; quia tegulas mille quingenta et sex milia quingenta scindulas lebant. Gallicum opus vidimus superius idem esse ac ligneum opus seu tabulatum. Tabulatum vero tectis struendis aptum, constat ex asseribus exilibus *scindulae* vel *scandulae* dictis (accepta antiquitus a Germanis voce *schindel*), testibus Vitruvio (II. 1), Plinio (XVI. 10. 15), Palladio (I. 22) aliisque non paucis ex veteribus scriptoribus: una autem et altera vox habetur in legibus nostris, ubi Liutprandus scindulas appellat, quas Rotharis (§ CCLXXXII) scandulas. Pretium gallici operis (cf. adnot. ad § CLVIII) fuit ergo aequum sive ex parvis sive ex magnis asseribus ductum esset, habita ratione minoris impensae parvis asseribus (seu scindulis) comparandis auctaque opera in illis collocandis, tum maioris impensae, minutaeque operae pro asseribus maioribus.

Arcula vero, quid? Num legendum *arcura*, putandumque quod omnis tecti materiatio, ablatis transtris et cantheriis, fornici vel arcui imposita esset? Data etiam hypothesi, nonne absurdum quod legimus arculam istam tantum XXV scindulas requirere pro sua tecti rata parte? Tenebricosa ista Oedipo libenter mandarem, nisi reliqua esset suppositio, scilicet legendum esse *tegulam* pro arcula, evidenter enim haec quae habetur comparatio pretii et superficiei spectat ad modum tegendarum aedium, sive ad tegulas et scindulas. Tegulis MDVI, ait codex Cavensis, respondent scindulae VIMD: scindulae enim multo minores quam Romanorum tegulae: hac autem ratione habetur unius tegulae superficies aequalis superficiei scindularum quatuor cum triente, notum enim est scindulas tenues esse et parum latas, regulae speciem potiusquam asseris referentes. Si vero inconcussa remanet ratio ista, quid dicendum de anteriori, iuxta quam XXV scindulae aequantur tegulae unae? at istius superficies a § CLVII nobis nota, utpote aequalis pedi cum triente. Quis ergo tam discrepantia componat? ex duobus locis qui reiiciendus? anne uterque corruptus? Ponamus, legendum esse *quia tegulas mille quinquaginta et sex, milia quingenta scindulas lebant* (ubi forent circiter scindulae tres pro duabus tegulis), lectionem habebimus consentaneam codici Cavensi; attamen procul dubio corruptissimam, fert enim tegulam unius et eiusdem superficiei ac scindula una et sem., ubi earum ratio :: 1 : 1 $\frac{1}{2}$; quod omnino reiiciendum est. Iteratae illae notae *mille quingenta* maximum involvunt errorem, auctum etiam a duobus codicibus Guelpherbytanis, quorum alter habet XV, alter XXX tegulas. Meum itaque iudicium erit scindularum numeralem notam *quingenta* irrupisse pro *quatuorcenta*, legendumque *quia tegulae* ILLAE *quinquaginta et sex, millia* QUATUORCENTA *scindulas lebant:* est enim quantitas 1400 producta a quantitate 56 multiplicata per 25 quae est numerus scindularum uni tegulae respondentium in superficie. Propositam correctionem argumentis fulciendam non esse, ratio ipsa probat, et amanuensium ignorantia, et facilitas qua numerus *IV centa*, sublata vel omissa prima nota, in *V centa* vertitur, et necessitas servandae rationis :: I : XXV.

Et si massas fundederit, sexcenti pedes in solidum unum. Anteponenda plurium codicum lectio *massa* pro *maxa;* alteri etiam codices habent *funderit*, alteri *fundederit* vel *int*, a verbo *fundere;* est enim hisce in legibus ratio illius structurae quae apud Graecos et Romanos τὸ emplecton nomen obtinuit, quaeque in cava terra caementitie fundebatur atque confertim, dum omnimodae aliae structurae fiebant ad normam et libellam. Optimi aevi scriptores vocem *massa* saepe sumunt pro acervo, frequenter etiam occurrit in libris inferioris aevi, et nos etiam vulgo dicimus *murare a sacco*, *murare a masso:* ad rem Plinius, praeclaro loco lib. XXXVI. 68, ubi de marmore numidico loquitur, quod adhibebant Romani « non in columnis tamen crustisve, « sed in massa ac vilissimo liminum usu » adde cap. 7. 39. lib. XXXI; necnon et inscriptionem N.° 220 ap. Fabretti « .... tumulum infra monimentum, super sarcophaga » earum massa aedificavit usque ad cumulum ». Ad probandum autem legem istam ad fundamenta spectare, unum tantum animadvertam, nempe quum leges ipsae omnibus aedium partibus consuluerint, huic uni usque adeo neque postea respexissent. Aequum et pretium laudo, perspecta facilitate huiuscemodi structurae.

V. *De caminata.*

CLXI. *Si magistros caminatam fecerit, tollat per una tremissem unum.* – *Caminata* idem quod caminus; de utraque re abunde disserui in adnotationibus ad Fr. Georgii Martini Architecturam lib. II. 3, ubi caminatarum historiam habui ab ipso IX saeculo incipiente, nixus auctoritate Anastasii bibliothecarii necnon et codicis diplomatici S. Ambrosii: antiquissimus ergo earum usus novissimo argumento probatur caeterisque praestantius eo quod antiquius, nullus enim VIII saeculi scriptor, nullum documentum de caminatis mentionem habent. Cf. etiam adnotationes ad § CLVII.

Et si habitarii cancellas fecerit, per solidos uno vadat pedes duodecim. Alteri codices *habitarii* habent, ubi fortasse legendum *habituri:* praferenda tamen optima amborum codd. Guelpherbytanorum lectio *abietarii*. Quid *can-*

cellae sint, omnibus notum, quippe quae unum idemque cum Romanorum cancellis, quorum mentio apud veteres auctores frequentissima, quaeque si metallica clathrorum nomen sumebant, si marmorea plutei praesertim appellata, si vero lignea veteres maluerunt appellare cancella (Varro. R. Rust. III. 5): en ergo argumentum quo ductus vocem *abietarii* praetuli, patet enim temporum infelicitati atque inopiae optime respondere cancella abiegnea: en etiam huiusce vocabuli novum testimonium hucusque uno tantum Pauli loco comprobati. Consuetudo ista non defuit apud nos, videmus enim in pedemontana provincia, praesertim in pagis ad alpium radices, rusticas aedes fenestras habentes abiegneis cancellis, cratis instar, instructas, regulis ita dispositis ut earum compactiones quincuncem referant. Cancellorum vel pluteorum fragmenta plurima Romae adhuc visuntur, constantque maxima ex parte, transversis regulis marmoreis, nec alia desunt per circuli partes ducta, addito ornamentorum lenocinio: de illis disseruerunt et schemata exhibuerunt Winkelmann, Piranesi, Uggeri, Canina aliique romanarum antiquitatum expositores: si de antiquis cancellis agatur, hodierni architecti sub plutei vocabulo ea denotant. Lignea cancella marmoreorum speciem et distributionem necessario praeferunt, utpote quae a ligno ad marmor sunt conversa, immutata specie.

Si vero peumas fecerit, quantos pedes habent tantas siliquas lebant. Peuma mihi idem est quod pegma (a graeco πῆγμα) lignea machina multis declarata veterum scriptorum locis apud Forcellinium et Ducangium: generico gaudet sensu vox ista, sicuti apud Italos respondentia vocabula *palco*, *impalcatura*, sive tabulatio, quaeque et structorum machinas significant, et ligneum podium quodlibet, et aedium contignationes tabulatas, vulgo solaria. De solario vero mentio quidem habita § CLVII, animadvertendum tamen vocem istam inferiori aetate duplicem habuisse significationem, quarum altera indicabantur aedium superiores contignationes (*i piani*, quarum una tantum, solito more, erat), altera vero ipsum contignationis opus, unde Italis *solaio:* de qua postrema significatione nihil adhuc referebant leges nostrae. Glossae Cavenses (v. Append. VIII) habent *pleuma id est palu de lugo*, quae verba operi tignario perspicue respondent, ideoque contignationibus ipsis.

Et si carolas fecerit cum gisso, det per tremisse carolas quattuor: annonas ei non repotetur. Carola et ipsa septorum sive cancellorum altera species est, de qua vide Ducangium et Carpentier. Ad mentem legis fiebant ergo carolae distinctis frustis *(det per tremissem carolas quatuor)*, quae postea exactis partibus uno opere iungebantur, uti et nunc. Vidi ego in basilica S. Petri Albae Fucensis in Aequis carolas ab Oderisio Abate extructas ad aram maximam (ann. 1087—1115. de viris ill. Cassinensibus) pluribus aequisque frustis constantia ex saxo calcare gypso olim inducta. Credendum est artifices nostros etiam carolas finxisse ex argilla, easque gypso induxisse, opus enim testaceum numquam in superiori Italia defuit.

VI. *De furnum.*

CLXII. *Si vero furnum in pensele cum caccabos fecerit, etc.* Alii codices *pensele* habent, alii *pisile*, alii *impensile:* est autem *pisile* arca vestiaria (Ducange in *pisalis*), quae vox cito et ex ipsa rei natura significavit cellam ipsam ubi arca sita, quae apud Langobardos nec ampla nec sumptuosa esse poterat. Furnus vero in cella vestiaria collocandus erit? anne praeferenda lectio *pensele* vel *impensile*, quae furnum pensilem praebebit, hoc est a solo elatum? Haec mihi magis arrident, putoque furnum impositum fuisse structurae caementitiae ternis aut quaternis postibus lapideis roboratae, ita ut furni area strata a cellae pavimento III vel IV pedibus supereminerel.

Et postes tres aut quattuor habuerit. Postes vero proprie sunt saxa satis longa et ad perpendiculum exacta, ex quibus fiunt ostiorum antepagmenta. Postes in furno, vel (ut superius dixi) collocandi sunt instar podii vel stereobatis, vel per circuitionem disponendi ita ut ab illis utraque ostioli latera necnon et posterior structura firmentur: ita conceptum schema exhibui.


Et cum pineam suam levaverit caccabos etc. Pinea fastigium est; Galli *pignon* vocant tectorum culmen; sic Latini *pinnaculum*, nostrates *pinnacolo* culmen cuiusvis aedificii, habita radice a notissima celtica voce *penn* seu *pinn.*

..... caccabos ducenti quinquaginta, ita ut pinea ipsa habeat caccabos viginti quinque, exinde tollat tremissem unum; et si quingentos caccabos habuerit, habeat duos tremisses; et si mille fuerint caccabi, tollat exinde mercedes tremisses quattuor. Cacabus, vel caccabus (a graeco κακκάβη, sumptis radicibus ab *uri* vel *coqui* et *cibis*) proprie fuit vas culinare: una tantum voce adhibita, habetur pro vase fictili, si ex alia materia fuerit, tunc sequi debet adiectivum *aeneus* etc.

De vasorum usu in aedificiis disputaverunt architecti postremi nostrique aevi, disseram et ego arrepta occasione, multaque emendabo. Fornices vasis referti plurimi adsunt, qui labente romana re constructi fuerunt: in illis idcirco praesertim notata fuerunt, uti ad Romuli circum a Maxentio excitatum, et ad Ianum quadrifrontem: Romae pariter visenda ad rotundam S. Stephani, itemque Ravennae ad sancti Vitalis, quae sacrae aedes V et VI saeculo erectae sunt; in hisce vero sunt tubuli cylindrici vel amphorulae, ad circum sunt ollae et cadi, ad Ianum caccabi. Duplex tamen architectorum error, quorum alter in eo est quod affirmaverint Romanos non nisi post Caracallam vasa adhibuisse (fallacissima sententia innixi circum praedictum huius Augusti opus esse, cum posteriores investigationes, detecta inscriptione, verum restituerint auctorem), ego vero vasa vidi, imo amphoras ansatas, in aedificii cuiusdam substructionibus ex emplecton, quas me ipso intuente, Augustae Praetoriae in lucem prodierunt anno MDCCCXXXIX, cuius oppidi nullum saxum habetur quod Octaviani Augusti aetatem non referat, ipse enim unus coloniam duxit, templa, aedes, muros dedit, nullaque structura est, nulla inscriptio quae posteriores Caesares memoret vel ipsis referatur. En ergo vasorum usus a Romanis acceptus Augusto imperante. Nunc de eorum officio dicam, ubi alius vulgatus error; nostri enim scriptores habent, nonnisi in tholis et fornicibus vasa adhibita fuisse: adferam ego memoratas amphoras Augustae Praetoriae extantes in substructionibus, adferam quae visuntur (quamquam eruditis ignota) Romae ad portam Tiburtinam, itemque prope Nymphaeum, uti vocant, Egeriae, ubi parietes prostant amphoris ollisque refertae.

Veteres itaque, optimique aevi architecti vasa in opere fornicato aeque et in muris adhibuerunt, tunc inditum nomen lex nostra omnium prima aperit, caccabum scilicet: nominis autem causa in eo est quod structores VIII saeculi parvis vasis, scilicet caccabis, usi essent, deficientibus maioribus: quam vocem inferiori illo aevo habitam fuisse, probat et vetus romana basilica S. Mariae in Caccabariis dictae a turba caccabariorum artificum iuxta illam morantibus, probat et vocabulum *caccabatus* seu denigratus fuligine, quod in S. Paulini Nolani epist. 32 legitur, probant scriptores ibi allati ad notam 148, necnon apud Ducangium.


Vasorum vero, seu caccaborum magnitudo varia, uti schema refert, ideoque lex distinguit ubi plura vel pauca adhibenda sint.



Specimen vasorum fictilium quae in veterum structuris adhuc spectantur.
Exacta mensura ad vicesimam rei ipsius.


1. *Caccabus. Romae ad Ianum quadrifrontem.*
2. *Tubulus. Romae ad rotundam S. Stephani.*
3. *Amphorula ansata. Ravennae ad rotundam S. Vitalis.*
4. *Amphora sine ansis.* } *Romae ad circum Maxentii.*
5. *Ollae.*
6. *Cadus.*

xxv caccaborum dispositio in tholo furni, egregie habetur, probante schemate, quod duplex adieci.



Dispositio XXV caccaborum in pinea furni.

Ubi vero de D et de M etiam caccabis loquitur lex, intelligendum est de parvis vasis, fortasse etiam de furno bene ingenti. Utrisque dispositionibus demonstrandis exemplaria praebui.



Furni (CCL, vel M usque caccabis referti, cum postibus IV) ichnographia et orthographia interior.

Hac autem structura eo veniebant artifices, ut parvo pondere paucaque adhibita materia muri efficierentur conspicuae crassitudinis, quod in opere praesertim arcuato maxime desiderandum. Aderat et ipsorum vasorum tenue pretium; inferiore enim aevo, illis tantum plerumque utebantur artifices, quae rebus domesticis inepta viderentur, vel corrupta specie, vel male habita coctione; illis scilicet quae deformia et fragilia haberentur. Quocumque autem modo res sit, maximam lucem affert lex ista veterum structuris clarius intelligendis.

VII. *De puteum.*

CLXIII. *Si quis puteum fecerit ad pedes centum, tollat exinde solidos* XX; *annonas ei non repotetur. Puteus autem de pedes* XXXV, *solidos quattuor; puteus vero de pedes viginti sex, solidos tres; puteus autem de pedes duodecim, solidum unum: annonas ei non repotetur.* Particula ista nulla eget explicatione. Pedes 100, 35, 26, 12 profunditatis puteorum, quaerunt respondentia itemque decrescentia pretia. Unum notandum, allatas mensuras (minimis sublatis differentiis) rationem habere inter se :: $1 : \frac{1}{3} : \frac{1}{4} : \frac{1}{8}$, ita ut modulus altitudinis puteorum habendus sit pedum circiter $12\frac{1}{2}$, qui, si romano pedi aequales, vertuntur in metr. 3,717. Qui vero, illa aetate, mos fuerit hauriendi aquam (tollenone scilicet furcae imposito) habes in Liutprandi lege VII addita § CXXXVI. De puteis in centenos usque pedes actis loquitur Plinius (XVII. 4): animadvertendum item est illorum latitudinem non ad VIII pedes aestimandam esse (Pallad. IX. 9),

sed tantum ad III vel III et sem., uti Hypponii detecti fuerunt paucis ab hinc annis.

VIII. *De marmorarios.*

CLXIIII. *Si quis axes marmoreas fecerit, det per solido uno pedes XXV.* Axes, sive asseres, marmorei *(tavole, lastroni di marmo)* respondent veterum crustis: pretium unius solidi habeatur pro pedibus quadratis XXV, huic enim operi pro nihilo est crassitudo qualiscumque sit, superficiei enim explanandae et expoliendae tantum confert artifex. Habita reliquorum operum ratione reieci lectionem *XV pedum*, decemque alios pedes adieci ad optimorum codicum fidem.

Et si columnas fecerit de pedes quaternos aut quinos, det per tremisse columnas quattuor: annonas ei non repotetur. In primis monendum est illa aetate columnas fieri tenuissimas, parvaeque altitudinis: omnia porticibus columnatis circumdata sunt cavaedia in coenobiis monachorum S. Benedicti ab ipso IX et VIII saeculo, quorum multa visenda adhuc extant Romae, Panormi, Arelate, Sublaquei alibique, ubi columellae sunt quae saepius metri gallici altitudinem non attingunt, imo fere semper depressiores sunt, diametro inter sextam et nonam altitudinis partem; raro vero dictam mensuram excedunt, uti Arelate. Ex quibus mensuris novum adest argumentum ad probandum romano pede usos tunc fuisse quadratarios et lapicidas, quia columnae quaternorum vel quinorum pedum respondent metr. gallicis 1,170 vel 1,475, quae altitudo inter maximas, pro aetatis consuetudine, erat, et ab omni alia mensura in maiorem etiam longitudinem duceremur. Habita pretii ratione, pro more praefero codicum lectionem, annonam artifici reputandam non esse.

NOTAE CRITICAE

ET

VARIAE LECTIONES.

33

EDICTUM

ROTHARIS

REGIS.

CHRONICON.

E codicibus Edicti hoc CHRONICON soli exhibent Cav. et Ma.; sed adest praeterea in codice Cathedralis Mutinensis, saeculi VIIII (Mutin.), Leges Langobardicas in LX titulos distinctas exhibente. Hi tres codices commune additamentum Chronico adnectunt, usque ad Bertharim regem. Priora Chronici verba leguntur item in codice Parisiensis Bibliothecae 6161, iisque subnexa est epitome Historiae Langobardorum Pauli Diaconi: cum scilicet qui codicem scripsit in breve hoc Chronicon incidisset, atque describere coepisset, maluit postea uberiorem Pauli narrationem redigere in compendium, idque Chronico Rotharis regis longe prolixius. In subsidium adhibuimus etiam Chronicon e codice Gothano (Goth.) a Rittero evulgatum, atque e nostro ex parte desumptum; de quo cf. praefatio nostra. Capitum divisionem commodioris usus gratia ipsi adposuimus. Errat autem V. C. Johannes Merkel (*Archivio Storico di Firenze*, *Appendice*, *Vol. III.*, *pag. 694*), tradens extare hoc Chronicon etiam in cod. Guelpherbytano.

Cap. I.

5, 8 *IN—CHRISTI*) Ita Cav.; Ma. omittit *nostri Jeisu Christi*; Par. 6161 pro *Domini* habet *Dei et Salvatoris*, et *Jehsu* pro *Jeisu*. In Mutin. haec desunt. In codice Gothano initium Chronici usque ad cap. IIII verbosius est et aliunde desumptum, idque retulimus in Appendice I. — Ex hoc primo Chronici nostri capite depromta sunt quae Paulus Diaconus habet lib. I, cap. II et III; capita I, IIII, V, VI aliunde hausta, nec ad historiam Langobardicam pertinent.

—, 14 *Incipit origo*) Haec, superiora, et quae sequuntur usque ad *habitant* in Cav. minio scripta sunt. Ceterum Cav. *horigo*. De Mutin. vide quae mox notamus.

nostre) Deest in Ma. et Par. 6161.

que egressa est ab insula que) Ita Par. 6161. Pro his Cav. *id est consuli qui*; Ma. *id est sub consule qui*. In Mutin., superioribus omnibus omissis, Chronicon incipit *Erat quaedam insula quae*. Jam recte TROYA, in margine apographi codicis Cavensis, adnotaverat legendum *insulae*. Paulus Diaconus lib. I, cap. II: « *ab* INSULA *quae Scandinavia dicitur*, « *cujus etiam* INSULAE ..... *Haec ergo* INSULA. »

—, 15 *dicitur Scandanan*) Ita Cav. et Ma.; *dicitur Scàdan* Mutin.; *Scandinavia dicitur* Par. 6161, et subsequitur Pauli Diaconi epitome: *Refert Paulus, qui gesta Longobardorum plenissime scripsit, quod haec insula non tam in mari posita*, etc.

—, 16 *in partibus*) Cav. *in partis*; Mutin. *ex india* (sic!) *in partibus*.

multae gentes) Cav. *multa geus*.

—, 17 *habitant*) Mutin. *inhabitant*. Mox pro *quibus* Ma. *quos*; Mutin. *quas*.

Winnilis) *Winnolis* Cav.; *Guinnilis* Ma.: scilicet codd. Cav. et Ma., pro more temporis quo scripti sunt, saepe, nec tamen semper, habent *v* aut *gu* pro *uu* seu *w*; genuinam scripturam ubique reposuimus. In Mutin. vox semper exhibetur per unam *n*. In media voce Cav. semper habet *o* pro *i*. Finalem autem in *is* hac in voce constanter servat Cav.; Ma. saepius *es*; Mutin. variat: hoc loco *Winili*.

5, 19 *habebatque*) Mutin. *quae habebat*. Pro *nomen* Cav. *nomina*.

—, 20 *Ajo*) *Agio* Cav., et mox *Agyo*; Mutin. bis *Agro*, semel *Agio*.

Ipsi) Mutin. *et ipsi*.

—, 21 *tenebat*) Mutin. *tenebant*.

Winnilis) Post hanc vocem procul dubio aliqua exciderunt, quae orationis series exposcit, et unde desumtum est in Paulo Diacono initium capitis VI lib. I. Nec mirum haec deesse in omnibus quibus utimur tribus codicibus, cum hi ab uno exemplari derivati sint, scripto temporibus Bertharis regis, ut notabimus infra ad cap. XII.

II.

Hinc depromsit Paulus libri I cap. VII, VIII, VIIII, et initium cap. X; narratiunculam tamen de Frea rejiciens inter fabellas christiano homine indignas. Mira in Chronico nostro narrationis venusta simplicitas, et, fere dixerim, elegantia.

—, 22 *se ergo*) Mutin. *ergo se*.

—, 23 *Ambri*) Mutin. *Imbrium*.

Assi) Cav. *Tassit*, et infra *Taffit*; ut nos Ma., Mutin., et Paul. Diac.

exercitibus suis) Ma. *exercita sua*; Mutin. *exercitu suo*.

—, 24 *Winnilis*) Mutin. *Winilos*. Mox Ma. omittit *nobis*.

—, 26 *Ybor*) Cav. *Yber*, sed supra *Ybor*; Paul. Diac. *Ibor*.

Gambara, dicentes) Deest in Ma. Post *Gambara* Mutin. supra lineam addit *nomine*.

—, 27 *preparare*) Cav. *prepararet*; Ma. *parare*.

—, 28 *Wandalis*) Mutin. *Wandali*. Mox Cav. *persolveret*.

Ambri) Cav. *Multi*, sed supra recte *Ambri*; Mutin. *Imbri*.

—, 29 *hoc est*) Deest in Mutin.

rogaverunt) Ma. *rogaverant*. Plusquamperfectum pro perfecto in hoc Chronico saepius habet hic codex; quod semel monuisse sufficiet.

Godan) Mutin. constanter *Godam*.

—, 30 *victoriam*) Post hanc vocem periit folium, seu paginae duae, in cod. Cav.; sequens incipit *erunt. Et occidit*, cap. IIII.

—, 31 *dicens*) Mutin. *et dixit*. Mox Mutin. *sole*.

—, 32 *Eodem*) Ma. *eo*. Mox Mutin. omittit *duobus*.

6, 4 *id est*) Deest in Mutin. Idem mox *Agro*.

principes erant) Mutin. *erant principes*.

—, 5 *Winnilis*) Mutin. *Winili*, et mox *ut Winili*, omisso *ad*.

—, 7 *cum sol surgeret*) Ma. *sol surgente venirent*.

Winnilis—faciem) Ita Ma.; *Winili cum uxoribus suis solutis crinibus circa facies suas* Mutin.

—, 9 *cum viros suos*) Ma. *et cum viris suis*. In Mutin. verba *cum viros suos* supra lineam adjecta sunt a secunda manu.

lucescente caelo dum sol) Ma. *luciscente sol dum*.

—, 10 *gyravit*) Ma. *giravit*. Idem mox *lectum*.

—, 11 *faciem ejus*) Mutin. *faciem ei*.

—, 12 *Et ille*) Mutin. *At ille*.

6, 13 *Winnilis*) Mutin. *Winilos*. Pro *eorum* Ma. *ipsorum*.
habentes — faciem) Mutin. *crinibus solutis circa facies suas*.

—, 14 *in modum barbae*) Deest in Ma.
et dixit) Ita Mutin., et Paulus Diaconus; pro his lacuna est in apographo quo utor codicis Matritensis.

—, 15 *isti Langobardi*) Ita Paulus Diaconus; Ma. *isti Longibarbae*, quod e glossa profectum; Mutin. *isti Longobardi*, quod recentiorem codicem ostendit.
Et dixit) Mutin. omittit *Et*.

—, 16 *Domine*) Deest in Ma. Tum pro *sicut* Mutin. *postquam*.
illis) Mutin. *eis*, et omittit *Et dedit eis victoriam*, *ut*.

—, 17 *ubi visum esset vindicarent se*) Mutin. *ubi illorum est vindicare*.

—, 19 *Winnilis Langobardi vocati sunt*) Mutin. *Winili facti sunt Langobardi*.

III.

In Paulo Diacono, capp. x, xi, xii, xiii, aliqua sequuntur incertae originis de itinere Langobardorum per Mauringam, et de rebus gestis cum *Assipittis*. Tum, capp. xiii et xiiii, nonnulla e Chronico nostro (*Egressi itaque — generosior habebatur*); dein, capp. xv, xvi, xvii, multa dubiae fidei de Lamissione, de Amazonibus, et de Bulgaribus: et haec quidem Chronico nostro contraria, in quo Lamissio seu Lajamicho dicitur non incerti patris filius, sed *ex genere Gugingus*, ut Agilmund. Caput xviii hinc iterum desumtum est.

—, 20 *Et venerunt — Langobardi*) Desunt haec in Mutin.

—, 21 *Goltidam*) Ita Ma.; *Golaida* Mutin., at in margine *Galdoin*.
possederunt — Burgundaib) Pro *possederunt* Mutin. *possiderunt*. Pro *Aldonus*, *Anthabus*, et *Bainaib* Mutin. *Aldones*, *Anthaip*, et *Barnaib*. Pro *seu et Burgundaib* Ma. *bet burga thaubus*. Etiam in Paulo variant codd.

—, 22 *Et dicitur quia*) Mutin. *Qui ibi*.

—, 23 *nomine*) Deest in Mutin. Mox Ma. *Agilmund*.

—, 24 *Ajo*) Mutin. *Agroni*: legendum videtur *Ajoni*.
ex genere Gugingus) Desunt haec verba hic et mox in Mutin. Priore loco ea confirmat Series regum Prologo subnexa.

—, 25 *Lamicho*) Ita Mutin.; *Lajamicho* Ma.
Et post ipsum — quadraginta) Mutin. *deinde regnavit Leth. unde dicitur quia regnavit plus minus annis xl*.

—, 27 *Aldihoc filius Lethuc*) Haec in Mutin. legi nequeunt.

—, 28 *Godehoc*) Mutin. *Godeoc*, et infra *Geduhoc*.

IIII.

Quae sequuntur usque ad finem capitis x, paucis mutatis, exhibet codex Gothanus. — Ex hoc capite hausta sunt quae Paulus habet capitula xviiii (ubi tamen ex alio fonte pauca addit de bello Odoacris contra Fewanem), xx (ubi praeterea multa incertae originis et dubiae fidei de bello Tatonis contra Herulos), et initio capitis xxi.

—, 29 *Illo*) *In illo* Mutin.; *Illo vere* Goth.
Odoacer) Ita Goth.; *Audoachari* Ma.; *Audechar* Mutin.

—, 30 *Rugilanda*) Goth. male *Rudilanda*.

—, 31 *expugnavit*) Ma. *impugnavit*; Mutin. *pugnavit*.
Rugos) Goth. *cum Rugis*; Mutin. *contra* (?) *Reugés*.
occidit) Mutin. *occisit*.
Fewane) Ita Goth., adstipulante Cassiodoro Senatore in Chronico, qui *Phoebam*, et Anonymo Cuspiniano, qui *Febanum*; *Thewanem* Ma.; in Mutin. post lacunam duarum litterarum est *cheuam*; *Feletheum* vocant Paulus, et Eugippius in vita s. Severini, magna tamen utrobique librorum varietate. In Chronico Halensi, quod repetimus in Appendice II, legitur *Feletheus, qui et Feuba dictus est*.

—, 32 *et secum*) Ma. *secumque*.
multos captivos duxit) Mutin. *duxit multos captivos*.
duxit in Italiam) Goth. *in Italiam adduxerunt*.

7, 1 *Langobardi*) Mutin. *Longobardi*.

—, 2 *Et postea*) *Post eum* Ma.

—, 3 *Godehoc*) Ita Ma. cap. iii, tum Series regum Prologo subjecta: Ma. hoc loco *Godeho*; Mutin. hoc loco *Geduhoc*.

—, 4 *Tato*) Cod. Goth. semper duplici *t*, *Tatto*; nobis consentit etiam Paulus Diaconus.
Claffonis) Mutin. *Clafonis*.

—, 5 *Feld*) Goth. *Filda*; Mutin. *Feldach*. Paulus Diaconus habet: « *Egressi quoque Langobardi de Rugiland habitaverunt in* « *campis patentibus, qui sermone barbarico* feld *appellantur*. »
44, 2 *eum contegerit*) Epor. *eum contexerit*; Cav. *contigerit eum*.
—, 4 *seu — unum aut plures*) Desunt haec in Verc. et Epor.
—, 9 *superius*) Ma. et Epor. *supra*.
nihil) Deest in Ma.
—, 10 *ille*) Cav. *ille homo*: glossa quae in textum irrepsit.
—, 12 *suscipere*) Cav. *suscipiat*.

CLXXII.

Rubricam habent Verc. et Epor.
—, 18 *absconse*) Cav. et Epor. *in absconse*.
—, 19 *gairethinx*) Ita Ma., ut plerumque Verc.; Cav. *gairenthix*; Verc. hoc loco *garethinx*.
—, 20 *thingat*) Cav. *thingau*.
gisel fuerit) Ita Verc. et Epor.; *gisil fuerit* Ma.; *gisilis fuerint* Cav.
in posterum oriatur) Verc. *inposterioradatur*.

CLXXIII.

Cav. praeposteram rubricam habet *De thinx*.

44, 24 *lide laib*) Ita Verc.; *lidin laib* codex Cathedr. Mutin. apud Murat.; *lidin layb* Ma.; *lidin laid* Epor.; *lidin laibu* Cav. Forte *lidin* pro *lidi* recte se habet; antiquissimum tamen Verc. sequi maluimus.
—, 26 *id est—reliquerit*) Desunt haec in Ma.; in Verc. deest *quod*.
—, 27 *non dispergat*) Ma. *non disperga*, Italica forma; Cav. *non disperdat*.
—, 28 *eas*) Ita Cav.; *ea* Verc.; *eis* Ma.; deest in Epor.
ei) Deest in Cav.
—, 29 *aut sine mancipia*) Deest in Cav. et Ma.
—, 30 *vindere*) Cav. et Ma. *vendere*.
locum) Ita Verc. et Epor.; *loco* Cav.; *in loco* Ma.
pigneris) Verc. *pigneri*.
—, 31 *vedis*) Ita Verc.; *vidis* Ma.; *vides* Cav. et Epor.
—, 32 *conpulsus*) Male Verc. *conpulsus sum*.
—, 33 *proprietatem*) Verc. *potestatem*.
—, 34 *ei—dederit*) Desunt haec in Verc.; in Cav. deest *ei*, et *quod alii dederit*; in Epor. *ei*.
—, 35 *illi*) Deest in Ma.

CLXXIIII.

Rubricam solus habet Epor.; vox *primus* autem est a secunda manu.
—, 42 *gairethinx*) Verc. *coirethinx*; Epor. *garethinx*.
—, 44 *exhereditantur*) Epor. *exheredantur*; Ma. *exheredentur*.
—, 45 *scripte*) Ma. et Epor. *scripta*; Cav. *conscripte*.
gairethinx) Verc. et Ma. *cairethinx*; Epor. *garithinx*.
—, 46 *dereliquerit*) Ita Verc.; *reliquerit* rell.
—, 48 *in suum dominium*) Notabilis lectio codicis Ma. *in suum mundium*. E glossa tamen profectam existimo.
—, 50 *requirat*) Verc. *requirant*.
fiducias) Verc. *fiducia*.

CLXXV.

Ab hoc capite incipit fol. XVa codicis Sang. Ceterum in rubrica Sang. *De launigild*; Epor. *De launichild*; in Cav. rubrica est *De donatione*; deest in Ma.
—, 55 *Si quis*) Male Sang. et Verc. *Si quis alii*.
res suas) Sang. et Epor. *rem suam*.
—, 56 *launegild*) Sang. *launigild*; Cav. *launelgild*; Epor. *launichil*.
—, 57 *heredis ejus*) Verc. omittit *ejus*. Sang. habet *heredes ejus*; Ma. *heres ejus*.
ausus non fuerit) Sang. *ausi non fuerint*; Epor. *ausus fuerit*.
compositum) Epor. *cum positum*.
—, 58 *reddat—semilem*) Ita Sang., Verc. et Epor., sed Sang. *similem*; Cav. *reddat ferquido id est simile*; Ma. *reddat ferquidum*, reliquis omissis.
donatum) Verc. *datum*; Ma. *ei donatum*.
—, 60 *exsolutus*) Epor. *absolutus*.

CLXXVI.

Rubricam solus habet Epor.
45, 3 *effectus—judici*) Epor. transfert *fuerit* post *cognitum*; Verc. et Epor. habent *vel* pro *et*; pro *cognitum judici* Sang. *cognitum est judice*; Cav. habet *effectus est. et cognitum fuerit judici*.
—, 4 *certa rei veritas*) Cav. *certa rei veritate*; Ma. *ut certa sit rei veritas*.
foris) Ita Sang.; *foras* Epor.; *fuerit* rell.
—, 5 *civitatem vel*) Sang. *civitate aut*.
ita) Deest in Sang.
inhabitit) Ita Verc.; *habitet* Cav.; *inhabitet* rell.
—, 6 *non*) Ma. *ut non*.
—, 7 *cuilevit persone*) Ita Verc.; rell. *cuilibet personae*.
in eadem diae) Ma. *ab eadem die*.
—, 8 *mortuus*) Sang. *mortuos*.
—, 9 *dum adeixerit*) Ab his verbis incipit Sang. fol. XVb.
de rebus—nutriatur) Verc. *pro mercedis intuitum de rebus suis nutriantur*. Pro *reliquerit* Epor. *reliquid*. Pro *mercedis intuitu* Sang. *mercides intuicto*; Epor. *mercede intuitu*; Cav. *mercede*. Pro *nutriatur* Sang. *notriatur*.

CLXXVII.

Hanc etiam rubricam solus habet Epor., omissis tamen vocibus *fara sua*, quas ex indice supplevimus.
—, 17 *ei a rege*) Cav. omittit *ei*; Epor. habet *ei ad regem*.
licentia) Verc. *licentiam*. Ceterum Cav. *fuerit licentia data*.
—, 18 *dox*) Ita Verc.; rell. *dux*. Nota autem formam, ex qua orta est Itala vox *doge*.
liber) Deest in Sang.

45, 19 *noluerit cum eum*) Sang. et Epor. *cum se noluerit*; Cav. *cum eo voluerit*.
vel cum heredis) Sang. *aut cum heredes*.
—, 20 *ipsas*) Deest in Sang., Cav. et Epor.
ad donatore) Sang. *adnature*.
heredis ejus) Sang. *heredes ejus*; Cav. *heredes ipsius*.
revertantur) Verc. *revertatur*.

CLXXVIII.

Rubrica deest in Ma. Pro *sponsalibus* Sang. *spunsalibus*. Cav. rubricam habet *De sponsata alterius*.
—, 25 *sponsaverit—mulierem*) Sang. *spunsaverit puella liberam aut muliere*.
—, 26 *sponsalia facta*) Epor. *sponsalias facta*; Sang. *sponsalias factas*. Pro *facta* Verc. a prima manu *fact*.
fabola) Cav. *favula*; Ma. *fabulam*: etiam infra saepius vetustiores codices Sang., Verc. et Epor. habent *fabola* aut *favola*, ubi Cav. et Ma. *fabula*. Hinc autem orta est non modo Itala vox *favola*, sed etiam *favella*, uti *favellare* a *fabulari*.
duos annos) Sang. *duo annus*.
—, 27 *neclexerit*) Ante hanc vocem Sang., Cav. et Epor. addunt *sponsus* (Sang. *spunsus*); Verc. addit *si*; quam eamdem vocem Cav. habet ante *duos annos*.
eam tollere) Haec omittit Cav. Cum his vocibus desinit folium XVb codicis Sangallensis: fol. XVIa incipit in cap. CLXXXII.
—, 29 *vel qui*) Cav. omittit *vel*, perperam.
—, 31 *sponsaliciorum*) Ita Verc. (similem autem Itali hinc derivatam vocem habemus *sposalizio*); *sponsaliarum* Cav.; *sponsalium* Ma. et Epor. Tum Cav. *repromisit*.
—, 32 *Postea—dare*) Cav. *postea liceat eos ipsam feminam ad alium maritum dare*.
—, 34 *eo quod*) Deest in Verc. a prima manu.
—, 35 *prefenitum*) Cav. *finitum*.
oxorem) Ma. *eam uxorem*.
accepere) Ita Verc; *recepere* Epor.; *accipere* rell.
—, 36 *dilatavit*) Epor. *dilataverit*.

CLXXVIIII.

Cav. spuriam rubricam habet *De sponsus*.
—, 41 *adulterassit*) Cav. *se adulterasset*.
—, 42 *parentibus eam purificare*) Cav. *parentibus ejus eam purificare*; Epor. *eam parentibus purificare*.
—, 43 *sacramentalibus*) Verc. *sacramentalis suos*.
—, 44 *post purifigatam*) Post hanc vocem Verc. a secunda manu addit *fuerit*: perperam. Ceterum Cav. *purificata*; Ma. *post purificationem*. Mox Verc. a prima manu omittit *sicut*.
—, 45 *stetit*) Verc. *stit*.
—, 46 *neclexerit*) Verc. *si neclexerit*.
—, 48 *fuit*) Cav. et Epor. *fuerat*.
parentis) Cav. *parentes ejus*.
—, 49 *mundare non potuerit*) Cav. *non potuerit purificare*.
—, 52 *constitutum est*) Epor. *conscriptum est*; Ma. *scriptum est*.

CLXXX.

Rubricam, prout exhibemus, solus habet Epor.; in Cav. est *De lepra*; deest in rell.
—, 59 *ipsam*) Verc. *ut ipsam*.
46, 1 *dimisit*) Deest in Epor.

CLXXXI.

Rubricam solus habet Verc.
—, 6 *pater*) Verc. *patrem*.
sororem) Verc. *sororem suam*.
—, 7 *sibi—quantum*) Cav. *sibi contenta sit quantu*.
—, 10 *nam amplius*) Verc. a prima manu, Ma. et Epor. omittunt *nam*.

CLXXXII.

Rubricam solus habet Epor.
—, 14 *suam*) Deest in Verc. et Ma.
—, 16 *vedua*) Ita Verc.; rell. *vidua*.
—, 17 *ambolandi*) Cav. *ambulare*.
libero) Ma. *ad liberum*.
—, 20 *dictum est*) Ma. omittit *dictum*.
—, 21 *heredis proximus*) Epor. *heres de proximo*.
—, 22 *mariti prioris*) Verc. *maritus priori*; Cav. *prioris mariti*.
—, 23 *morgincap*) Ante hanc vocem Ma. et Epor. addunt *et*, fortasse recte. Pro *morgincap* Ma. et Epor. *morgincaph*; Cav. *morgi. caput*.

46, 23 *et quod*) Cav. omittit *et*.
de parentes) Cav. *de parentibus suis*.
—, 24 *faderfio*) Epor. *fadarfio*; Cav. *phaderfio*.
parentes) Verc. *parentis*.
—, 27 *ei denegaverunt*) Cav. omittit *ei*.
—, 30 *et si parentis*) Ab his verbis incipit codicis Sangallensis fol. XVIa.
legetimi) Sang. *legitimi proximi*.
—, 31 *curtis regi*) Ita Verc. *curtes regi* Epor.; *curtem regis* rell.
—, 32 *talis fuerit*) Sang. et Epor. *tales*; Sang. omittit *fuerit*. Reliqua pleraque hujus capitis in Sang. legi nequeunt.
mulier) Deest in Verc. a prima manu.
—, 33 *non vellit*) Ita Epor.; *non velit* Ma.; *non velle* Verc.; *nolit* Cav.
ad quem) Epor. *adqu;*.
—, 34 *pertenit*) Ita Verc.; *pertinet* Cav. et Ma.; *pertinuerit* Epor.
ipse) Verc. *ipsi*.
—, 35 *aut*) Cav. *ac*.
—, 36 *et si parentis*) Cav. *si vero parentes*.
—, 37 *refugium*) Sang. *refogium*.

CLXXXIII.

Rubricam omittunt Cav. et Ma.
—, 42 *liberam — mundio*) Ita Verc.; rell. *libera mulicre aut puella mundium*.
—, 43 *et convenit ut ei tradatur*) Cav. et Epor. omittunt *et*. Pro *convenit* Ma. *convenerit*. Sang. pro his habet *ut ei tradatur et venerit*.
—, 44 *contegerit*) Ab hac voce incipit Sang. fol. XVIb. Tum Verc. *maritum mortuum*. Particulam *ut* Ma. transfert ante *marito*.
—, 45 *ambolare*) Ita Verc.; rell. *ambulare*.
—, 46 *heredis*) Ita Verc.; rell. *heredes*.
—, 48 *per mano*) Ita Sang.; *mano* Epor.; *per manu* Ma.; *per manus* Verc.; *per manum* Cav.
—, 50 *traditione*) Verc. *traditionem*.

CLXXXIIII.

In Cav. et Ma. deest rubrica. Pro *nuptiali* Epor. *nuptialem*; Verc. *nuptiarum*.
—, 55 *frater*) Verc. *fratrem*, mendose.
sororem) Sang. *sororum*. Post *sororem* Verc. et Cav. addunt *suam*.
—, 56 *oxorem tradederit*) Ita Verc.; rell. *uxorem tradiderit*.
—, 57 *aliquit dederit*) In litteris *aliquit dede* desinit fol. XVIb codicis Sang. Fol. XVII incipit in cap. CLXXXVIIII. Ceterum Verc. *deterit*.
—, 59 *launechild*) Cav. et Ma. *launegild*; Epor. *naunichild*.
devit persolvi) Ita Verc.; similiter Epor. *debit persolvi*; Cav. *debet persolvi*; Ma. *debet persolvere*.

CLXXXV.

Pro *incestas* Verc. *incertas*. Ma. rubricam omittit; Cav. habet *De noberca id est de matrinia*.
47, 3 *id est matriniam*) Haec omittit Ma.
—, 4 *id est filiastra*) Ita Verc.; *quae est filiastra* Cav.; *id quod est filiastram* Epor.; deest in Ma.
—, 5 *fratris*) Verc. $\overline{FF}$.
—, 7 *pro culpam*) Deest in Ma.; Cav. habet ante *comp.*
in curte regis solidos centum) Cav. *soli. c. in curte regis*; Verc. *vir solidos centum*.
—, 9 *et ipsas*) Cav. omittit *et*.
—, 10 *amittat, et curtis regia suscipiat*) Cav. habet tantum *suscipiat curtis regia*.
—, 12 *Haec pena — separetur*) Haec omittit Ma.

CLXXXVI.

Cav. rubricam habet *De violentia*.
—, 17 *vir*) Epor. *vero*.
invitam) Cav. *per vim*.
eam tolerit ad oxorem) Verc. omittit *eam* et *ad*; Cav. habet *eam ad uxorem tulerit*.
—, 18 *medietatem regi — mulieris*) In Epor. deest *parentibus*; Cav. habet *medietatem parentibus mulieris et med. regi*.
—, 20 *nungenti*) Ita Cav.; rell. *DCCCC*.
—, 22 *suas*) Deest in Verc.
—, 24 *debeat habere*) Epor. *habeat*.
a patre si habuerit) Cav. *ad parentem sibuerit*.

CLXXXVII.

Hanc rubricam solus habet Verc., ad superius caput forte retrahendam.

47, 32 *ut supra*) Verc. a secunda manu, Epor. addunt *sol. DCCCC*; glossa.
—, 33 *fecerit*) Ita Cav. et Ma.; *fecerit et* Epor.; *ejus faciat et* Verc., e versu superiore per incuriam repetitum.
—, 34 *parentibus*) Non male Verc. *a parentibus*, si *a* intelligas pro *ad*, ut infra.
—, 35 *vir*) Deest in Verc. a prima manu.
—, 36 *mortua*) Ma. *pro mortua*.
vero — id est) Ita Verc.; *si verum disimilem sanguinem, id est* Epor.; deest in Cav. et Ma.
—, 37 *ita*) Cav. et Ma. *et ita*.
—, 38 *ad*) Hanc vocem solus habet Epor.
—, 39 *pertenuerit*) Epor. *pertinet*.

CLXXXVIII.

—, 44 *libero tamen*) Haec omittit Ma., perperam.
—, 45 *anagrip*) Ma. *pro anagrip*.
—, 47 *eam antea mori*) Verc. et Ma. omittunt *eam*. Cav. habet *eam mori ante*.
—, 49 *ejus*) Deest in Cav. et Ma.

CLXXXVIIII.

In rubrica Epor. *De fornicationis causa*; Cav. et Ma. rubricam omittunt.
—, 60 *tollat*) Verc. *tollere*.
id est) Hinc incipit codicis Sang. folium XVIIa; sed reliqua hujus capitis usque ad *ipsam ad manum* ita evanida sunt, ut vix pauca verba legi possint. Ma. omittit *id est anagrip*.
48, 1 *viginti*) Ita Sang.; rell. *XX*.
et propter — XX) Haec solus habet Verc. a secunda manu; desunt etiam in edd.: recepi tamen, quia et facile excidere potuerunt, et simile praescriptum in superiore et in sequente capitulo ea pro genuinis haberi suadent.
si — habeat) Epor. *si convenerit ut eam non habeat*; Cav. *si non convenerit ut habeat eam*. In Verc. a prima manu deest *si*.
—, 3 *ad quem*) Cav. omittit *ad*.
—, 4 *de ea pertenuerit*) Cav. *pertenuerit de ipsa*. Reliqua hujus capitis omissa sunt in Cav.
—, 5 *noluerit aut*) Deest in Epor., nec male.
—, 6 *leceat*) Ita Verc.; *liceat* rell., etiam Sang.
ipsam) Deest in Ma.

CXC.

Rubrica deest in Cav. et Ma.
—, 12 *liberam*) Hanc vocem solus habet Verc.
aut vedua alterius sponsata) Epor. *aut mulier viduam alteri sponsatam*; Cav. et Ma. *aut viduam alteri sponsatam*. Pro *vedua* Sang. *viduam*.
—, 13 *tolerit oxorem*) Sang., Cav. et Ma. *tulerit uxorem*; Epor. *tullerit uxorem*.
—, 14 *vel ad quem*) Epor. *vel et adque*.
—, 15 *anagrip*) Sang. *anagrift*; Epor. *anagriph*.
viginti) Ita Sang.; rell. *XX*.
—, 16 *alius*) Epor. *sol*.
vigenti) Ita Sang. et Verc.; rell. *XX*. A vocibus *et mundius* incipit Sang. XVIIb.
convenerit) Ita Sang. et Verc.; rell. *steterit*.
—, 17 *spunsus*) Ita Verc.; *spunsum* Sang.; *sponsus* Epor.; *sponso* Cav. et Ma.
sponsatam) Ita Verc.; rell. *sponsa*.
—, 18 *dictum fuit*) Cav. *dictum dandi fuit*.
sposavit) Ita Verc.; *spunsavit* Sang.; *disponsavit* Epor.; *sponsavit* rell.
—, 19 *dublum*) Ita Verc. et Epor.; *dubio* Sang.; *duplum* Cav. et Ma. Tum Cav. et Ma. omittunt *ei*; in Sang. abscisum videtur.
qui ei — fecit) Sang. *qui ** disponsata sua talem fecit*; Epor. *qui in disponsata sua turpe fecit*.
—, 21 *penas, sit*) Sang. *poena sed*.
contemptus) Sang. *contemtus*; Cav. et Ma. *contentus*.
—, 22 *fidejussorem*) Sang. *fidejussores*; Verc. *fidiussorem*.
—, 23 *calomnia non requiratur*) Sang. *non requirat*, et omittit *calomnia*.

CXCI.

Rubrica deest in Cav. et Ma. Pro *rapto* Verc. *raptu*. Pro *spunsatae* Epor. *sponsata*; Verc. *sponsa*.
—, 27 *Si quis — alterius*) Sang. omittit *puellam aut veduam*. Ma. transfert *sponsatam* post *puellam*; Cav. post *Si quis*.
—, 28 *culpavelis*) Ita Verc.; *culpabiles* Sang.; *culpabilis* rell.
puelle) Sang. *puellae*. Item infra.

48, 29 *pertenuerit*) Epor. *pertinit*; Cav. et Ma. pertinet.
noningința) Sang. *noningin*** ; rell. *DCCCC.*
—, 31 *pater aut frater*) Ita Verc.; *patre vel fratre* Sang.; *patri aut fratri* rell.
—, 32 *faciat*) Hinc incipit codicis Sang. folium XVIIIa.
—, 33 *in cujus — derisiculum*) Ma. prius *in* transfert post *cujus*. Sang. et Epor. omittunt *in* post *aut*. Pro *derisiculum* Sang. *dereseculo*; Epor. *rediculum*; Cav. et Ma. *ridiculum*; Verc. a prima manu *ulum*, prioribus litteris omissis.
—, 34 *dobla*) Epor. *dubla*; Sang. et Cav. *dupla*; Ma. *duplam.*
—, 35 *favola*) Ita Sang. et Verc.; *fabola* Epor.; *faula* Cav.; *fabula* Ma.
fidejussori) Verc. *fidejussore.*
raptori) Sang. et Epor. *rapturi.*
—, 36 *calomnia non generetur*) Epor. *non generetur calumnia.* Pro *generetur* Verc. *generintur.* Reliqua hujus capitis desunt in Cav. et Ma.
—, 37 *compositionis*) Verc. *compositione.*

CXCII.

Hanc rubricam solus habet Epor.
—, 43 *Si pater — spunsaverit*) *Si pater filiam suam aut frater sororem suam alii junxe parentes puellam alii spunsaverint* Sang. Idem mox *fecerint* et *consenserint.*
—, 46 *qui eam — consentientem*) Sang. *qui eam violenter rap** consentiente*; Cav. et Ma. omittunt *aut* post *eam.*
—, 47 *duxit*) Ita Sang.; *duxerit* Cav. et Ma.; *ducat* Epor.; *dugatur* Verc.
—, 48 *consenserent*) A litteris *(rent) conp.* incipit Sang. XVIIIb.
—, 49 *spunsatam*) Ita Verc.; *spuncatam* Sang.; *sponsatam* rell. Vocem autem *habuit* Sang. aut omittit, aut fuit post *eam*, et cum folii margine periit.
dublum) Ita Verc. et Epor.; *dupla* Sang.; *duplum* rell.
—, 50 *dicta*) Sang. *dictum.*
spunsaliorum) Ita Sang.; *sponsaliorum* Verc. et Epor.; *sponsalium* rell. Post haec Ma. spurium additamentum habet *sponso modis omnibus componere compellatur.*
—, 51 *fidejussorem*) Sang. *fidejussoris*; Epor. *fidejussori.*
—, 52 *calomnia*) Ita Verc.; *calumniam* Ma.; *calumnia* rell.
requiratur) Ita Sang.; *requirat* Cav., Ma., Epor.; *generetur* Verc.

CXCIII.

—, *puella libera*) Verc. *puellam liberam.*
foris—alienum) Sang. et Epor. *servum alienum foris provintia.*
—, 57 *requirant*) Epor. *requirat*; Verc. *requiratur.*
—, 58 *et si*) Ita Sang.; rell. omittunt *et.*
invenerent) Ita Verc.; rell. *invenerint.*
—, 59 *poenam juxta legem*) Sang. *poena juxta lege.*
culpam) Ita Verc.; rell. *culpa.* Tum Verc. omittit *a.*

CXCIIII.

Hoc caput in Sang., Cav., Ma. in duo divulsum est, sed in Cav. obstante capitulorum indice, imo ipsa capitum serie et numeris in textu; nam incremento unius numeri, quod inde ortum est, mox occurrit amanuensis, duobus capitibus, CXCVII et CXCVIII, notatis eodem numero *CXCVIII*; ut sic inde ab eo capite numeri capitulorum iterum conveniant cum nostris, et cum ipso indice codicis Cav. In Cav. igitur prior hujus capituli pars est cap. *CXCIIII*; in Sang. et in Ma. *CXCVII.*
49, 3 *Gentilem fornigatus*) Ita Verc.; rell. *gentile fornicatus.*
—, 4 *ad dominum*) Epor. *dominum*; Sang. *domino*; Cav. omittit *ad dominum ejus.*
viginti) Ita Sang.; rell. *XX.*
si cum) Hinc novum caput auspicantur Sang., Cav. et Ma.; in Cav. est *CXCV*; in Sang. et Ma. *CXCVIIII.* Ceterum Epor. *et si cum.*
—, 5 *Romana*) Mendose Verc. *romano.* Post hanc vocem Sang. addit *ancilla*; Ma. *fornicatus fuerit*; Cav. *ancilla fornicatus fuerit.* Ipse dissensus satis ostendit glossemata haec esse, inserta arbitrio amanuensium ob praeposteram capitis divisionem.
solidos duodicem conponat) Ita Verc. et Ma.; rell. transferunt *conp.* ante *solidos.* Ceterum *duodicem* Sang.; rell. *XII.*

CXCV.

Rubricam omittunt Cav. et Ma. Pro *injecto* Verc. *injectum.* Ab hac rubrica autem incipit Sang. fol. XVIIIIa.
—, 9 *mulierem*) Sang., Cav., Ma. *muliere.*
49, 10 *pater aut frater*) Sang. *patre aut frater*; Cav. *patres aut fratres*; Ma. *patre aut fratre.*
et) Deest in Ma.
—, 12 *invitam*) Cav. *violenter*; deest in Ma.; Epor. habet *ad maritum.*
tradere) Cav. *dare.*
—, 13 *ad ejus violentia*) Pro his Sang. *tradere ad violentiam.*
consinsum) Ita Verc.; rell. *consensum.*
—, 14 *prebuerit*) Deest in Ma.
dederit) Cav. *dare probaverit.*
—, 15 *illa*) Sang. et Verc. *illam.* Ceterum in Sang. reliqua hujus paginae legi vix possunt.
—, 18 *conpetit*) Ma. *pertinent.*
—, 19 *potestatem*) Cav. et Epor. *in potestatem*; Ma. *in potestate.*
et si) Hinc incipit Sang. fol. XVIIIIb.
ista crimen) Ita Sang., Verc.; similiter Epor. *ista crimene* (sed a manu recentiore *crimine*); Ma. *ista crimina*; Cav. *hoc crimen.*
—, 20 *leceat — purifigare*) Ita Verc.; rell. *liceat — purificare.*
—, 21 *ejus*) Deest in Ma. et Epor.
habere si se) Epor. *habeat sed se.* In Cav. omissa sunt postrema quattuor capitis verba.
purifigaverit) Ita Verc.; *pureficaverit* Sang.; *purificaverit* Ma. et Epor.

CXCVI.

Rubricam omittunt Cav. et Ma.
—, 26 *habens*) Cav. *habuerit.* Tum Verc. a secunda manu addit *in potestatem.*
pater aut frater) Sang. et Ma. *patre aut fratre.*
et) Deest in Ma.
ei) Deest in Epor.
—, 27 *adulterasit*) Ita Sang. et Verc., nec legendum *adultera sit*, nam similiter *adulterassit* Epor.; *adulterasset* Cav. et Ma.
amittat) Sang. et Epor. *admittat.*
—, 28 *propriis*) Verc. *probriis.*
—, 29 *regis*) Cav. *regiam.*
—, 30 *deveat*) Ita Verc.; rell., etiam Sang., *debeat.*
—, 31 *dixisse*) Ita Cav., Ma., Epor.; *dixisset* Sang.; *dexisset* Verc. Ante hanc vocem Cav. addit *se*; in Verc. recentior manus *quot* (pro *quod*).
—, 32 *leceat*) Ita Verc.; rell. *liceat.*
se) Deest in Ma.
purifigare) Ita Verc.; *pureficare* Sang.; *purificare* rell.
—, 33 *ejus sicut habuit*) Pro *ejus* Cav. et Ma. *ipsum.* Ma. omittit *sicut habuit.*

CXCVII.

Ab hoc capite incipit Sang. fol. XXa. Rubricam omittunt Cav. et Ma. Pro *nefando* Sang. *nefandum.*
—, 37 *aut mulierem*) Ita Verc.; omittitur in Epor.; rell. *aut muliere.*
—, 38 *eamque strigam*) Ante haec Epor. addit *in potestatem.* In Sang. haec et proxime sequentia usque ad *excepto* legi nequeunt. Pro *eamque* Epor. *et eam*; Ma. *eam.* Pro *strigam* Epor. *tricam.* Tum Ma. omittit *quod est mascam.*
—, 39 *pater aut frater*) Sang. *patre aut fratres*; Ma. *patre aut fratre.*
—, 41 *rebus suis propriis*) Cav. *propriis rebus suis.*
—, 43 *crimen non dixissit*) Ita Sang. et Verc.; rell. *crimen dixisse.*
—, 44 *leceat*) Ita Verc.; *liceat* Sang. et rell.
purificare) Sang. *pureficare.*
—, 45 *si se purificaverit*) Sang. *si se pureficaverit*; Epor. *si se purificat*; deest in Ma.

CXCVIII.

Cav. et Ma. rubricam omittunt. Pro *in puella* Epor. *puellae.* Sang. et Ma. omittunt *injectum.*
—, 50 *liberam aut mulierem*) Ita Verc. et Ma.; rell. *aut mulierem liberam.*
—, 51 *fornicariam*) Ab hac voce incipit Sang. XXb.
strigam) Epor. *stricam.*
—, 52 *penitens*) Cav. *penitus.*
—, 53 *fororem*) Ita Verc. et Epor.; *furorem* Sang. et rell.
dixissit) Cav. et Epor. *dixisset*; Ma. *dixisse.*
tunc) Deest in Ma.
preveat) Sang., Cav., Ma. *prebeat.*
—, 54 *sacramentalis suos*) Sang., Cav., Ma. *sacramentalibus suis.*
fororem) Ita Verc.; rell. *furorem.*
—, 55 *crimen*) Sang. *crimine.* Cav. transfert *dixisset* post *furorem.*
certam causam) Ita Verc.; rell. *certa causa.*
—, 56 *ipsum — sermonem*) Sang. *ipso vanum inproperium pertis sermonem.*

49, 57 *convenerat*) Ita Ma. et Epor.; rell. *cognoverat.*
—, 58 *viginti*) Ita Sang.; rell. *XX.*
calomnietur) Ita Verc. et Epor.; rell. *calumnietur.*
—, 59 *se posse*) Sang. *si possit.*
provare) Ita Sang.; *provari* Verc.; *probare* rell.
—, 60 *camphionis*) Sang *campionis*; Cav., Ma., Epor. *camphionem.*
causa ipsa) Verc. *causam*; Sang. *causa ipso*; deest in Cav.; Sang. contra ante *decernatur* iterum habet *causa ipsa.* Ma. omittit *id est per pugnam.*
Dei judicio) Sang. *Dei judicium*; Cav. *ei judicium*; Ma. et Epor. *ad Dei judicium.*
50, 1 *illa*) Deest in Verc. Ab hac voce incipit Sang. fol. XXIa.
—, 2 *culpavelis*) Ma Verc.; *culpabilem* Epor.; *culpabilis* rell.
—, 3 *widrigild*) Sang. *wertegild*; Cav., scripturae vitio, *ubi drigild.*
—, 4 *conponere conpellatur*) Epor. habet tantum *conp.*

CXCVIIII.

Rubrica deest in Cav. et Ma. Pro *vedua* Sang. et Epor. *vidua.*
—, 10 *sororem*) Sang. *sorurem.*
suam) Sang. et Epor. transferunt post *filiam*; Cav. habet utroque loco. In Verc. verba *aut — suam* sunt a secunda manu; a qua etiam adjicitur *alii* (*alii ad maritum*).
—, 12 *liveraverit*) Ita Verc.; rell. *liberaverit.*
—, 14 *patris aut fratris regressam*) Sang. *patris regressa.*
—, 15 *sorores*) Sang. *sorures.*
casam) Ita Verc.; rell. *casa.*
aut fratris) Duo haec verba hoc loco solus habet Verc.
—, 16 *mortuus*) Sang. *mortuos.*
—, 17 *in casa*) Ita Verc.; *in domo* aut *in domum* rell. Hinc autem incipit Sang. XXIb.
unam) Ita Verc.; rell. *una.*
—, 18 *a*) Ita, Italica forma, Verc. et Epor.; *ad* rell.
—, 19 *aut curtis regi*) Ita Verc.; *aut curtem regis* Sang. et Ma.; *aut cum curte* (Epor. *curtes*) *regis* Cav. et Epor.
illam veduam) Ita Verc.; rell. *illa vidua.*
—, 20 *fratris*) Sang. *fratres.*
—, 21 *in antea*) Sang. *in ante.*
morgincap) Ita Verc.; *morgingab* Sang.; *morgincaph* Ma.; *morgaph* Epor.; *morgincaput* Cav.
mephio) Ita Verc.; *mefio* Epor.; *metfyo* Sang.; *meffio* Ma.; *metfio* Cav.
fadarfio) Ita Verc., Ma., Epor.; *fadrin* Sang.; *fasidin* Cav.
—, 23 *ambolavit*) Sang. *venerit.*
—, 24 *mittatur*) Ita rectius Verc.; rell. *mittat.*
et alias sorores) Sang. *alias sorures*, omisso *et*; Epor. *cum alias sorores*; Ma. *cum aliis sororibus*; Cav. *cum illis aliis sororibus.*
—, 25 *soror unam*) Sang. *sorur una.*
tollant) Epor. *tolla*; Cav. et Ma. *tollat.*
unamquis) Ita Verc.; *unaquis* Sang. et Epor.; *unaquaeque* Cav.; *ut quaeque* Ma.
in antea) Sang. *in ante.*
—, 27 *a parentis*) Cav., Ma., Epor. *ad parentes.*
Reliqua) Ma. *Reliquam vero.*
—, 28 *fratris*) Sang. *fratres.* Mox a voce *aequa* incipit ejus codicis fol. XXIIa. Pro *aequa lanciae* Epor. *aequa lentiae*; Cav., Ma. et edd. *aequaliter.*
—, 29 *sicut — legitur*) Desunt haec in Ma. In Sang. scribitur cum adspiratione *hedictum.*
solam in casam) Sang. *sula*, et omittit *in casa.*
—, 30 *per legem*) Sang. *per lege.*
heredis) Ita Verc.; rell. *heres.*

CC.

Ma. omittit rubricam. Cav. habet *mulierum.*
—, 37 *mille ducentos*) Ita Verc.; *mille duocentus* Sang.; *mille ducentus* Epor.; *mille ducenti* Cav.; *CC* (omisso *M*) Ma.
—, 38 *et mundium susceperunt*) Deest in Verc. et Cav.
—, 39 *regi — actorem*) Cav. *regis et actorem.*
—, 40 *poenam suprascriptam*) Ita Verc.; rell. *poena suprascripta.*
—, 41 *filius de ipsa*) Cav. *filios legitimos ex ipsa.*
mulierem) Ita Verc.; rell. *muliere.*
habuerit) In Cav. desunt verba *habeant — non habuerit.*
—, 42 *morgincap*) Ita Verc.; *morgincaph* Ma. et Epor.; *morgingab* Sang.
faderfio) Sang. *faderfyo.*
mortuae) Hinc incipit Sang. XXIIb.
—, 44 *ipsa facultas*) Verc. *ipsam facultas.*
dederunt) Ma. et Epor. *tradiderunt*; in Sang. initium vocis cum margine abscisum est.
—, 45 *fuerit*) Ita Verc.; *fuerunt* Sang.; *fuerint* Epor. et Ma.; *habuerit* Cav.
—, 46 *facultas*) Post hanc vocem Cav. addit *in integrum.*

CCI.

Rubricam omittunt Cav. et Ma. Pro *occisa* Sang. ****asio.*
50, 50 *Si quis — mulierem*) Sang. *Si quis puella aut mulier libera*; Epor. *Si quis puellam aut mulierem liberam.*
qualevit) Ita Verc.; *qualsbit* Epor.; *qualibet* rell.
—, 51 *occansonem*) Ita Sang. et Verc.; *occisionem* Epor.; *occasionem* aut *occasione* rell.
occiserit) Ita Verc.; rell. *occiderit.*
mille ducentos) Eadem hic lectionis varietas ac superiore capitulo, paginae versu 37.
—, 52 *aut ad quem*) Sang. *aut ad quis*; Cav. *ad quos*, et omittit *aut.*
—, 53 *pertenit*) Ita Verc.; *pertinuerit* Epor.; *pertinet* rell.
—, 54 *habuerit*) Verc. *fuerent.*
—, 55 *sic tamen*) Deest in Epor.
—, 56 *id est volontariae*) Deest in Ma. Ab hac voce *volontariae* incipit Sang. fol. XXIIIa.

CCII.

51, 1 *per subpositam*) Ma. omittit *per.*
—, 2 *et de res*) Epor. *et res*; Ma. *et de rede*; Cav. *et de rebus.*
—, 3 *leceat*) Ita Verc.; rell. *liceat.*
parentes) Ita Verc.; *parentibus ejus* Cav.; *parentibus* rell.
—, 4 *purificare*) Sang. *purefacare.*
per camphionem, id est) Sang. habere videtur *camfionem.* In Verc. haec desunt; contra Ma. habet tantum *aut per camphionem.*

CCIII.

—, 10 *si filium non fuerint*) Ma. *si filium non habuerit.*
parentis) Ita Verc.; *parentes* Sang. et rell.
—, 11 *potestatem*) Verc. *potestate*; deest in Cav. et Ma.

CCIIII.

—, 15 *mulieri libere*) Sang. *muliere*, et omittit *libere.* In Verc. a prima manu deerat *libere sub.*
—, 16 *viventem*) A litteris *ventem* incipit Sang. XXIIIb. Ceterum Cav. et Ma. *viventi*; Epor. *viventes.*
—, 17 *arbitrium*) Sang. et Ma. *arbitrio.* Post hanc vocem Epor., Cav. et Ma. addunt *id est*, quod minus probo.
silpmundia) Ma. *silmundia*; Epor. *selbmundia.*
—, 18 *certe*) Deest in Cav.
—, 19 *moviles*) Ita Verc.; *mobiles* Sang.; *mulieris* Epor. In Cav. est *de re mobile et immobile*; in Ma. *de rebus mobilibus et immobilibus.*
volontatem) Ita Verc.; *voluntatem* Epor.; *voluntate* rell.
—, 20 *illius*) Cav. *ipsius.*
—, 21 *aut*) Cav. *seu.*

CCV.

Rubricam omittunt Cav. et Ma.
—, 25 *aldia aliena*) Sang. *haldiam alienam*; Cav. et Ma. *aldiae alienae.*
matre) Sang. *matrem.*
—, 26 *violentia*) Ita Verc. et Epor.; rell. *violentiam.*
—, 27 *quadraginta*) Ita Sang.; rell. *XL.*

CCVI.

In Cav. et Ma. deest rubrica.
—, 31 *liberta aliena*) Ita Verc.; *liberta alienam* Epor.; *libertam alienam* Sang.; *libertae alienae* Cav.; *libere aliene* Ma.
qui) Sang., Cav., Ma. *quae.*
—, 33 *XX*) Numeri nota abscisa est in Sang.

CCVII.

Rubricam omittunt Cav. et Ma.
—, 37 *Si quis*) Hinc incipit codicis Sang. folium XXIIIIa.

CCVIII.

In Verc., Cav. et Ma. deest rubrica. Sang. habet *De raptu.*
—, 42 *aldiam*) Sang. pro more *haldiam.*
—, 43 *et sequens — fuerit*) Ita Epor.; in Sang., Verc. et Cav. est *aut* pro *et* ante *cui*; praeterea Cav. omittit *et* ante *sequens*, et habet *est* pro *fuerit*; in Ma. est *et sequenti domino aut parentibus ejus ille cujus curtis fuerit.*
—, 45 *extrahere*) Verc. *extraere.*
—, 46 *quadragenta* Ita Sang.; rell. *XL.*
—, 47 *cujus aldia est*) Ita Verc.; haec in Sang. legi nequeunt; Epor.

cui aldia fuit; Ma. *cui fuerit libera*; Cav. *domino aut ad parentes ejus*.

CCVIIII.

Cav. et Ma. rubricam omittunt.

51, 52 *et sequens — curtis*) Cav. *sequente domino aut parentibus ejus et cujus illa curtis*; Ma. *et sequenti domino aut parentibus ejus ille cujus curtis*.

—, 54 *qui*) Male Cav. *cui*.
antestetit) Ita Verc.; rell. *antesteterit*.
viginti) Ita Sang.; rell. *XX*.

—, 55 *ancilla*) Ab hac voce incipit Sang. XXIIIIb.
fuerit) Epor. *fuit*.

CCX.

Hoc caput, praeter pauca verba in fine, in Sang. legi nequit. In Cav. et Ma. deest rubrica. Pro *curtem* Epor. *curte*.

—, 60 *aldiam aut*) Deest in Cav.

52, 1 *sequens dominus*) Ma. *sequenti domino*.

—, 3 *actor*) Male Cav. et Ma. *auctor*, frequenti errore.
pro aldia — viginti) Sang. pro more habet *haldia*. Item *viginti* est ex Sang.; rell. *XX*. In fine Cav. habet *et pro ancilla solidos XX*; Ma. *pro ancilla componat solidos viginti*. In Epor. locus ita se habet *conponat pro aldia solidos xl. de suis propriis rebus, et pro ancilla solidos viginti*.

CCXI.

Ordinem sequimur, nostro judicio veriorem, quem exhibent Sang., Cav., Ma. in indice, Epor. et edd.; in Verc. et in Ma. in textu, hoc caput sequenti postponitur. Rubricam habent Sang. et Verc., sed in Sang. sola priora rubricae verba ex universo capite legi possunt *Si quis uxorem*.

—, 9 *eamque*) Cav. *et eamque*.

—, 10 *occidantur*) Verc. et Epor. *occidatur*.

—, 11 *sic tamen si*) Epor. et Ma. *si tamen*.

CCXII.

De sede hujus capitis confer notata ad caput superius. Rubricam a textu sejunctam solus habet Epor. In Sang. ex hoc capite legi nil potest, praeter ea quae rubricae loco damus (cum hac lectionis varietate: *uxorem* pro *oxorem*; *alio fornicantem* pro *alium forniqantem*); post quae incipit ejusdem codicis folium XXVa.

—, 16 *Si quis — potestatem*) Codicem Epor. secuti sumus, qui unus rubricam a textu sejunctam exhibet: Verc. habet *Si quis cum oxorem suam alium forniqantem invenerit liberum aut servum, potestatem*; Vercellensi consentiunt Cav. et Ma., sed hic omittit *alium*, ille habet *servum aut liberum*.

—, 17 *ambos*) Omittitur in Ma.

CCXIII.

Rubricam omittunt Cav. et Ma. Ex hoc capite nihil in Sang. legi potest, praeter aliquas ex rubrica litteras.

—, 22 *miserit*) Cav. *injecerit*.

—, 24 *per pugnam*) Ita Verc.; rell. *per camphionem*.

CCXIIII.

Ex hoc item capite in Sang. nil legi potest, praeter pauca in fine.

—, 30 *consilium*) Ma. *voluntate*; Epor. *voluntate consilio*. Uterque codex mox omittit *aut voluntatem*.

—, 31 *duxerit oxorem*) Epor. *uxorem duxerit*.
conponat anagrip) Ita Verc.; *componat pro anagrip* Ma.; *conponat ut supra anagrip* Epor.; *componat parentibus ut supra anagras* Cav.

—, 33 *et mundium*) Hinc incipit Sang. XXVb.
convenerit) Post hanc vocem Verc. addit *faciat*; deest etiam in Sang.
havet) Ita Verc.; *habit* Epor.; *habet* Sang. et Cav.; in Ma. deest *et lex havet*.

—, 34 *sic tamen si*) Ita Epor. et Ma.; *si tamens* Sang.; *sic tamen ut* Cav.; *si tamen* Verc.

CCXV.

In Cav. et Ma. deest rubrica. Sang. habet *spunsata*.

—, 38 *veduam sponsatam*) Sang. *viduam spunsatam*.

—, 39 *contegerit*) Sang., Cav. et Ma. *contigerit*.

52, 40 *a parte*) Male Sang., Cav. et Epor. *ad patrem*.
habit) Ita Verc. et Epor.; rell. *habet*.

—, 41 *fuissit*) Ita Verc.; rell. *fuerit*.

—, 42 *sponso*) Sang. *spunso*.
ei) Deest in Verc.

—, 43 *ejus*) Deest in Sang. et Epor.

—, 44 *habere videtur*) Verc. *habit*.
traditione) Sang. et Ma. *traditionem*.

—, 45 *est*) Cav. *fuit*.

CCXVI.

Rubricam a textu distinctam habet Sang. et Epor.; in Verc. cum initio textus confusa est; deest in Cav. et Ma. In rubrica post *Si* Epor. addit *quis*. Sang. habet *Si haldius uxorem libera tulerit*.

—, 49 *Si — fulfreal*) Verc. *Si aldius oxorem libera tolerit cujuscumque fulfreal*. Sang. scribit *Si haldius — uxorem — fulfrea*. Pro *libera oxorem* Ma. *uxorem liberam*, et *fulfream* pro *fulfreal*. Epor. habet *fulfreae*.

—, 50 *de ea*) Sang. *de ipsa*: atque inde incipit hujus codicis fol. XXVIa.
et posteaquam filius habuerit) Ma. *et posteaquam filios habens*; Epor. *posteaquae filius habens*; Cav. *et posteaque filios de ea habens et*.

—, 53 *eam*) Verc. *ea*.
recollegere) Ita Epor.; *recollere* Sang. et Verc.; *recolligere* Cav. et Ma.
voluerent) Sang., Ma. et Epor. *voluerint*; Cav. *noluerint*.
reddant praetium) Verc. *reddat praetio*.

—, 55 *quibus*) Epor. *cujus*.
et mundium ejus fecit) Haec adsunt in Verc. et Cav.; desunt in Sang., Ma. et Epor.
illa) Deest in Verc.; in Sang. cum margine periit.

—, 56 *morgincap*) Ita Verc. et Epor.; *morgincapo* Cav.; *morgincaph* Ma.; *morgingab* Sang.
aut aliquit de rebus) Epor. *aut de rebus*; Ma. *aut aliquo de rebus*; Cav. *aut aliquibus rebus*.

—, 57 *cum rebus suis, si aliquid*) Ita Verc. a prima manu: a manu recentiore *aliqua res* pro *aliquid*. Sang. habet *cum rebus suis, si aliquas*; Epor. *cum rebus, si aliquas*; Cav. et Ma. *cum rebus quas*.

—, 59 *fuerent*) Ita Verc. rell. *fuerint*.
patris) Sang. *patres*; Verc. *patri*.

—, 60 *paternas demittant*) Verc. et Cav. *patri dimittant* (Verc. *dimittat*).
mundio) Ita Verc.; rell. *mundium*.

53, 1 *matrem*) Ita Verc.; rell. *matre*.
eorum) Cav. *ipsorum*.

—, 2 *voluerent*) Ita Verc.; rell. *voluerint*. Tum Epor. omittit *liberi*.

CCXVII.

In Cav. et Ma. deest rubrica. Pro *tolerit* Sang. *tul*****, et omittit *maritus*. Epor. habet *maritum tulerit*.

—, 6 *liberta*) Ita recte Epor. et Ma.; *libera* Sang., Verc. et Cav., perperam: nam libera *fulfreal* quae servo consensisset graviore poena plectebatur; cf. Roth. cap. CCXXI, et Liutpr. cap. XXIIII.
casam alienam) Ita Verc.; rell. *casa aliena*.

—, 7 *tolerit*) Ita Verc.; *tullerit* Epor.; *tulerit* rell.

—, 8 *ad servitium*) Verc. *in servitium*.

—, 9 *mortuo tamen maritum*) Ita Epor.; *mortuum tamen maritum* Verc.; *mortuo tamen marito* rell.
una) Verc. *unam*.

—, 10 *omnes res*) Sang. *omnes res suas*; Ma. *omnibus rebus*; Cav. *omnibus rebus suis*.

—, 12 *nulla consequatur*) Verc. a manu recentiore addit *rem* post *nulla*. Pro *nulla* Ma. *nil*; Cav. *non*. Pro *consequatur* Verc. *consequantur*; Epor. *persequatur*; Cav. *requiratur*.
repotit) Sang. *reputit*; Cav. et Ma. *reputet*.

—, 13 *qui*) Cav. *quia*; Ma. *quae*. Post *servo* in Verc. recentior manus addit *voluntaria*.

CCXVIII.

Cav. et Ma. rubricam omittunt. Sang. et Epor. habent *Si aldius aldia* (Sang. pro more *haldius haldia*) *uxorem tulerit*.

—, 17 *libertam tolerit uxorem*) Sang., Cav. et Epor. *liberta* (Cav. *libertam*) *tulerit uxorem*.

—, 18 *et filius*) *et* habet Verc.; rell. *si*.
habuerint) Ita Verc.; rell. *habuerit*.
patri) Ita Sang., tum Epor. a prima manu; *pater* Verc.; *patrem* Cav., Ma., Epor a secunda manu.

53, 19 *sint*) Solus Sang. *et sint*. Tum idem codex *haldi quales*.

CCXVIIII.

Hoc caput, nullo lacunae indicio, prorsus deest in Sang., ita ut superius caput CCXVIII ibi signetur numero *CCXXII*, proximum CCXX sit *CCXXIII*, et sic deinceps.
—, 23 *tolerit ad oxorem*) Ma. *duxerit uxorem*.
—, 25 *ancilla*) Cav. addit *invenitur esse*.

CCXX.

—, 29 *in casam — intraverit*) Haec legi nequeunt in Sang. In iis autem incipit fol. XXVIIa ejus codicis.
—, 30 *et servum*) Epor. *et si servum*.
tolerit) Ita Verc.; *tullerit* Epor.; *tulerit* rell.
—, 31 *consequantur*) Sang. et Ma. *consequatur*.
—, 32 *adduxit*) Verc. *adduxerit*.

CCXXI.

—, 39 *potestatem eam*) Epor. *eam potestatem*; Cav. omittit *eam*.
aut foris provincia) Desunt haec in Cav.; in Verc. verba *aut — transvendendi* adjecta sunt a recentiore manu.
—, 41 *mulieris*) Sang. *mulieres*.
faciendi quod voluerit) Sang. et Ma. *faciendi quod voluerint*; Cav. *quod voluerint faciendi*; Epor. *facere voluerit*.
—, 42 *distolerit*) Ita Verc. a prima manu; similiter Epor. a prima manu *distulerit*; Verc. a recentiore manu *distolerint*; Epor. a secunda manu, Sang., Cav., Ma. *distulerint*.
leceat) Ita Verc.; *liciat* Epor.; *liceat* rell.
—, 43 *ipsam*) Cav. *ipsam mulierem*.
curte) Sang. et Ma. *curtem*.
—, 44 *pisele*) Ita Sang.; *pysile* Cav.; *pesele* Verc. et Epor., quod jam praetulerim; *pensile* Ma. Confer Liutprandi cap. CLXII.

CCXXII.

Hinc incipit codicis Sangallensis fol. XXVIIb. Rubricam omittunt Cav. et Ma. Pro *gratiata* Sang. et Verc. *gratia*.
—, 49 *ad oxorem*) Sang. *sibi ad uxorem*.
deveat) Ita Verc.; Cav. *debet*; rell. *debeat*.
—, 50 *sic libera quod est*) Cav. *et sic libera quod dicitur*.
witribora) Ita Verc.; *wirdibora* Sang.; *guidribora* Ma.; *wiridibora* Cav.; *widerbora* Epor.
—, 51 *legetimam*) Hoc loco Verc. *legitimam*, Sang. ut nos; contra mox Verc. *legetimam* et *legetimi*, Sang. *legitima* et *legitimi*.
gairethinx) Ita Verc., Cav. et Ma.; *garethinx* Epor.; *gan(?) ethinx* Sang.
—, 52 *oxorem*) Ita Verc.; *uxore* Epor.; rell. *uxor*.
—, 53 *fuerent — heredis*) Ita Verc.; rell. *fuerint — heredes*.

CCXXIII.

In Cav. et Ma. prorsus deest rubrica; in Sang. (omissis scilicet verbis *heredis moritur. Si quis sine*) ea cum textu conglutinatur.
—, 58 *heredis*) Sang. et Cav. *herede*; Ma. *heredes*.
—, 59 *curtis*) Ita Verc.; rell. *curtem*.
perveneril) Sang., Cav. et Ma. *pervenerint*.
nec donato nec prestito) Ita Verc.; *nec donatu nec praestitu* Sang.; *nec donato nec praestitum* Epor.; *nec donata nec praestita* Ma.; *nec donatum nec prestitum* Cav.
—, 60 *prestetit*) Ita Verc.; rell. *prestitit*.
54, 1 *ponteficium*) Verc., Cav. et Ma. *pontificium*.
ad manum regis) Ita Verc. et Cav.; *ad manu regis* Ma.; *ad manu regia* Sang.; *ad manum regia* Epor.
—, 2 *et sine devitum*) Particulam *et* solus habet Sang., in quo ab ea incipit fol. XXVIIIa. Pro *devitum* idem cod. *debetum*.
—, 3 *aliquam repetitionem*) Ita Sang.; *aliqua repetitione* Epor., Cav. et Ma.; in Verc. deerat *aut aliquam*, recentior manus supplevit *aut aliam*.

CCXXIIII.

Hujus item capitis rubrica deest in Cav. et Ma.; Sang. et Epor. habent *De manumissionibus*. In codice Sang. hoc in quattuor capita dividitur, *CCXXVII*, *CCXXVIII*, *CCXXVIIII* et *CCXXX*; cui suffragatur index (non item textus) codicis Eporediensis. Sed potior reliquorum codicum auctoritas, in quibus haec, suadente etiam rubrica, unum caput constituunt, in quattuor veluti partes seu paragraphos distinctum, uti extrema capitis verba demonstrant: quin imo hanc paragraphorum distinctionem accurate servant optimi Verc. et Epor., hic etiam adposito (quem secuti sumus) suo singulis paragraphis numero; solius §i 1 numerus omissus est in Epor.: omnino desunt in codd. rell.
54, 7 *suum*) Deest in Verc.
—, 8 *dimittere*) Sang. *dimettere*.
—, 9 *fulfreae*) Ita Verc. et Epor.; *fulcfree* Sang.; *fulfre* Ma.; *fulfreal* Cav.
et) Ita Ma.; *aut* Sang. et Verc.; deest in Epor.; Cav. omittit *et a se extraneum*.
—, 10 *amund*) Ita Verc., Cav. et Ma.; *haamund* Sang.; *amuld* Epor.
devit) Ita Verc.; rell. *debet*.
—, 11 *primum*) Epor., Cav. et Ma. *prius*.
manum) Ita Verc.; rell. *manu*.
alteri) Verc. *alii*; Cav. et Ma. *alterius*.
homenis liberi) Sang. *homines libero*.
—, 12 *gairethinx*) Sang. *gairthinx*; Epor. *garthinx*.
ipsum confirmat) Sang. *in ipsum confirm*t*; Epor. *in ipso confirmet*; Ma. *ipsos confirment*; Cav. *ipsum firmet*.
secundus) Sang. et Verc. *secundum*.
—, 14 *quartum*) Verc. *quarta*.
eum) Deest in Sang., Ma. et Epor.
—, 15 *thingat*) Ma. et Epor. *thingit*.
in gaida et gisil) Cav. *in gaida et gisilis*; Ma. *in gaidagisil*
et sic dicat) Verc. omittit *et*; in Sang. duae priores voces cum margine abscisae sunt. vox autem *dicat* omittitur. Post haec incipit ejusdem codicis fol. XXVIIIb.
—, 16 *volueris*) Sang., Epor. a prima manu, Ma. *voluerit*.
ambolare) Ita Verc. et Epor.; deest in Cav.; *ambulare* Sang. et Ma.
habeas) Ma. *habeat*; in Sang. postremae litterae abscisae sunt.
—, 17 *Si sic*) Epor. *sed sic*; Cav. *et si sic*.
—, 18 *amund*) Ita Verc.; *ammund* Epor.; *haamund* Sang.; *aamund* Cav. et Ma.
ei) Deest in Sang. et Verc.
manit) Ita Sang. et Verc.; *manet* Ma.; *maneat* Cav.; *manebit* Epor.
nullam) Sang. et Epor. *nulla*.
—, 19 *patronus*) Sang. *patruus*.
ipsum) Sang. et Epor. *eum*.
filius) Ita Sang. et Cav.; *filiis* Epor.; *filium* Verc. et Ma.
—, 20 *habeat*) Sang. et Epor. *habeant*.
heredes) Verc. *heredis*; Cav. *herede*; Ma. *heredibus*. Tum *legetimus* Sang.; *legitimus* Verc. et Epor.; *legitimo* Cav.; *legitimis* Ma.
—, 21 *amund*) Ita Verc. et Ma.; *ammund* Epor.; *aamund* Cav.; *haamund* Sang.
mortuos) Ita Verc.; rell. *mortuus*.
—, 22 *succidat*) Ita Verc. et Sang., id est *succedat*, ut habent Cav., Ma. et Epor.
—, 24 § *2*) Epor. *K. II*; deest in rell.
Item alio kapitulo) Ita Verc.; desiderantur haec in rell. codd., et, receptis ex Epor. singulorum §orum numeris, fortasse rectius omittuntur. Cf. tamen notata ad initium §i 3.
et qui) Cav. omittit *et*.
—, 26 *amund*) Cav. *aamund*; Epor. *hamund*; Sang. *haamund*.
—, 27 § *3*) Epor. *K. III*; deest in rell.
Item alio kapitulo) Vide quae ad haec verba notavimus §o 2.
qui) Ita Verc.; rell. *Item qui*: in quibus vox *Item* forte superstes est e formula *Item alio capitulo*, quam iidem illi codd. omittunt.
fulfreae) Sang. *fulcfree*; Cav. *fulfreal*.
et quattuor) Hinc incipit codicis Sang. folium XXVIIIIa.
—, 28 *non dederit*) Verc. et Epor. omittunt *non*; obstant et reliqui codices et contextus. Item Epor. omittit *et amund — non fecerit*. Pro *amund* Ma. *aamund*; Sang. *haamund*. Cav. transfert *a se* post *extraneum*. Verc. omittit *non* etiam ante *fecerit*.
—, 29 *patronus*) Verc. *patrono*.
—, 30 *cum ipsum habeat*) Ma. et Epor. *cum ipso vivat*.
fratrem suum) Sang., Cav. et Ma. omittunt *suum*.
—, 31 *aut alium — Langobardum*) Sang. et Cav. *aut cum* (Cav. omittit *cum*) *alio parente suo libero Langobardo*; Verc. omittit *liberum*.
—, 32 *id est si*) Cav. omittit *si*; pro his Epor. *et*.
filias) Sang. *filia*.
legetimas) Ita Sang.; rell. *legitimas*.
fulfreae) Sang. *fulcfree*; Cav. *fulfreal*.
—, 33 *non dimiserit, patronus succedat*) Sang. et Epor. *non demiserit*, *patrunus* (Epor. *patronus*) *succidat*.
sicut — est) Pro *subter* Cav. *subtus*. In Verc. est tantum *sicut supra*: perperam, innuitur enim proximum caput CCXXV.
—, 35 § *4*) Epor. *K. IIII*; deest in rell.
Item alio kapitulo) Cf. notata ad haec verba supra §o 2.
—, 36 *quattuor vias*) Cav. *quattuor viis*.
—, 37 *manumissionum*) Verc. *manum missionum*; Epor. *manum missionum*.

54, 39 *ut*) Epor. et Cav. *aut*.
qualibit) Ita Verc.; rell. *qualiter*: dubia lectio.
liberam) Verc. *libera*.
—, 41 *cartolam*) Verc. *cartam*.
fecerit) Sang. *ficerit*; post quam vocem incipit fol. XXVIIIIb.
ei) Deest in Sang. In fine cod. Cav. addit: *ut supra dictum est: et si filii aut ipsa qui fulfreal factus est ad maritum ambulare contigerit, detur pro ea mundium sicut pro libera.* Haec e glossemate profecta puto; praesertim cum his similia, sed ampliora, habeant codd. Estensis, aliique recentiores, glossis passim referti, alio loco, id est in extremo §o 2.

CCXXV.

In Sang. est caput *CCXXXI*, sed numero omisso. In Cav. et Ma. desideratur rubrica. In ea pro *filius* Sang. *filio*.
—, 46 *fulfreae*) Sang. *fulcfree*; Epor. *fulfree*; Cav. *fulfreal*. Tum Epor. omittit *factus*.
—, 47 *legetimos*) Sang. *legetimus*; Cav. et Ma. *legitimos*; deest in Epor.
sint) Verc. *sit*.
heredis) Ita Verc.; *h̄d* Epor.; *heredes* rell.
—, 48 *si naturales—suam*) Haec omissa sunt in Epor. Pro *ipsi* Sang. *ipse*. Epor. addit *sicut supra constitutum est*: glossema quod in textum irrepsit.
—, 49 *casum facientem*) Ita Verc.; *casu facientes* Epor.; *casu faciente* rell.
heredis mortuos) Sang. *heredes mortuus*.
—, 50 *se vivo—proprias*) Cav. *res suas propria vivente se*.
—, 51 *andecawere et arigawere*) Ita Sang. et Verc.; *andicawere et aricawere* Epor.; *andegawere et arigawere* Ma.; *andegawere et arigabech* Cav. Post has voces Ma. inserit *id est*.
—, 54 *in libertatem*) Ita Sang., Verc., Epor.; *in libertate* Cav. et Ma.
patronum) Sang. *patrunum*.
—, 55 *ad*) Deest in Cav. et Ma.
heredis) Epor. *h̄d*.; Sang. et Ma. *heredes*; Cav. *heres*.
et si) *Si* Epor. Mox *aliquit* Verc.; *aliquid* rell.
—, 56 *doces*) Ita Verc.; *duces* Sang.; *ducis* rell. Schedae: « A vo- « cibus *privatorum hominum* codex Sangallensis est muti- « lus »; inferiore scilicet folii parte abscisa.
—, 57 *donum*) Post hanc vocem Epor. addit *munus*: glossa quae in textum irrepsit; contra Ma. addit *manu sue*.
—, 58 *si*) Epor. *et*; deest in Ma.
—, 59 *dereliquerit*) Verc. *reliquerit*.
suo) Deest in Verc., et abesse commode potest.

CCXXVI.

Hinc incipit codicis Sang. fol. XXVIIIIa.
55, 3 *Omnes*) Sang. *omnis*.
—, 4 *meruerunt*) Sang. et Epor. *meruerint*.
legibus) Sang. *legebus*.
benefactorum suorum) Ita Cav., Ma., Epor.; *benefactoribus* Sang. et Verc.
—, 5 *deveant*) Ita Verc.; rell. *debeant*.

CCXXVII.

Cav. et Ma. rubricam omittunt.
—, 10 *solum aedificandum*) Sang. et Epor. *solum ad aedificandum*. Mox pro *casa* Sang. *casam*. Pro *id est—mancipiata* Ma. *id est casam mancipio aut solum aedificandum*.
—, 12 *presentes*) Sang. *pres*|. « Post primam syllabam vocis *presentes* « codex Sangallensis usque ad finem hujus legis n. 233 « est mutilus. » Ita schedae.
—, 13 *ejus*) Cav. *ipsius*.
dicendo) Deest in Cav.
—, 14 *libellus scriptus*) Ita Epor.; *libellos scriptos* Cav.; *libellum scriptus* Verc.; *libellum scriptum* Ma.
—, 18 *eum*) Deest in Verc.
—, 20 *possedere*) Ma. *sedere*.
conparavit) Cav. *paravit*.

CCXXVIII.

« Etiam in isto legis n. 234 praefatus codex (Sangallensis) deficit, « exceptis quibusdam tantum, quae cum impressis con- « veniunt. » Ita schedae. — Ceterum in Cav. et Ma. deest rubrica.
—, 24 *alium*) Verc. *alii*.
—, 25 *possedeat*) Epor. *possidere*.
—, 26 *quod*) Ab hac voce vel paulo ante incipit codicis Sang. fol. XXXa.

55, 27 *aut per sagramentum*) Epor. omittit *aut*.
—, 28 *pugnam*) Sang. *pugna*.

CCXXVIIII.

In rubrica (quae in Cav. et Ma. desideratur) pro *alienam* Verc. *aliena*.
—, 33 *Si quis rem*) Verc. *Si quis rē*. In Ma. omittitur *rem alienam, id est*.
servo) Ita Verc.; Sang. *servus*; rell. *servum*. Post hanc vocem Ma. addit *alienum*.
—, 34 *res*) Pro *res* Cav. *mobiles*.
sciens — suas) Ita Verc.; *sciens rem alienam esse non suam* Sang. et Cav.; item Ma. et Epor., sed omittunt *rem*.
—, 35 *transvindederit*) Ma. *vendederit*.
—, 36 *actogild*) Ita Verc.; *actugild* Sang.; *actigild* rell.
eam) Verc. *eum*.
ignorantiam) Sang. *ignorantia*.
—, 37 *credens suum*) Epor. *credendum suum* fortasse verius: Italice *credendolo suo*.
—, 38 *et reddat*) Ma. et Epor. omittunt *et*.
notrimen suum) Ita Verc.; *notrimen suo* Sang. et Epor.; *nutrimine* Ma.; *nutrimine suo* Cav.
—, 39 *qualiter scit*) Sang. *qualiter se scit*.

CCXXX.

In Cav. et Ma. deest rubrica.
—, 43 *Si quis*) Hinc incipit codicis Sang. fol. XXXb.
lebrosus) Ita Verc. et Epor.; *lebrusus* Sang.; *leprosus* Cav. et Ma.
—, 44 *demoniosus*) Ita Verc. et Cav.; *demuniosus* Sang.; *demoniacus* Ma.; *demoniaca* Epor.
si) Epor. *qui*.
—, 45 *singolus*) Sang. *singulos*; Cav. et Ma. *singulus*.
—, 46 *conscientiam*) Sang., Cav., Ma. *conscientia*.
ejus) Ita Verc.; rell. *ipsius*.
ipsam infirmitatem) Ita Verc.; *ipsa infirmitate* rell.
—, 47 *eum*) Verc. *eam*.
non calomnietur) Ita Verc.; *eum non calumnientur* Epor.; *non calumnietur* rell.

CCXXXI.

Cav. et Ma. rubricam omittunt.
—, 52 *alienam*) Hanc vocem solus habet Verc.
—, 53 *revertant*) Ita Sang. et Epor.; *revertantur* Cav. et Ma.; *redeant* Verc.
—, 54 *auctorem*) Sang. *aucturem*; et mox *auctur*.
vindigare non potuerit) Sang. *vindicare non potuerit*.
—, 57 *et reddat*) Sang. et Epor. omittunt *et*.
in diae illa) Sang. *in diem illam*.
—, 58 *accepit*) Epor. *accipiat*.
et ancillam ipsam) Epor. *Tunc illa ipsa*. Hinc autem incipit codicis Sangallensis fol. XXXIa.
—, 59 *si ancilla ipsa*) Epor. omittit *ipsa*.
post tempore) Ma. *post emptorem*.
56, 1 *poterit*) Sang. et Epor. *potuerit*; Cav. et Ma. *potuit*.
filius ipsus) Male Sang. *filius ipsius*, et Ma. *filios ipsius*; est enim pro *filios ipsos*, ut habet Epor.; Cav. *filios*, et omittit *ipsos*.
—, 2 *reconparit*) Cav. *comparet*.
—, 3 *retradat*) Cav. et Epor. *reddat*; Ma. *redatur*.
matris) Pro *matrem*, ut habent Cav. et Ma.; *matre* Epor.
—, 4 *mortuos*) Ita Verc.; rell. *mortuus*.
heredis legetimus) *heredis* Verc.; *heredes* Sang.; *h̄d* Epor.; *herede* Cav. et Ma. Tum *legetimus* Sang.; *legitimus* Epor.; *legitimos* Verc.; *legitimo* Cav. et Ma.
videvatur obscuro) Ita Verc.; *videbantur obscurum* Cav.; *videbatur obscurum* rell.
—, 52 *enetiscat*) Ita Verc., pro *enitescat*, ut Ma. et Par. 4614; *innotescat* Cav.
primum omnium) *Primo omnium* Cav., qui haec et rubricam capitis bis habet; Ma. vocem *omnium* omittit, et *Primum* habet post capitis numerum cum rubrica. Contra Verc. et Par. 4614 ipsam rubricam cum prologo conjungunt.

I (VII).

Rubricam Verc. et Par. 4614 habent prologo conjunctam; Par. 4613 et Ma. suo loco, sed hic addita voce *Primum*; deest in Epor.; in Cav. bis legitur: nam prologus desinit *Primo omnium de morgincaph mulieris*, ac dein rubro colore *Primo omnium de morgincapud mulieris*. Verc. habet *morgincap*; Par. 4613 *morginkap*; Ma., ut Cav., *morgincaph*.
—, 57 *morgincap*) Verc., etiam in indice, et mox iterum bis in hoc capite *mongingap*; in rubrica, et semel in hoc capite, *morgincap*, facili varietate inter simillimas litteras in veteribus manuscriptis. Cav. et Ma. ubique in hoc capite habent *morgincaph*; Epor. *morganicap*.
conjogi suae) Verc. *conjogissuae*; similiter Ma. *conjugis suae*; Epor. *conjuge suae*. Verc. in indice haec duo verba omittit.
—, 59 *dicernimus*) Ita Verc.; rell. *decernimus*.
100, 3 *dedi*) Cav. et Epor. mendose *dedit*.
perjurio) Cav. et Ma. *perjurium*.
—, 6 *Si quis*) Ita Verc.; codd. rell. et edd. *Si quidem*.
—, 7 *ipsa quarta portio*) Ma. *ipsa quarta portionem*; Cav. *ipsam quartam porcionem*.

II (VIII).

Rubricam solus habet Epor.
—, 14 *Si qualiscumque*) Cav. *Si quis qualiscumque*.
conlibertus aut parentis) Ita Verc.; rell. *conlibertos aut parentes*.
—, 15 *fuerit*) Post hanc vocem Cav. et Ma. male addunt *intentio*.
—, 16 *reprovetur*) Ita Verc.; *reprobetur* Cav. et Ma.; *reprobentur* male Epor. Optime *reprovetur*, seu quod Itali dicimus *non si riprovi*, *non si ritenti*, seu, non iterum lis inde moveatur.
—, 17 *testimonio*) Verc. *testimonium*.
—, 18 *autem*) Deest in Cav.
—, 19 *testimonium*) Deest in Cav.
reddiderint) Verc. *redderent*.
—, 22 *quibus fides amittitur*) Ita Verc., Cav., Epor.; *quorum fides admittitur* Ma.

100, 23 *possent*) Ita Verc. ; *possint* Ma. et Epor. ; *possit* Cav.
—, 26 *a missom*) Pro *ad missum*, ut Cav. et Ma. Ceterum non modo Verc., in quo codice nulla est verborum distinctio (est in eo *amisso*), sed etiam Epor. habet conjunctim *amisso*.
—, 27 *obfuscetur*) Epor. *obfuscentur*.
wadia) Ma. *guadiam* ; Cav. *gud'*.
oblicatio) Ma. et Epor. *oblegatio*; Cav. *obligatio*.
—, 30 *gloriosissime*) Ita Verc.; similiter *gloriosissimus* Cav., Epor., edd. praeter Heroldum; *gloriosae memoriae* Ma. et Heroldus.

III (VIIII).

Rubricam habent Par. 4613 et Epor.
—, 33 *suum*) Deest in Verc.; adest etiam in Par. 4613.
—, 34 *manos*) Ita Verc. ; *manis* Epor. ; *manu* Cav. ; *manum* Ma.
—, 35 *sacrum altarem*) Ita Verc. et Epor.; *sacrum altare* Ma.; *sacro altario* Cav.
—, 36 *fulfreal*) Solus Cav. *fulfread*.
—, 37 *et qui*) Epor. omittit *qui*.
—, 38 *fulfreal*) Cav. iterum *fulfread*.
—, 39 *nulla conditione*) Ita Verc. et Epor.; *nullam condicione* Ma.; *nullam condicionem* Cav.
debeat) Cav. *habeat*.
—, 40 *filia*) Ita etiam Heroldus et Walter; male autem *filii* habent Cav., Murat., Georgisch, Canciani, obstantibus quae mox sequuntur.
ejus) Epor. *ejus habere*, male.
est statutum) Ita Verc.; rell. *statuimus*.
—, 41 *masculi*) Ma. *masculini*.
—, 44 *quam*) Cav. *nisi*.
solidos tres) Ita Epor.; *sol. tres* Verc.; *tres solidi* Cav.

IIII (X).

Rubricam habent Par. 4613 et Epor., sed hic *Item de libertatis*.
—, 49 *aut unum*) Ma. omittit *aut*.
—, 51 *qui postea*) Cav. *postea qui*.
—, 54 *earum*) Solus Ma. *eorum*.

V (XI).

Rubrica est in Par. 4613 et in Epor.
—, 58 *Si servus*) Cav. *Si quis servum*.
in fuga) Verc. in indice *in pugna*. Cf. notata ad Grimowaldi cap. III.
—, 59 *in ipsa fuga*) Ita Cav., Ma.; *per ipsa fuga* Epor.; *ipsa fuga* Verc.
101, 2 *intra provincia*) Ma. *se in provincia*.
dilataverit) Cav. *se dilaberit*.
—, 4 *menses*) Verc. *minis*, videlicet pro *minsis*.
—, 5 *aut — invenerit*) Cav. omittit haec, et mox *furti — servus*, errore amanuensis ob recurrentes similes voces.
—, 6 *ipsum*) Deest in Cav.
—, 8 *manefestus*) Ita Verc.; *manifestum* Cav. et Ma.; *manifestatum* Epor.
—, 9 *ejusdem*) Cav. *isdem*.
non — ejus) Cav. *servis ejus non fecisset*.
—, 10 *per pugnam*) Cav. *aut per pugnam*.

VI (XII).

Rubricam soli habent Epor. et Par. 4613.
—, 15 *duodecim*) Ita Epor. ; rell. *XII*.
aut spunsaverit) Cav. omittit *aut*.
—, 17 *Edictum*) Male Cav. *in edictum*.
—, 18 *nongenti*) Ita Epor. ; rell. *DCCCC*.
—, 20 *et in*) Cav. omittit *et*.
—, 21 *suprascriptum tempus*) Cav. *statutum tempus*.
ipsa sibi) Cav. *sivi ipsa*.
—, 23 *suprascriptos*) Verc. *sstum*.
—, 25 *sit*) Epor. *si*.
—, 26 *aut frater*) Ma. et Epor. *et frater*.
—, 27 *aut in quali etate*) Epor. *aut quali etatem* ; Cav. *aut quale etatem*.
—, 29 *quoniam*) Deest in Cav.
ideo) Epor. *ineo*.
—, 30 *dare non debeant*) Cav. *non debeat dare*.

VII (XIII).

Rubricam habent Epor. et Par. 4613.
—, 40 *masculinum*) Cav. *masculum*.
—, 41 *instituissimus*) Ita Verc. ; *instituissemus* Ma. et Epor. ; *instituisset* male Cav. ; referenda enim haec ad cap. I De anno I.

101, 42 *omni*) Ita Ma.; *omnis* Verc., repetita littera e sequente voce; *omnibus* Epor. ; *omnem* Cav.
—, 44 *ejusdem*) Cav. *ejus*.
illi qui) Epor. mendose *ille*, et omittit *qui*.
per caput) Cav. *pro caput*.
—, 45 *fimeneo sexu*) Ita Verc. ; *feminee sexu* Ma. et Epor. ; *femineum sexum* Cav.
—, 46 *provatur*) Ita Verc. ; similiter Epor. *probatur* ; Cav. et Ma. *probantur*.
levare) Ita Verc. et edd. praeter Heroldum; Cav., Ma., Epor., Estensis apud Murat., Heroldus *liberare*, quod minus probo.
—, 48 *suprafati*) Cav. mendose *supra fratres aut* ; Ma. *supradicti*. Tum Cav. *propinquiores*.
—, 49 *si propinqui*) Cav. *si fratres aut propinqui* : errore orto ex alio mendo super memorato.

VIII (XIIII).

Rubrica deest in Cav. et Ma. In Epor. deest *una alterius*. In Par. 4613 pro *una alterius succedere debeant* est *una alteri succederit*. Ut nos etiam Verc. in indice.
—, 59 *in omnibus*) Ita Verc. et Epor.; *in omni* Ma.; *in omnem* Cav.
102, 1 *tunc et quae*) Pro *et* Ma. *ea*; deest in Cav.
—, 2 *sorori suae*) Rectius forte *sororis suae*, ut Epor.
—, 3 *fuerit*) Cav. *sit*.
—, 5 *nam de — percipiant*) Deest in Cav. Pro *percipiant* Epor. *accipiant*.
—, 7 *illa mori*) Id est *illam mori*, ut Ma.
—, 8 *succedat*) Ita Cav., Ma. et Epor. a secunda manu ; Epor. a prima manu, et Verc. *succedant*.

EPILOGUS.

Epilogus deest in Ma. et Epor. ; adest in codd. rell. et in edd. In Cav. praefert numerum capitis *XV* ; in Par. 4613 *XVI* ; etiam in Verc. peculiari numero distinguitur, itemque in edd., excepta Heroldina.
—, 10 *Si autem*) Cav. *Si quis autem*.
emerserent) Ita Verc. ; *emerserint* Par. 4614 ; *emerserit* rell.
—, 11 *Excellentia nostra*) Verc. *excell' nostra*; Par. 4613 *Excellentissimus noster*.
—, 12 *hoc est*) Par. 4613 omittit *est*.
—, 13 *quintadecima*) Par. 4613 *XIIII* ; Cav. *VI*.
nostri) Cav. *mei*.
—, 14 *quinto*) Ita Verc. ; codd. rell., edd. notam exhibent *V*.
terminentur) Par. 4613 *terminetur*.
—, 16 *ut supra*) Ita Verc., Par. 4613 ; *et* Cav., Par. 4614.
—, 17 *antea de talibus*) Cav. *de talibus ante*.
—, 18 *sicut prius cognuscuntur*) Cav. *sicut agnoscuntur*. — In fine cod. Estensis, atque ex eo Murat. et recentiores edd. addunt verba *Quae denique — praecipimus*, repetita e prologo anni I.

—, 21 *Explicit — quinto.*) Ita Epor. et Par. 4613; Verc. omittit *de*; reliqui omnia omittunt.

DE ANNO VIII.

VOLUMEN TERTIUM.

—, 24 *Incipit — octabo*) Pro *Incipit* Cav. *Prologus*; deest vox in Ma. Tum Verc. et Par. uterque omittunt *de*. Dein *octabo* Verc., Cav.; itemque *octavo* Par. 4614; *VIII* Epor.; *nono* Par. 4613, sed in prologo et in fine Edicti verum annum exhibet; *nono* etiam Ma., de quo mox. Par. 4614 praeterea aliam prologo rubricam ex ingenio affingit; Ma. autem addit *Prologus*. — Sed hic notandum, in codicibus Cavensi et Matritensi, in Liutprandi Edicto ex eodem, quamvis remoto, fonte derivatis, capitula XVIIII — XXVIII voluminis quarti (ipsum scilicet volumen, excepto epilogo et addititio capitulo XXVIIII) capitibus tertii voluminis praeponi; qui error ex ipso archetypo ortus videri potest, unde hi codd. derivati sunt, in quo universum Liutprandi Edictum ex singulorum annorum Edictis consarcinatum, prologus autem et capitula (XVIIII — XXVIII) anni noni bibliopegae oscitantia ante Edictum anni octavi (XV — XVIII) consuta fuerint. Sed cum errorem inscriptiones et prologi indicarent, in Ma., inscriptione et prologo anni VIII omissis, capitula XVIIII—

xxviii priore quidem loco descripta sunt, sed retenta rubrica et prologo anni VIIII; capitula vero anni VIII, cum jam media fierent inter Edictum anni VIIII et Edictum anni XI, amanuensis anno X tribuit, prologo omisso. Sed in his non substitit Cav.; in eo enim non modo capita posterioris Edicti primo quidem loco posita sunt, sed retenta inscriptione et prologo anni VIII; verum etiam capitibus quae apud nos sunt xxv—xxviii, in eo vero codice xxi—xxiiii, ne mentio quam reppererat anni VIIII interiret, hanc anni (in textu, non item in indice) notam praefecit, et spurium prologum e parte genuini prologi de anno VIIII consarcinatum; demum, servato ipso prologo anni VIIII, sed anni et indictionis numero mutato, eum anno decimo aptavit, et subjecit capitula nostra xv—xviii. Sed haec errori amanuensis seu compactoris tribuenda esse, neque Edictum anni VIII in duo dividendum, ut in Cav. factum est, ipse cod. Cav. demonstrat, in quo, ut in reliquis codd., *quartum*, *quintum* et *sextum* volumen in prologis eadem appellantur quae apud nos, quae secus *quintum*, *sextum* et *septimum* futura essent. Praeterea utriusque codicis ordini repugnat et ceterorum omnium auctoritas, et ipsorum codicum testimonium, in quibus ipsis Volumen III, et speciatim ejusdem caput ii, tribuitur anno VIII et indictioni III (in cap. ii anni VIII et in prologo anni VIIII), Volumen IIII autem, et nominatim caput nostrum xxiiii, indictioni IIII, id est anno VIIII (in epilogo ejusdem anni): ut ordo quem hi codices exhibent cum indubia voluminum et annorum serie, quin et cum suo ipsorum testimonio, convenire nullomodo possit.

In Ma., ut nuper monuimus, deest hic prologus; in Epor. et in Par. 4613 breviatus est.

102, 31 *Ego*) Cav. *Modo vero ego.*

, 32 *Liutprandi*) Cav. *Liudprand*; Par. 4614 *Liutbrand.*

felicissime) Par. 4614 *felicissimus.*

Langobardorum) Par. 4613 *Langubardorum.*

—, 33 *octabo*) Ita Verc.; *octaba* Par. 4613; *octavo* Cav. et Par. 4614; *VIII* Epor. et edd.; nullus *nono.*

diae) Deest in Cav.

, 34 *indictione*) Par. 4613 *indictio.*

tertia) Epor. et Par. 4614 *III*; nullus *quarta*. Quae sequuntur omissa sunt in Epor. et Par. 4613, in hoc tamen addita voce *feliciter.*

—, 35 *veris*) Id est *viris*, ut habet Cav.; deest in Par. 4614.

Neustriae, *Austriae et Tusciae partibus*) Cav. addit *de* post *et*; rectius Heroldus addit *ex* ante *Neustriae.*

—, 37 *titulis*) Par. 4614 *tituli*. Nota autem appellationem huc e libris juris Romani, quamquam minus apte, translatam.

—, 38 *leguntur*) Par. 4614 *legitur.*

subtiliter) Ita etiam edd.; male Verc. *salubriter.*

perscrutassemus) Ita optime Verc.; *pertractassemus* Cav., Par. 4614, Heroldus; *scrutavimus* edd. rell.

—, 39 *presentem*, *quam sequens*) Ita recte Verc.; *presente sequens* Par. 4614; *presentes seques* Cav.; etiam editionum lectio corrupta est.

—, 41 *previdemus*) Par. 4614 *previdimus*; Cav. *providimus.*

legem) Cav. *leges.*

primum omnium) Haec solus habet Par. 4614.

I (XV).

Ob numeratos epilogos annorum I et V, hoc caput signatur numero *XVII* in Par. 4613.

—, 47 *cuicumque*) Epor. *quicumque.*

wadia) Ita Verc., Epor., atque etiam Cav.; Ma. *guadiam.*

—, 48 *presentia*) Epor. *pretium.*

—, 50 *et pigneratus*) Ma. *et quis pigneratus.*

in quibus) Cav. et Ma. omittunt *in.*

—, 51 *lecitum*) Ita Verc. et Epor., Italica forma; Cav. et Ma. *licitum.*

est) Epor. *fuerit.*

pignerandi) Ma. *pignerare.*

—, 53 *ut dublum*) Ita Verc. et Epor.; *ut in duplum* Cav. et Ma.

—, 54 *et devitorem*) Deest in Ma.

—, 57 *Rotharene*) Ita Verc. et Epor.; *Rothari* Cav. et Ma.

instituere) Hanc lectionem retinuimus ob consensum codicum Verc. et Epor.; Cav., Ma., edd. *institutum est.*

—, 59 *eorum testimonium*) Ita Verc. a prima manu et Epor.; *in eorum testimonium* Verc. a recentiore manu; *in eorum testimonio* Ma.; *eorum testimonio* Cav.

sacramentum) Epor. *sacra.*

103, 4 *wadiatur*) Ita recte Verc. et Epor.; Cav., Ma., edd. *wadia* seu *guadia datur.*

—, 5 *quasi*) Deest in Cav.

II (XVI).

Hoc iterum capitulum in Par. 4613 signatur numero *XVII*, quapropter capitum numeri ab hinc jam unitate differunt a nostris.

103, 10 *mutuaverit*) Ita recte Verc., Cav., Par. 4613, edd.; *mutaverit* Epor.; *commutaverit* Ma.

solidos) Cav. *sol'*; Epor. *solus.*

—, 11 *creditor*) Cav. a prima manu, Epor. *creditur.*

—, 12 *solvere*) Ma. *solvere possit*; glossa.

—, 13 *usque ad annos*) Epor. *usque annos.*

—, 14 *redderit*) Ita Verc.; rell. *reddiderit.*

—, 16 *judicem civitatis*) Ex quo arguas *judices* vocari duces, gastaldios, comites, quibus nempe integra civitas subjiciebatur; uti e converso sculdahis pagis praepositi fuere, nec nobiliore judicum appellatione comprehensi.

—, 17 *ipsa cautionem*) Ita Epor.; *ipsa cautione* Verc.; *ipsam cautionem* Ma.; *ipsa caucio* Cav.

et heredes) Solus Ma. *aut heredes.*

—, 18 *cautio*) Ma. *cautionem.*

—, 19 *bes*) Ita Verc., pro *bis*, ut codd. rell. Antiquior fortasse illa et in vulgo servata dicendi forma, ex qua ortum *bes*, *bessis*, assis octo unciae, seu duae e tribus partibus.

neque principem vel judicem) Esse crediderim pro *neque principi vel judici*, ut edd. Georgisch, Canciani, Walter; item codex Cathedr. Mutin. *neque principi neque judici*; contra Cav., Ma., Heroldus, Murat. *neque per principem aut* (Heroldus, Murat. *aut per*) *judicem.*

—, 20 *sibe*) Ita Verc., ut saepe alias, et Cav.; Epor. *sibi*; Ma. *sive.*

—, 21 *juvemus*) Ita Verc. et Cav.; rell. *jubemus.*

—, 22 *devitoribus suis*) Cav. *devitorem suum*; Ma. omittit *suis.*

requirendum) Ita Cav. et Epor.; Verc. *requirendam*; Ma. *requirendi.*

—, 25 *tertia*) Ita, plenis litteris, non modo Verc. et Epor., sed etiam Ma.; Cav. autem *IIII*: quamvis in utroque hoc codice capita ista ad annum Liutprandi decimum, seu ad indictionem quintam, referantur.

—, 26 *ut renobintur*) Ita Verc.; similiter *ut renoventur* Cav. et Epor.; *ut aut renoventur* Ma.

exegantur) Ita recte Verc.; similiter Ma. *exigantur*; Cav. et Epor. *exsequantur*. Praeterea Ma. addit *debitum*, et Cav. *devitos*: perperam.

—, 27 *devitores suos*) Epor. *debitoribus suis*; Cav. *devitor suo.*

—, 28 *ut aut—reddant*) Pro his Cav. *aut caucione renovare aut debitum exigendi*. Pro *reddant* Ma. *reddantur*, nec male.

—, 29 *et*) Verc. et Ma. *et si*, quod ferri potest; deest in Cav.

neclegentia fecerit) Ma. *neglectum fecerint*; Cav. *neglexerit.*

—, 30 *ipsa devita requirendum*) Ita Verc.; *ipsa debitam requirendum* Epor.; *ipsa debita requirendi* Ma.; *ipsum devitum requirendum* Cav.

—, 32 *finiant*) Ita Verc. et Cav.; *fiant* Epor.; *fiat* Ma.

III (XVII).

—, 34 *Si fratr*) Ma. *Si quis frater.*

fratrem) Cav. *fratrem suum.*

occiderit) Ma. *interemerit.*

—, 35 *hoc*) Epor. *et hoc*; Cav. *et*; deest in Ma.

ut) Cav. *aut*; deest in Epor.

—, 36 *nos*) Cav., Ma. *quod nos.*

succedat) Verc. *succedant.*

—, 39 *substantia*) Verc. *substantiae.*

—, 40 *reliquerit*) Male Cav. *non reliquerit.*

—, 41 *dare*) Ma. *ei dare.*

—, 44 *eum*) Ita Verc., Epor.; *eam* Ma.; deest in Cav.

—, 45 *fratrem*) Ma. *fratres.*

—, 46 *his*) Ita Verc., Ma., Epor. pro *is*; Cav. *hi.*

—, 47 *filii ipsius*) Cav. *filii ejus.*

—, 49 *proximi*) Verc. *proximus.*

gratos) Ita Verc. pro *gradus*, quod habent codd. rell.

—, 50 *qui ei*) Cav. *quod ei.*

—, 51 *succedant*) Ita Verc., Cav.; *succedat* Ma. et Epor.

—, 52 *illius*) Epor. *ipsius.*

IIII (XVIII).

Rubricam solus habet Epor.

—, 57 *negotium*) Cav. *negocio*; Ma. *pro negotio.*

vel pro) Cav. omittit *pro.*

—, 58 *artificio*) Epor. *artificium*; Cav. *artificum.*

104, 1 *in tres annos*) Ita recte Verc. et Epor.; *in tercio annos* Cav.; *intra tres annos* Ma.

—, 2 *et forsitan*) Cav. *et si forsitan.*

—, 4 *habeant*) Male Cav., Ma. *habeat.*

104, 5 *et cuicumque*) Cav. *et si cuicumque*.
filios) Ita Verc. et Epor. pro *filii*; Ma. contra *filius*; deest in Cav.
post) Deest in Ma.
—, 6 *constitudo*) Ita Verc.; rell. *constituto*, ut infra etiam Verc.
cautionis — oblegationes) Cav. habet tantum *caucionem*; Ma. omittit *aut qualicumque oblegationes*.
—, 7 *fecerent*) Ita Verc.; *fecerint* Epor.; *fecerit* Cav. et Ma.
—, 8 *vel sua*) Cav. *aut sua*.
—, 13 *ipsorum*) Ita Verc.; *eorum* Ma., Epor.; *ipsius* Cav.
et patris) Male Cav. *et patris et matris*.
substantia) Verc. *substantiae*.
—, 14 *regia*) Ita Verc.; *regiam* Cav. et Ma.; *regis* Epor.
devolvantur) Cav. *revolvantur*; Ma. *desolvantur*.
—, 15—16 *fràtres—habueret*) Haec omissa sunt in Cav., errore orto e recurrente voce *habuerint*.
—, 17 *non fuerent*) Ita solus Verc.; codd. rell., edd. *inventi fuerint*.
qui ei legibus) Ita Verc., Epor.; *qui legibus* Ma.; *qui legitime* Cav.
—, 18 *curtis regiae succedant*) Ita Verc. et Epor.; *curtis regia ei succedat* Ma.; *curtis regia succedat* Cav.
—, 20 *suprascripto*) Cav. *prescripto*.
tres annos) Cav. *tercio annos*.
—, 22 *et qualiter*) Cav. omittit *et*.
—, 23 *aut — ordinaverit*) Deest in Epor. Pro *aut causa* Ma. *aut de causa*.
—, 26 *ipsi*) Deest in Cav. et Ma. — Post hoc caput in utroque hoc codice immediate sequitur quod apud nos, et in iis ipsis codicibus, est cap. *XXVIIII*. Cf. quae ad id caput notabimus.
—, 29 *Explicit—octabo*) Haec habent Verc., Epor., Par. 4613; sed omnes omittunt particulam *de*, ac praeterea Verc. et Par. 4613 habet pro vocabulo notam *VIII*.

DE ANNO VIIII.

VOLUMEN QUARTUM.

—, 32 *Incipit—nono*) Hanc inscriptionem suo hoc loco habent Verc., Epor., Par. uterque. De Cav. et Ma. monuimus initio tertii Voluminis; uterque scilicet volumini quarto (*quintum* est in contextu codicis Cavensis) praeficit notam *Incipit prologus* (desunt in Ma. duo haec verba, cum nullus anno decimo in eo codice prologus praeponatur) *de anno decimo*. Ceterum pro *Incipit* Par. 4614 *Incipiunt*. Verc., Par. 4613, Epor. omittunt *de*. Pro *nono* Par. 4613 *VIIII*.

PROLOGUS.

Prologum hunc, ut monuimus, Ma. tertio volumini, seu anno nono, praeficit; Cav. posteriori volumini, seu anno decimo, mutatis etiam in contextu anni notis. Epor. et Par. 4613 breviatum exhibent.
—, 37 *Liutprand*) Cav. *Liudprand*.
—, 38 *rex*) Hanc vocem Cav. transfert post *Langobardorum*, Epor. omittit.
dilecte) Cav. *dilecto*.
—, 39 *reminiscor*) In Epor. omittuntur verba *reminiscor—comparuerunt*; in Par. 4613 *reminiscor — Nunc autem*.
quoniam) Ma. *quia*.
—, 42 *in octabo*) Cav. *et in octavo*. Tum Verc. et Par. 4614 perperam addunt *in nono*. Post has voces deerat folium in codice Verc., usque ad proximi capituli verba *judicare quod*: manu autem saeculi X lacuna in folio inserto suppleta est, transcripta reliqua prologi parte, et integro proximo capitulo, cujus ideo postrema verba bis leguntur. Valde autem scribendi ratio in hoc uti in ceteris supplementis hujus codicis discedit a vetustiore ejusdem scriptura, ut codici Eporediensi pressius adhaerere coacti fuerimus.
nostri anno) Verc. *nostri et anno*.
indictione) Verc. *indicione*; Cav. *Idest*, male interpretato scripturae compendio.
—, 43 *undecima, quintadecima, et tertia*) Ita Verc. et Ma.; *undecima et XVa et tercia* Cav.; *XI*, *XV et III* Par. 4614.
ea) Ma. *et*.
quae) Verc. et Cav. *que*.
—, 45 *Nunc autem anno*) A vocibus *Nunc autem* prosequitur Epor.; a voce *anno* Par. 4613. Pro *anno* Cav. *annos*.
nostri) Epor., Par. 4613 *mei*.

104, 46 *nono*) Cav. *decimo*, et mox *indic. quinta*: cf. quae supra notavimus.
die) Deest in Verc.
quarta) Par. 4614 *IIII*; Cav., ut monuimus, *quinta*. Hoc autem loco prologum abrumpunt Epor. et Par. 4613, sed hic addito *feliciter*.
—, 47 *recurrentes*) Verc. *requirentes*; Par. 4614 *recordantes*.
antiquioris) Cav. *antiquiores*; Verc. *antiquo*.
Edicti) Cav. *aedita*.
—, 48 *judicibus*) Par. 4614 *ducibus*.
iterantes) Ita Cav; *ederatis* Verc.; *in*....... Murat. e codice Estensi, Canciani, Georgisch; *iteratis* Par. 4614, Heroldus, atque ex eo Walter; *iteratis rationibus* Ma.
et) Cav. *atque*.
—, 50 *juxta*) Verc. et Ma. *justa*.
Deo) Par. 4614 *domino*.
—, 51 *recta*) Deest in Verc.

I (XVIIII).

Inscriptionem *Cap. I* habet Verc., cujus supplementa leges Liutprandi a singulis Edictis numerant, ut Epor. et Par. 4614.
De aetate—etas) Haec verba, quae in edd. et in codd. rubricam constituunt (in Cav., ut pleraeque rubricae, omittuntur), commode etiam ad textum referri possent. Ceterum ut nos Verc. in indice, a qua scriptura nonnisi in levioribus et orthographicis reliqui differunt.
—, 56 *prospeximus*) Cav. *perspeximus*.
—, 57 *alienandum*) Ita Ma., Epor., Par. uterque; *alienando* Cav.; *alienare* Verc.
—, 58 *excepto*) Verc. *exepto*.
105, 1 *principis*) Epor. *principi*; Verc. *principem*.
istius) Male Cav. *ipsius*.
dandum) Ma. *dandi*.
ipsum debitum) Cav. *ipse debitus*.
—, 5 *onera*) Ita Ma., Heroldus in marg., et edd. rell.; *onus* Heroldus in marg.; *onorem* Verc.; *honorem* Cav., Heroldus; *honores* Epor.: procul dubio scriptum fuit *honerem*.
propter) Verc. *et propter*.
—, 6 *sui*) Verc. *suis*; Cav. *sua*.
—, 7 *ipsum*) Cav. *ipsum opus*.
—, 8 *ad ipsum infantulum*) Verc. *ab ipso infantulo*.
—, 9 *negligentia*) Verc. *neclectum*.
proveniat) Ita Epor.; rell. *perveniat*.
homini Langobardo) Verc. *omini Langobardi*.
—, 11 *quodcumque*) Epor. et Cav. *quocumque*.
—, 12 *stabili ordine*) Ita etiam edd.; solus Verc. *stabilem*.
—, 13 *definimus*) Ita Epor.; *difinimus* Verc.; *defiuivimus* Ma.; *definibimus* Cav.
—, 14 *decem et octo*) Ita Verc., plenis litteris; similiter Cav. *X et VIII*; favent etiam edd. Murat. et posteriores. At Ma. *nonodecimo*; et corruptius Epor. *decim et novem*, et Heroldus *XIX*: vide infra cap. CXVII. Tum Verc. *annis*; rell. *annos*, etiam Ma.
—, 15 *mortis periculum*) Verc. *mortem periculo*.
—, 16 *pro animam suam*) Ita Verc.; rell. *pro anima sua*.
—, 17 *senodochio*) Ita Epor.; *senodohio* Verc.; *sinodochio* Cav.; *xenodochio* Ma.
quod voluerit) Ab his verbis desinit lacuna veteris scripturae codicis Verc.; adhuc tamen in supplemento reliqua hujus capituli verba exscripta sunt.
—, 18 *pro animam suam*) Ita Vercellensis antiquior scriptura; rell. *pro anima sua*.

II (XX).

Rubricam solus habet Epor.
—, 25 *etsi*) Ma. et Heroldus *et sic*. Ceterum vulgo distinguitur *et si*.
—, 27 *contenit*) Ita Verc.; *continet* Ma., Epor.; *continetur* Cav.
—, 29 *qui super*) Verc., duplicata littera, *quissuper*; Cav. omittit *quis*.
et sic eum) Cav. *et si eum*.
—, 31 *et habeant*) Cav., Ma. *et habeant eam*.
—, 32 *fuerit*) Ita Verc.; rell. *est*.
—, 34 *aut nisi*) Cav. *nisi si*.
—, 35 *ad propinquos*) *apud propinquos* Cav.
—, 38 *accipiant*) Ma. *accipiant exinde*.
—, 39 *occisus fuerit*) Cav. *hoccisus est*.

III (XXI).

—, 46 *hominem liberum*) Cav. *liberum hominem*.
—, 47 *et provatum*) Epor. *et sic probatum*; Ma. *et si provatum*.

105, 48 *dominus omnes*) Ita Verc.; *dominus ejus omnes* Epor. et Ma.; *dominus et in omnes* Cav.

—, 51 *ad legem Dei*) Ita etiam edd.; Cav. *ad legem edicti.*

—, 52 *consuitudo*) Epor. *constitutum*, minus recte; compositiones enim seu pretia libererum non Edicto, sed consuetudine regebantur; nihil enim de hoc supra statutum: ac praeterea cf. infra Vol. VI, cap. VIIII.

—, 53 *in manum parentibus*) Ma. et Epor. *in manus de parentibus.*

IIII (XXII).

—, 57 *Si mulier*) *Si qua mulier* Epor. a prima manu, et Cav.

—, 58 *venunderi*) Ita Verc., etiam in indice; rell. *venundare.*

—, 59 *vel — vindunt*) Desunt haec in Cav.

106, 2 *mulier illa*) Verc., duplicata littera, *mulieriilla.*

—, 12 *Scriva*) Ita, et mox *scrivere* et *scrivit*, solus Verc., in hoc ut saepe in aliis hodiernum scribendi morem repraesentans; reliqui per *b* exhibent.

cartola ipsa) Ma. *ipsam cartulam.*

—, 13 *vel judicis*) Cav. *aut judicis.*

—, 15 *vacua*) Verc. *vagua.*

V (XXIII).

—, 20 *servum — suam*) Cav. *servum suum vel ancillam.*

—, 22 *illi*) Male Ma. *ille*, et Cav. *illis.*

fulfreal) Solus Cav. *fulfread.*

—, 23 *amund*) Ita Verc. et Ma.; *amud* Epor.; *hamud* Cav.

—, 24 *aldione*) Ita Verc. et Epor.; *aldionem* Cav. et Ma. Antiquissimum autem est exemplum in Edicto hujus scribendi formulae, quae dein vulgatissima evasit sub Francis: in vetustioribus legibus constanter legimus *aldium.*

—, 25 *alio modo*) Cav., Ma. *in alio modo.*

voluerit — qualiter) Haec incuria scribentis omissa sunt in Ma. Ceterum *sibi*, ut alibi, Verc. pro *sive*, quod exhibet Epor.; *sive — seu* Cav.

VI (XXIIII).

—, 32 *contenit*) Cav. *continetur.*

—, 34 *puplicum replecetur*) Ita Verc.; rell. *publicum replicetur.*

—, 35 *et filii*) Cav. *ac filii.*

—, 37 *servi conplecerent*) Cav. *servis complèberint.*

VII (XXV).

Legibus quae sequuntur praemittit Cav. hanc inscriptionem, et spurium prologum, contarcinatum e genuinis prologis anni VIII et VIIII seu tertii et quarti Voluminis:

DE ANNO NONO INCIPIT PROLOGUS.

Ego in Dei omnipotentis nomine Liudprand excellentissimus Deo dilecte et catholice gentis Langobardorum rex. Anno regni mei, Deo propicio, nono, indictione quarta, adhaerere previdimus leges.

Ut cetera omittam, superius capitulum XXIIII, et epilogus qui subsequitur capitulum XXVIII, manifesto ad unum Edictum anni VIIII referenda sunt. Vide praeterea notata initio tertii voluminis.

—, 43 *sculdahis*) Ita in hac et proxima lege Verc. et Cav.; *sculdais* Ma. et Epor., sed hic semel *sculdahis.*

—, 44 *causam suam*) In Ma. deest *suam*; in Cav. *causam suam.*

—, 46 *de sub ipso*) Ita Verc., Ma.; *de sub ipsum* Epor.; *de ipso* Cav.

tunc) Deest in Ma.

—, 47 *qui causam suam*) Epor. *quia causam suam*; Cav. *causam suam unde.*

—, 48 *numero*) Hanc vocem in hisce duobus capitibus, aut verius in cap. VII scripturae compendium *n̄*, et in cap. VIII *nō*, solus habet cod. Verc.

similiter solidos sex) Ma. omittit *solidos.*

—, 50 *aut pro*) Epor. *et pro.*

—, 51 *nuscitur*) Ita Verc., Epor.; *noscitur* Ma.; *dinoscitur* Cav.

dum revertitur) Ma. *dum revertatur*; Cav. *donec revertatur.*

—, 52 *et dum*) Cav. *et cum.*

—, 53 *convaluerit*) Cav. *cum convaluerit.*

statutos) Verc. *statutum.*

—, 56 *cujus causa est*) Cav. *ei cujus causam fuerit*; desunt haec in Epor.

—, 57 *et judici suo solidos sex*) Omissa sunt haec in Cav. et in Verc.; sed in hoc recentior manus supplevit *et judici suo similiter.*

—, 58 *quod*) Ma. *quam.*

—, 59 *diregat — suum*) Cav. *distringat ambe partes ad judice suo veniendum.*

106, 60 *et intra sex dias*) Cav. *intra sex dies, et.* In Verc. recentior manus addit *si* post *et.*

107, 2 *duodicem*) Ita Verc. hic et mox; Ma. ibidem, et semel Epor. *duodecim*; rell. *XII.*

Et si nec judex — non potuerit) Ita Verc. et Cav., quem duplicis negationis usum et habuit Graeca et etiamnum servat Itala lingua; in Ma. et Epor. deest *non.*

—, 3 *diregat*) Cav. *distringat*, et post *dies* addit *spacium.*

—, 6 *non invenerit qui proclamavit*) Cav. *non judicaverit qui clavit.*

—, 7 *tunc*) Deest in Cav.

ei) Deest in Ver. et Epor.

—, 8 *sit culpavelis*) Cav. *suo.*

VIII (XXVI).

—, 14 *aut epistola*) Cav. *aut cum epistola.*

de suo sculdahis ad illum alium sculdahis) In Verc. et Epor., incuria amanuensis ob recurrentem vocem *sculdahis*, omissa sunt verba *ad illum alium sculdahis.* Contra in Ma. deest *illum*; in Cav. et apud Heroldum et Walterium omittitur postremum *sculdahis*; edd. rell. nobiscum faciunt.

—, 16 *et si intra*) Verc. *et si ei intra.*

—, 19 *suo*) Deest in Cav. Ante *sol'* in Epor. recentior manus supra lineam addit *alios*: glossa.

—, 20 *quem*) Ita Verc.; Cav. *que*; rell. *quam.*

dirigat) Verc. *distringat.*

intra sex dies) Epor. *ante sex dies.*

—, 25 *illi*) Cav. *ei.*

—, 27 *cujus causa est*) Cav. *cujus causam neglexerit.*

—, 28 *duodecim*) Ita Epor., rell. *XII.*

VIIII (XXVII).

—, 33 *vadat*) Cav. *similiter vadat.*

menime facere) Cav. *minime faciendum*; Verc. ante *facere* repetit *justitia.*

—, 36 *causam suam*) Cav. *de causa sua.*

—, 37 *et regi — XX*) Haec omissa fuerant, et a recentiore manu restituta sunt in Epor.

—, 39 *et distringat*) Male Cav. *ut distringat.*

sub sua judiciaria) Ita Verc. et Epor.; *sub sua judicalia* Cav.; *sub suis judicalibus* Ma.

—, 40 *duodecim*) Ita Cav.; rell. *XII.*

—, 41 *distringere*) Cav. *disgere.*

—, 42 *solidos XL, medietatem*) Epor. omittit *solidos*; Cav. addit *et* post *XL.*

—, 43 *ei*) Cav. *eis*; deest in Epor.

X (XXVIII).

—, 51 *per arbitrium*) Epor. omittit *per.*

—, 52 *judicassit*) Ita Verc.; similiter *judicasset* Cav.; *judicasse* Ma. et Epor.

—, 55 *cujus*) Cav. *cui.*

fuerit) Cav. *fuit.*

—, 57 *non conparuerit*) Verc. *non conparauerit*; Cav. omittit *non.*

—, 60 *non judicassit*) Ma. omittit *non.* Vide de simili negationis repetitione supra in notis ad cap. VII, col. 107, vers. 2.

sic) Deest in Cav.

EPILOGUS.

De hujus epilogi sede cf. mox notata ad caput XI. Capitulo superiori immediate subjungunt non modo edd. omnes, et codd. in quibus proximum caput omittitur, sed etiam Par. 4613 et Cav., qui idem caput exhibent. In Ma. praepositam habet notam *Prologus*, et partem constituere videtur prologi proximi voluminis.

108, 4 *difinimus*) Ita Verc. et Epor.; *definimus* Ma. et Par. 4614; *censuimus* Cav. et Par. 4613.

si) Deest in Epor. et Par. utroque.

suprascriptis) Par. 4614 *supradictis.*

—, 5 *quae*) Cav. *quos*; Par. 4613 *quod.*

adfixemus) Cav., Ma., Par. uterque *adjunximus.*

qualicumque) Ita Verc. et Epor.; rell. *qualescumque.*

—, 6 *causae antea*) Par. 4613 *causa antea*; Epor. *causae se antea.*

—, 8 *consuitudo*) Cav., Par. 4613 *constitutio.*

qualiter) Cav. *qualibet.*

corpore) Par. 4613 *corporis.*

—, 9 *contenetur*) Cav., Par. 4613 *continentur.*

quae) Ita Ma. et Par. 4614, tum Mutinensis uterque apud Murat.; similiter *que* Cav.; *quem* Par. 4613: in Verc. et Epor. est *et.*

amodo vero) Cav. et Par. 4613 *vero amodo.*

108, 10 *isto*) Deest haec vox in Verc., Epor., Ma., Par. 4614; recepimus ex Cav., Par. 4613, et Mutinensi utroque apud Murat.
indictione quarta) Par. 4613 *indictione IIII*; Cav. *ind' V.*; cf. supra notata ad cap. xxv.
—, 11 *fieri*) Cav. *fierit*; deest in Par. 4613.
et finem) Cav., Par. 4613 *vel finem.*
—, 12 *in*) Deest in Cav. et Par. 4613.
pagina) Cav. *pagina nuc* (sic); Par. 4613 *pagina nunc*; deest in Par. 4614.
statuere) Par. 4613 *stuere.*
—, 13 *quae*) Cav., Par. 4613 *qui.*
servum) Deest in Par. 4614.

XI (XXVIIII).

Capitulum hoc deest in edd. et in plerisque codd., etiam Verc. et Epor. Primus edidit Muratorius in notis ad cap. IIII hujus voluminis e codice Cathedralis Mutinensis, quo eodem loco habet Canciani; omiserunt Georgisch et Walter. Denuo edimus e Cav., Ma., Par. 4613: adest etiam in Guelpherbytano. Id autem notatu dignum, in Parisiensi codice (qui e praedictis solus in tertio et quarto hujus Edicti volumine sincerum ordinem servat et prologos atque epilogos exhibet) hoc capitulum ipsi epilogo subjungi: quem ordinem confirmat etiam Cav., in quo epilogus capitulo eidem nostro XXVIIII (in eo codice XXIIII) immediate subnectitur; capitulum hoc autem leges anni XI, ut apud nos, statim praecedit. Hinc evidenti indicio confirmatur conjectura, de qua fusius alio loco disserimus, capitula, quae, non alio usquam loco nisi in cujuspiam voluminis fine, adsunt quidem in nonnullis, desunt autem in aliis etiam antiquissimis et optimae notae codicibus, additicia esse, id est post editum volumen, nonnulla forte in ipso adhuc conventu, at pleraque certe insequente anni tempore, promulgata fuisse: ex quo factum, ut extravagantia hujusmodi capitula, alii alia, suo loco, id est post ceteras ejusdem anni leges, in Edictum intulerint, multi autem codd. omiserint. — In Ma. hoc caput eodem quidem loco habetur ac in Cav.; sed epilogus id subsequitur, habitus pro parte prologi sequentis voluminis. — Ceterum in Cav. et Ma. hoc est cap. *XXVIIII*, in Par. autem (cum inde ab epilogo anni I et a capite VII numeri unitate creverint) cap. *XXX*.
—, 20 *Si qua*) Par. 4613 *Si quis*; Cav. *Si q̄.*
venundare) Ita edimus ex Ma., ob similem locum supra, cap. IIII hujus Voluminis; Cav., Par. 4613, Murat. *vendere.*
—, 21 *absconse*) Ma. *in absconse.*
nisi) Ma., Par. 4613 *sed.*
—, 22 *sculdahis*) Ita Cav.; *sculdachis* Par. 4613; *sculdais* Ma., Murat.
—, 23 *suos secum habeant*) Ma. *quos secum habeat*; Murat. *suos secum habeat.*
—, 24 *vindere*) Ita Par. 4613, quae scribendi ratio etiam in Verc. usitatior; *vendere* Cav. et Murat.; *venundare* iterum Ma.
ipsi) Cav. *sic.* In Murat. deest *ci ipsi — ponant.*
ipsam vinditionem) Par. 4613 *ipsam vindictionem*; Cav. *ipsa venditionem*; Ma. *ipsa venditione.*
—, 25 *ponant*) Cav. *ponat.*
vinditricem) Ita Par. 4613; rell. *venditricem.*
—, 26 *sic*) Deest in Murat.
mundoald) Ma. *mundoalt.*
—, 27 *autem*) Murat. *vero.*
cartula ipsa scripserit) Murat. *chartulam ipsam fecerit.*
—, 31 *prefatus scriba*) Par. 4613 *prefatus scribat.*
culpavilis) Ita Par. 4613; rell. *culpabilis.*
cartula — supra) Ma. *cartulam falsam scribit, ut supra.* Murat. omittit *sicut supra.* Notatu digna autem verba ea *sicut supra*, quae referenda ad dictum caput IIII hujus voluminis; e quibus arguas hoc capitulum brevi tempore post cetera, et forte in ipso Langobardorum conventu, editum fuisse, et in eum certe finem ut in Edictum inferretur.

—, 34 *Explicit — VIIII.*) Haec solus habet Epor., in quo tamen mendose *X* pro *VIIII.* Cav. post epilogum habet *Expl'i cap. de anno primo*; superius autem caput, nulla interposita subscriptione aut inscriptione, annectit initio prologi proximi Voluminis, qui ideo usque ad verba *nihilominus promoveri* in hoc codice videtur constituere partem ejusdem capituli nostri XXVIIII. Cf. praeterea notata ad prologum.

DE ANNO XI.

VOLUMEN QUINTUM.

108, 37 *Incipit — undecimo*) In Cav. et Ma. haec desunt: prologus enim iis quae praecedunt immediate adnectitur. In Par. 4613 deest *Incipit*; in Verc. *de.* Pro *undecimo* Epor. *XI.*

PROLOGUS.

In Epor. et Par. 4613 prologus breviatus est; in Cav. in duas partes dissectus, et prior, ut supra notavimus, adjuncta capitulo XXVIIII; in Ma. autem postrema pars bis legitur, semel quidem cum reliqua prologi parte, secundo autem quasi alter prologus.
—, 43 *Quoniam*) Verc. *quam.* In Epor. et in Par. 4613 deest *Quoniam — promereri.*
Edicti) Cav. *edicto.*
—, 46 *nunc si*) Ma. *nunc est.*
—, 47 *adicere*) Ma. *dicere.*
—, 48 *adipisci, et*) Cav. *ad ipsius.*
retributionem aeternam) Par. 4614, Heroldus omittunt *aeternam*; Ma. e codice Estensi edidit *de tribulatione aeterna*, sed e conjectura in notis veram lectionem restituit.
—, 49 *ab ipso Domino JESU CHRISTO*) Verc. *ab ipso dn̄o jh̄o xp̄o*; Cav. *ad ipsum dominum ih̄u xpm.*
—, 50 *Ergo*) Usque ad hanc vocem Cav. prologum superioribus conjunxerat; hinc vero novi voluminis initium facit, praemissis verbis *De anno nono* (sic, sed in indice recte *undecimo*) *incipit Prologus*, et subsequitur reliqua prologi pars. Contra Ma., integram quidem prologum superioribus conjunctum exhibet, sed mox, praemissa nota *De anno undecimo*, eamdem hanc prologi partem, aliqua cum varietate lectionis, denuo habet. Hinc etiam incipit prologus in Epor. et Par. 4613. — Ceterum vocem *Ergo* soli, at recte, habent Verc., Par. 4614 et Heroldus; *Ego* reliqui, et mox eam vocem omittunt: unus Par. 4613 hanc postremam vocem utroque loco exhibet.
omnipotentis) Hanc vocem omittunt Ma. primo loco, et Par. 4614.
—, 51 *ego*) Omittunt hoc loco, ut nuper monuimus, Cav., Ma. et Epor.
qui supra) Deest in Par. 4614.
Liutprand) Post hanc vocem addunt *excellentissimus* Ma. primo loco, Epor. et Par. 4614.
—, 52 *rex — hoc iterum*) Haec desunt in Verc. Notatu dignum eamdem ferme p̄gstv, seu *anno — hoc iterum*, deesse etiam in cod. Estensi, atque inde in ed. Muratorii.
protegente) Epor. *propitio.*
undecimo) Ita Par. 4614, et Ma. secundo loco; *XI* Cav., Ma. primo loco, Epor.; *XII* Par. 4613.
—, 53 *sexta*) Ita Ma. secundo loco, Epor.; rell. *VI.* Reliqua autem desunt in Epor.
—, 54 *adjungere*) Ma. primo loco *adaugere*; Par. 4614 *reddere.*
curavimus) Par. 4613 *previdimus.*
—, 55 *id est*) Deest in Cav., Ma. secundo loco, et in Par. utroque.

I (XXX).

Inscriptionem *Kap. primo* exhibet Verc., addito pro more praeterea capiti continuo numero: ex quo magis magisque confirmatur hanc per singula volumina antiquiorem esse et sinceram numerandi rationem. In Cav. ab hoc usque ad caput XLIIII desunt numeri capitum.
feminis) Cav., Ma. *femininibus.*
—, 60 *quae a parentibus suis*) Ita Ma.; Verc. et Epor. omittunt *a*; Cav. habet *parentes si ui eas.*
109, 1 *vovintur*) Epor. *voventur*; Cav. *vovent*; Ma. *voverunt.*
elegunt) Epor. *elegerunt.*
—, 3 *justum paruit*) Cav. *juste comparuit.*
—, 4 *in omnibus*) Verc. et Epor. omittunt *in.*
—, 5 *excusatio*) Cav. *scusacio*: apud Italos *scusa.*
mali) Ita Verc., Cav., Epor.; solus Ma. *malis.*
—, 7 *sed, ut supra premisemus*) Cav. *sed supra premisimus*; Epor. *sed ut supra simus.*
—, 8 *super se*) Cav. *supra se.* Tum Verc. a recentiore manu, Cav., Ma. addunt *habent*, quod Verc. ab antiqua manu, Epor., Heroldus rectius omittunt.
—, 10 *genio*) Cav., Ma. *ingenio.*
et postea) Id est *etiam postea.* Epor. omittit *et.*
ad) Epor. *a*, Italica forma.
—, 12 *devit*) Ita Verc.; *debet* Cav., Ma.; *debemus* Epor.

109, 13 *secularis*) Ita Epor., Ma.; *secolares* Verc.; *seculare* Cav.
parentem nostram saecularem) Cav. *parentes noster secularem feminam*; etiam Ma. addit *feminam*: glossa. Ceterum hic *pareus* pro *consanguinea*, ut etiam nunc apud Italos.
—, 14 *anolo*) Ita Verc.; rell. *anulo*, quae sane orthographia probatior quam *annulo*.
—, 15 *facit*) Cav. *facit*.
alter eam) Male Epor. *alteram*.
ducit) Epor. *duxerit*.
—, 16 *DC*) Cav. *sexcentum*.
—, 17 *anplerior*) Ita Verc.; rell. *amplior*.
—, 19 *vero*) Deest in Cav.
—, 20 *hanc*) Ita Verc., Epor.; *haec* Ma.; *hoc* Cav.
excellentia egerit) Verc. *scelentia agerit*.
—, 21 *maritum se*) Ma. *marito se*; Cav. *se marito*.
—, 27 *vel*) Cav. *et de*.
ejus) Epor. *ei*.
—, 31 *widrigild*) Ita Epor.; similiter *guidrigild* Cav. et Ma.; *wirigild* Verc.
tollere) Deest in Cav.
—, 36 *precedat causa*) Male Verc. *precedant causam*. Mox omnes codd. per compendium *sol'*.
—, 37 *raptus*) Ita Verc., Cav.; *rapto* Epor.; *raptu* Ma.
—, 38 *solidorum*) Deest in Cav.
leguntur) Verc. *lecuntur*.
—, 39 *legitur*) Cav., Ma. *leguntur*.

II (XXXI).

—, 48 *conpositio*) Ita Verc. et Epor., recte; *comp.* Cav.; *componat* Ma.
—, 50 *ut accipiat*) Ma. omittit *ut*, et sane jam habemus *ita volumus, ut*. Genuinum tamen puto.
—, 51 *et exuctione*) Ita Cav., Heroldus, Walter; *ex acceptione* Verc., Epor.; *et ex acceptione* Ma. Horum etiam lectio sustineri potest.
—, 52 *numero*) Notam *ñ* solus habet Verc.
—, 56 *quod sunt*) Cav. omittit *sunt*. Ceterum ab his verbis periit decimus octavus quaternio integer in Verc., usque ad finem capitis LV. Lacunam restituit recentior manus, seu X saeculi; quae cum in orthographicis valde differat ab antiquiore codicis parte, pressius hic secuti sumus scripturam codicis Eporediensis. Perpetuo etiam, ex constanti more vetustioris scripturae codicis Vercellensis, scripsimus *provare*, *devere*, et his similia, cum derivatis, pro *probare*, *debere*, etc. Initialia autem legum verba edimus ex indice Vercellensi.
—, 57 *aut*) Verc. *aut cum*.
—, 58 *voluerint*) Verc., Ma. *voluerit*.
parentes) Ma. *parens*.

III (XXXII).

In Verc., ut alibi monuimus, in iis quae a recentiore manu restituta sunt, in numerandis capitulis a singulis annis initium sumitur, ut in Epor. et Par. 4614; ideoque hoc in textu notatur *Cap. III*.
110, 3 *de*) Deest in Verc. in indice.
—, 4 *id est*) Verc. *idē*.
—, 5 *quod*) Verc. *qui*.
—, 6 *habent de*) Cav. *habet et de*.
—, 8 *heredes legitimus*) Ita Cav.; Verc. (in quo, in iis quae a recentiore manu, plerumque omittitur littera *h*) *eredes legitimos*; Ma. *heres legitimus*; Epor. *heredis legitimis*.
patri — sit) Verc. *patre — sint*; Cav. *non sit patri suo*.
—, 10 *si parentes propinqui*) Cav. et Epor. omittunt *propinqui*.
—, 11 *regia*) Verc. *regi*.

IIII (XXXIII).

—, 15 *jobante*) Ita Verc. in indice; *jubante* Epor.; *juvantem* Cav.; *juvente* Ma.; *adjuvante* Verc. in textu.
previdemus) Ita Verc. in indice; rell. *previdimus*.
—, 17 *aut insoprino*) Cav. *aut bisobrino*; deest in Verc.
—, 18 *amodo*) Deest in Ma.
—, 19 *omnem substantiam suam*) Verc., Cav., Ma. omittunt *omnem*; Epor. omittit *suam*.
—, 20 *procreati*) Ita Verc. et Ma.; *creati* Epor.; *nati* Cav.
—, 21 *et si*) Cav., Epor. *aut si*.
—, 22 *regia*) Verc. *regi*.
—, 23 *Hoc — ideo*) Cav. *Hoc autem ideo hoc*.
Deo teste) Cav. *testem deo*.
—, 24 *Urbis Romae*) Epor. *urbis Romanae*.
—, 26 *nos*) Cav. *nobis*.
adortavit) Ma. *adhortatus est*.

V (XXXIIII).

110, 31 *censemus atque precipimus*) Cav. *precipimus atque censuimus*.
—, 32 *suam*) Deest in Epor.
—, 33 *levavit — eum de fonte*) Haec omissa erant in Epor.; sed in marg. post *suscepit* a recentiore manu suppletur *neque filius presuma filiam ilius uxorem ducere qui eum de funte levavi*.
—, 36 *temptaverit*) Verc. *adtemptaverit*; Ma. *praesumpserit*.
—, 38 *tali*) Deest in Verc. et Epor.
—, 39 *parentes propinqui*) Epor. *propinqui parentes*; Cav. omittit *parentes*.
—, 41 — 43 *Ubi autem — subjaceant*) Haec non ad quintum modo, sed et ad superiora duo capitula sunt referenda.

VI (XXXV).

—, 47 *regis*) Post hanc vocem Cav. repetit *si quis*.
—, 50 *jussione*) Epor. *jussu*.
—, 51 *contra — judicem*) Cav. *contra alteram civitatem vel alterum judicem*; in Epor. deest *alium*.
—, 52 *jussionem*) Epor. *jusso*.
—, 54 *quesierint*) Verc. *temptaverit*.
in capud) Epor. omittit *in*.
—, 55 *suas*) Cav. et Epor. *ejus*.
—, 56 *deveniant*) Verc. *deveniad*.
—, 58 *regi*) Pro *regis*. Hanc vocem, quae commode abesse potest, solus habet Verc.
—, 59 *bluttaverint*) Cav. *blutaverint*.
aut res) Cav. *et res*.
—, 60 *aut cum rege*) Ma. omittit *aut*: est autem pro *seu*.
cum judicem in palatio) Epor. *in palatio cum judice*.
111, 1 *conservent*) Ita Verc.; *conservant* Ma.; *conservat* Cav. et Epor.
—, 2 *ipsas*) Ma. *ejus*.
tolerit) Ma. *tulerint*; Cav. *abtulerint*.
actogild) Verc. *actogilt*; rell. *actigilt*: scripturam recepimus, quam exhibere solet in Verc. vetusta manus.
—, 3 *supra*) Deest in Epor.
—, 5 *ut malum vitium non crescat*) Verc. *ut mala vicio non adcrescat*.
ut omnes) Minus recte Cav. et Epor. *et ut omnes*.
—, 6 *et in gratia*) Cav. et Ma. omittunt *in*.

VII (XXXVI).

—, 10 *recepere*) Post hanc vocem in Epor. recentior manus addit *per fidejuxore*. Pro *recepere* Cav. *recolligere*.
—, 12 *et si ille — reddere*) Cav. *et ille — si reddere*.
—, 13 *fidejussores*) Cav. *fidejussorem*; Verc. *fidiiuxores*. Similiter Verc. et infra.
remanserit) Ita Verc.; rell. *manserit*.
—, 15 *suam*) Deest in Verc.
neglexerit) Cav. addit *sol' xxxvi*, et Ma. *idest sol. xxxvi*: utrumque glossa est e spurio vel additicio Rotharis capitulo CCLVª: quod tamen deest in utroque eo codice. In margine autem codicis Cav. citatur *Roth. cap. CCXLV*, quod huc non pertinet; in aliquo, ut videtur, codice, fortasse in ipso Cav. in margine, ea fuit sedes cap. CCLVª.

VIII (XXXVII).

—, 18 *alteri homini*) Ita Verc. in indice, Ma., Epor.; *alii homini* Verc. in textu; *alii* Cav.
—, 20 *illius*) Ita etiam Verc. in indice; solus Verc. in textu *ipsius*.
cui eam dedit) Ita Ma.; *cum ea dedit* Epor.; *cui ea dederit* Verc.; *cui tam dederit* Cav.
—, 21 *abstraxerit*) Ma. et Epor. *abstraxit*.
—, 22 *adfigere*) Cav. et Epor. *adfigi*.

VIIII (XXXVIII).

—, 29 *recipere*) Verc. in indice, Cav. *suscipere*.
adduxerit) Ita Cav. et Ma.; *duxerit* rell.
—, 34 *aut de illa unde ipse*) Cav. *aut unde ille*.
—, 35 *suscepit*) Epor. *wadiam suscepit*.
et si minime ita) Male Ma. *et si minime ibi*, et Cav. *et minime ibi*.
suscipere deveat ipse) Epor. male *ipse reddere debeat*.
—, 38 *habet*) Solus Epor. *habeat*.
—, 39 *potes*) Ita solus Verc., recte; *potest* rell.
et) Ita Verc.; rell. *ut*.

X (XXXVIIII).

—, 44 *homini*) Deest in Cav.
—, 45 *quacumque*) Cav. *qualibet*.

XI (XL).

111, 53 *homini*) Deest in Cav.
wadiam) Verc., etiam in indice, *wadia*: recte.
dederit) Cav. *dederit pro qualibet causa*: glossa.
—, 54 *fidejussor eum*) Verc. et Epor. *fidejussorem*, obstante sententia.
—, 55 *ejus*) Deest in Cav.
—, 56 *cujus pignera*) Verc. *cujus pigne*; Cav. *pignus cujus*.
—, 57 *actogild*) Cf. quae ad hanc vocem notavimus supra, capitulo VI hujus Voluminis.

XII (XLI).

Hujus capitis et duorum quae mox sequuntur numeri desunt in Verc.
112, 3 *alium*) Deest in Cav.
constitutum) Verc. in textu *constituto*; Epor. *contestationem*, male: cf. Glossarium, in v. *Constitutum*.
—, 4 *quod ante*) Ma. *quod eum ante*.
constituto) Epor. iterum *contestationem*.
—, 5 *actogild*) Cf. notata ad hanc vocem supra, cap. VI hujus Voluminis.

XIII (XLII).

—, 8 *actor puplicus*) Verc. in textu *actor regi puplicus*. Vox *regi* (id est *regis*) glossa est quae in textum irrepsit. Pro *actor* Ma. *auctor*.
—, 9 *inter homenis*) Cav. *inter alios homines*.
—, 10 *habent*) Verc. in textu *inter se abent*.
trewas) Ita in tota lege Verc. et Cav.; *triwam* ter, semel *triwa* Ma.; Epor. modo *tribuas* modo *trebuas*, quod postremum lectionem nostram confirmat, cum *bu* ob sollemnem litterarum permutationem idem sit ac *uu* seu *w*.
—, 11 *inter quos ipsas*) Epor. *inter quas*.
tulta—de ipsas trewas) Haec, incuria amanuensis ob recurrentes easdem voces, omissa sunt in Cav.
tulta) Epor. *stulta*.
—, 12 *ruperit*) Epor. *rapuerit*.
—, 13 *illi*) Verc. et Cav. *illius*.
—, 14 *solidi CC*) Cav. *ducentos sol.*
—, 15 *amplius*) Cav. *plus*.
—, 16 *voluerit, sit ei*) Ita Verc. et Cav.; *voluerint, sit eis* Ma. et Epor.

XIIII (XLIII).

Rubricam habet Verc. in indice (subjectis prioribus septem textus verbis), et Epor.
—, 18 *alii*) Verc. in indice hoc loco, Epor. et hic et in plerisque e superioribus capitulis, *alio*.
—, 19 *launegild*) Ita Cav. et Ma.; *launigild* Epor.; *launechilt* Verc.
—, 21 *invenitur esse*) Cav. *inveniatur res*.
—, 25 *habeat*) Verc. *habet*.
solutus de culpa) Verc. *absolutus*, et omittit *de culpa*.
sic tamen ut) Cav. omittit *sic* et *ut*.

XV (XLIIII).

Hoc capitulum suo iterum numero signatur in Verc.
—, 31 *De servus—homine*) Haec pro rubrica sunt in Ma. Pro *fugace si in* Verc. in indice, omissa littera, *fugacesin*.
—, 32 *judiciaria*) Ita Verc. tam in textu quam in indice, Ma., Epor.; solus Cav. *judicalia*.
deganus) Ita Verc. et Epor. hic et infra; Cav. et Ma. utroque loco *decanus*.
—, 33 *in loco*) Epor. *in loco ipso*.
est) Verc. *sun:* (sic).
deveat) Epor. *eum debeat*.
—, 34 *judici suo*) Ma. et Epor. *eum judici suo*; Cav. *judici suo eum*: nos incertae sedis vocem ut glossema cum Verc. omisimus.
—, 36 *ipse est*) Cav. *ipse sit*.
inventus) Verc. *inventum*.
—, 37 *fur*) Cav. *furor* (sic!).
—, 39 *duos*) Ita Epor.; *duo* Cav.; *II* rell.
—, 41 *fuerit*) Verc. *fuerat*.
—, 42 *Si vero*) Cav. *Si fuerit*.
—, 43 *deganus*) Cav. et Ma. *decanus*.
—, 45 *cujus causa est*) Ita Cav. et Epor. utroque loco; Verc. et Ma. *cujus causa fuerit*: etiam edd. variant. Ceterum Cav. omittit verba *medietatem judici suo*.
—, 53 *tuo*) Ita Epor.; rell. *tuus*.
—, 54 *et hoc*) Cav. *et si hoc*.
—, 56 *Alpes*) Epor. *alpe*, singulari numero, nec male; Verc. *alp et*.
—, 57 *menses*) Ita Epor.; *mensis* Verc.; *mensibus* Cav. et Ma.

112, 57 *duo*) Ita Verc. et Epor.; *duos* Ma.; *II* Cav.

XVI (XLV).

Hoc capitulum mendose in Verc. inscribitur *capl. XIII* pro *XIII*.
MEMORATORIUM hoc ineditum, sive haec capitula de magistris Comacinis, primus jam ab anno MDCCXXIII memoravit Petrus Giannone, *Storia civile del Regno di Napoli, Lib. V, Prefaz., § I*; qui et eorum indicem exhibet e codice Cavensi. Eumdem indicem ex eodem codice, anno hujus saeculi vicesimo quarto, denuo edidit Pertzius in *Archiv der Gesellschaft, Bd. V, S. 252*. Ipsas leges seu Memoratorium primi edimus, e codicibus Legum Langobardicarum qui illud exhibent omnibus, scilicet Cavensi, Matritensi, Eporediensi, Parisiensi 4613, et Guelpherbytano, qui haec capitula bis habet, semel post Edictum Grimowaldi (Guelph. 1), iterum post Edictum Liutprandi (Guelph. 2); in reliquis codicibus horum capitulorum nullum vestigium est. Si codicem Guelpherbytanum, cujus alter textus ab altero valde differt, pro binis habeamus, sex erunt codices qui hoc Memoratorium praeferunt, in tres familias dividendi. Primam constituunt Cav. et Ma., qui Memoratorium Liutprando tribuunt, et integrum exhibent eodemque ordine quo nos habemus, nisi quatenus in Cav., vel incuria amanuensis vel ob archetypi lacunam, deest cap. VI *De marmorariis*.

Secundam familiam bini item codices constituunt, Par. 4613 et Guelph.2, qui extremo quidem Liutprandi Edicto adnectunt, sed omissis capitulis VII et VIII, seu *De furno* et *De puteo*. Ad tertiam denique familiam bini reliqui codices pertinent, Epor. et Guelph.1, qui Memoratorium integrum quidem exhibent, sed inter Edictum Grimowaldi et Edictum Liutprandi, et Grimowaldum ejus auctorem praeferunt. — Etiam lectionis varietate et lacunis codices secundae familiae a codicibus tertiae familiae distinguuntur: utraque enim lectiones habet ita sibi proprias, ut uniuscujusque familiae codices ab uno exemplari vel descripti vel certe derivati dicendi sint; ita tamen ut Guelph. utroque loco in orthographicis a pristina seu Langobardica scriptura magis recedat. Contra Cav. et Ma. ex vario fonte derivati sunt, nec inter se nec ceteris similes, ita tamen ut codicis Ma. scriptura aliquando accedat ad codices secundae et tertiae familiae, multas tamen lectiones proprias habeat, nonnumquam optimas; solus etiam ex omnibus in cap. *De furno* verissimam lectionem *postes* suppeditavit. — Nec in capitulorum modo numero, ut supra notavimus, sed in eorum etiam divisione eadem familiarum discrimina apparent. Nam Cav. et Ma. hac etiam in re ab invicem dissentiunt: Cav. enim solus e codd., qui hoc Memoratorium Liutprando tribuunt, pro more fidus et diligens, atque ex optimo libro descriptus, illud secernit ab ipso Edicti contextu, his praemissis, rubro colore: *Explicit leges quas dom Liuprandus rex instituit. Ista cap. postea sunt adjuncta*: tum sequuntur septem capitula (omisso scilicet sexto *De marmorariis*) numeris quidem non distincta, sed rubrica singulis praeposita. Eumdem ordinem sequitur Ma., adjecto praeterea capitulo *De marmorariis*: sed in hoc, ut in libris secundae familiae, Memoratorium adjungitur ipso Edicto Liutprandi, ut sit ejus caput postremum, sub numero *CLIIII* (in Par. 4613 *CLXV*; cf. notata ad cap. CXLI); ipse autem textus continua serie exhibetur, nullo interposito sive capitis numero sive rubrica, ita tamen ut rubricarum, quae extiterint in fonte unde is codex derivatus est, et ipse certissima vestigia servet. Tertiae demum familiae codices, qui nempe Memoratorium Grimowaldo tribuunt, inscriptionem praeferunt, Epor. quidem eam quam nos in textum recepimus, Guelph.1 autem hanc *Item alia cap ejusdem Grimoaldi regis de mercedibus Commacinorum*; tum in Guelph.1 octo capitum rubricae praemittuntur. In codicibus tertiae familiae diversa a Cavensi, ac plerumque evidenter falsa, capitulorum distinctio, ut ad singula loca monebimus: quapropter cum et commodioris usus gratia, et ipsis codicibus (cf. infra notata ad rubricam capitis V) et rei natura suadente, aliqua divisio recipienda esset, satius visum est optimum Cavensem sequi. *Memoratorii* autem titulus, quem ex Epor. recepimus, confirmatur etiam codice alterius familiae, seu Guelph.2, in quo idem titulus adest textui conjunctus, hoc modo: *Memoratorium de mercede Comacinorum, id est si salam etc.* Reliqui codd. (Ma., Par. 4613) inscriptionem, ut Guelph.2, cum textu item conjungunt, sed omissa voce *Memoratorio*. Praeterea pro *mercedes* Par. 4613 *mercedis*; Ma. *mercede*. Ceterum scripsi *Comacinorum*, non *Commacinorum*, quod veriorem hanc orthographiam tueatur etiam optimus Verc. in Roth. cap. CXLIIII et CXLV: in Memoratorio per unam *m* exhibent Guelph.1 semel, et Guelph.2 item semel; rell. per duo *mm*. — Maximi autem momenti hae leges ad illustrandam architecturam non barbarorum modo temporum, sed etiam Romanorum, ut videre est ex amplo omnique eruditione referto Commentario ad has leges, quem debeo amicitiae praeclarissimi viri Caroli Promis, et hujus operis constituit Appendicem XI. — Ceterum dum primum haec editio textus Legum Langobardicarum typis imprimeretur, nondum ad manus meas pervenerat collatio codicis Guelpherbytani, quae ad me demum delata est quum priores Appendices jamdiu impressae, reliquae sub praelo essent. Hinc in Appendice XI memoratur quidem codex Guelpherbytanus, ipse tamen harum legum textus exactus fuit ad fidem reliquorum tantum codicum, seu Cav., Ma., Epor., Par. 4613. Cum tamen utrumque exemplar cod. Guelph. optimas lectiones novas exhibeat, alias autem aliorum librorum minus certas jam sua auctoritate confirmet: hoc Memoratorium recudendum curavimus exactum ad fidem sex codicum qui illud exhibent, e quibus etiam integram varietatem lectionis subjicimus. Contra Appendix XI etiamnum exhibet textum prout a nobis primum editus fuerat, atque a V. Cl. Johanne Merkel Nuremburgensi repetitus in opere cui titulus *Archivio Storico di Firenze*, *Appendice*, *Vol. III*, *pag. 707*, *seq.* Ex eadem Appendice XI has leges denuo edidit V. Cl. Alfredus Reumont in Ephemeridibus Tubingensibus quibus titulus *Kunstblatt*, *1847*, *N° 30*, *S. 117—119*.

I (CLVII).

Rubricam hanc *De sala* recepimus e Guelph.1, qui eam exhibet in capitulorum indice quem is codex textui praeponit; codd. rell. solam habent ipsam Memoratorii inscriptionem, de qua vide quae supra notavimus. Ceterum in Guelph.1 deest capituli numerus.

151, 21 *Si*) Ita Epor., Guelph.1; rell. *id est si.*
sala) Guelph. uterque *salam*; Ma. *salas.*
fecerit, *repotet*) Ma., Guelph. 2 *fecerint*, *reputent*; rell. *fecerit*, *reputet.*
solido uno) Pro *solido* Par. 4613 *solidos*. Pro *uno* Par. 4613, Guelph. uterque .I.
—, 22 *numero*) Par. 4613 *numerum.*
sexcenti) Ma. *sexcentos*; Guelph.2 *sexcentas.*
si in) Epor., Guelph.1 *In*, omisso *si.*
solario) Par. 4613 *solarios.*
quadringenti) Ita Cav.; similiter cccc Par. 4613: sed *trecentas* Guelph.2, et *ccc* rell.: sed is numerus non respondet pretio unius item solidi pro sexcentis tegulis *salae* seu domus humilioris, cujus nulla sit contignatio.
—, 23 *in*) Ma., Par. 4613, Guelph.2 *per.*
solidum unum) Ita Cav.; *sol' uno* Epor.; *sol'* .I. Guelph.1; *sol'j* Ma.; *sol'* Guelph.2; *solidos* Par. 4613.
vestitum) Ita Ma., Par. 4613; *vestito* Guelph.2; *qui vestito* Guelph.1; *qui vestido* Epor.; *qui vestitus* Cav. Solidi vestiti mentio iterum occurrit in sequenti capitulo.
quia) Deest in Cav., Epor., Guelph.1.
—, 24 *viginti*) Ita Cav. et Ma.; rell. *xx.*
lebant) Ma. et Guelph. uterque *leuant*; verum et hic et infra probatior videtur scriptura *lebant.*

II (CLVIII).

Rubricam habent Guelph.1 in indice capitulorum, et Cav. hoc loco, in quo tamen *Item de muro*. In Guelph.1 deest capituli numerus.

—, 27 *Si vero*) Cav., Epor., Guelph.1 *Si quis.*
murum) Par. 4613 *numerum.*
fecerit) Ma., Guelph.2 *fecerint.*
qui usque) Male Cav. *quisque.*
ad pedem) Par. 4613 *pedes* omisso *ad.*
—, 28 *unum*) Deest in Par. 4613, Guelph.2.
grossus) Ita Cav., Guelph.1; *grossum* Ma. et Epor.; *clausus* Guelph.2; *clausum* Par. 4613. Lectio *grossus* seu *grossum* procul dubio verior.
dupplicentur) Ita Cav., Ma.; similiter *duplicentur* Guelph.2; *duplicet* Guelph.1; *duppliciter* Par. 4613; *dubliciter* Epor.
—, 29 *et usque ad*) Par. 4613 omittit *et*; Guelph.2 omittit *ad.*
et de ipso muro) Par. 4613 *et de ipso numero*; Epor. *et ipsum murum*; Guelph.1 *et ipse murus.*
—, 30 *vadat*) Cav., Par. 4613, Guelph.2 *vadant.*
per solidum unum) Epor. *per sol' uno*; Guelph.1 *per sol'* .I.; Guelph.2 *per sol'*; Par. 4613 *per solidos.*
pedes) Deest in Par. 4613.
ducenti viginti quinque) Similiter Epor., Guelph.1 *cc.xxv.*; Ma. *ccxv.*; in Par. 4613 est *mille ducenti*, et in Guelph.2 *mille ducentos*, quae lectio ferri omnino non potest, nam *mutata machina* pretium muri fuisse videmus solidi unius in centum octoginta pedes. Vide tamen quae mox notamus ad verba *det pedes centum octoginta*, et *In longitudinem — tremisse.*
—, 31 *si vero — solidum unum*) Haec omissa sunt in Par. 4613, incuria, ut puto, amanuensis; adsunt enim in ejus affini Guelph.2.
macinam) Ma., Epor., Guelph.1 *macina.*
mutaverit) Guelph.2 *mutaverint.*
det pedes centum octoginta) Similiter Epor. et Ma. *det pedes c.lxxx.* Contra Guelph.2 (nam in ejus affini Par. 4613 haec omissa sunt, ut nuper notavimus) legitur *mille et centum* (omissis vocibus *det pedes*): ita ut haec lectio respondeat superiori codicum Par. 4613 et Guelph.2, *de ipso muro vadant per sol' pedes mille ducenti*. Hinc, atque ex eo quod in iisdem codd. desint capitula *De furno* et *De puteo*, conjicere licet binos hosce seu secundae familiae codices exhibere Memoratorium prout primum editum est e Grimowaldo rege; contra reliquos codd. illud habere restitutum ad fidem renovatae a Liutprando publicationis, a quo et leviora quaedam in textu mutata fuerint, et capitula duo adjecta, et pretium muri ad aequiorem normam redactum.
—, 32 *in*) Deest in Epor., Guelph.1.

151, 32 *solidum unum*) Epor., Guelph.1 *sol' .ı.*; deest in Guelph.2; in Par. 4613 supra monuimus universam hanc ῥῆσιν deesse.

—, 33 *sursum—tremisse*) Desunt haec in Par. 4613, Guelph.2. Post *vero* Ma. addit *numerum*, idque olim receperam, quo forte ea vox prodesset ad difficilem atque ut videtur corruptum locum sanandum. Ceterum pro *tremisse* Cav. *tremissem*; Ma. *temisse*. De loci significatione vide conjecturas V. Cl. Promis, col. 245, vers. 22—32. Mihi aliam conjecturam liceat proponere, verba usque *ad pedes—per tremisse* supra esse transferenda, post *ducenti viginti quinque*, aut saltem ad eum locum referenda, ita ut verba *si vero—solidum unum* habenda sint tamquam parenthesi inclusa et a principali contextu aliena, hoc modo: *de ipso muro vadat per solidum unum pedes ducenti viginti quinque usque ad pedes quinque sursum, in longitudinem vero ter quinos per tremisse: si vero macinam mutaverit, det pedes centum octoginta in solidum unum.* Nam si in longitudinem sint pedes quindecim (ter quini) per tremissem, erunt pedes quinque et quadraginta per solidum, qui per altitudinem pedum quinque sursum multiplicati efficiunt pedes ducentos viginti quinque ($15\times3\times5=225$); in solario autem seu in machina, ob majorem laborem, impensas et pericula, dandi erant pedes tantummodo centum octoginta, seu, posita eadem *longitudine* seu basi pedum quadraginta quinque, pro unius solidi pretio murus evehendus non fuit nisi ad altitudinem pedum quattuor. Suspicari praeterea licet verba haec, quae desunt in codd. secundae familiae, adjecta demum fuisse a Liutprando, cum aequius muro conficiendo pretium statueret, atque rem omnem clarius definire proposuisset: quo etiam facilius effectum est, ut haec verba, postmodum adjecta, extra sedem legantur.

—, 34 *Similiter et si*) Ita Par. 4613; *Similiter si* Guelph.2; *Si quis* rell. In Epor. et Guelph.1 hinc incipit novum capitulum *III*, cui nulla in Epor. praeponitur rubrica; in Guelph.1 rubrica est supra in indice *De muro albato.* Sed de opere tectorio vix prima loci verba agunt; ut rectius universa, uti in Cav., referantur ad superiorem rubricam *De muro.*

murum) Par. 4613 *muro.*

—, 35 *dealbaverit*) Par. 4613 *dealvaverit*; Guelph.2 *dealbaverint.*

sexcenti pedes vadat) Cav. et Ma. *sexcenti pedes vadant*; Guelph.1 *dc. pedes vadant*; Epor. *dc. pedes vadat*; Par. 4613 *vadat sexcenti pedes*; Guelph.2 *vadant sexoentos pedes.*

per solidum unum) Par. 4613 *in solidos .ı.*; Epor., Guelph.1 *per sol'*, et omittunt *unum.*

—, 36 *si cum*) Male Epor. et Par. 4613 *sicut.*

axes) Par. 4613 *tabulas*, utrumque recte: sed et in cap. VI simili sensu occurrit vox *axes.* In Guelph. utroque est *axibus.*

gallica) Ita hoc loco solus Guelph.2; *cum gallica* Cav.; *collila* Par. 4613; *comalica* Guelph.1; *commalica* Epor.; *cum alliga* Ma. Operum gallicorum eadem summa, mille quingentorum pedum pro solido uno, iterum infra occurrit cap. IIII.

fecerit) Pro hac voce Epor., Guelph.1 *similiter.*

—, 37 *mille*) Deest in Cav., perperam, ut probat tum reliquorum codicum consensus, tum praecipue similis locus infra cap. IIII.

in solido vestito) Cav. et Ma. *in solidum vestitum*; Par. 4613 *in solidos vestito.*

—, 38 *volserit*) Cav., Guelph.2 *volserint*; Par. 4613, Guelph.1 *volverit*, nec male.

vadat) Ita Epor. et Par. 4613; rell. *vadant.*

in) Par. 4613, Guelph.2 *per.*

solido uno) Par. 4613 *solidos .ı.*; Guelph.1 *sol' .ı.*; Cav. et et Ma. *solidum unum*; Guelph.2 omittit *uno.*

—, 39 *Si vero*) Hinc Epor., Guelph.1 auspicantur cap. *IIII*, cujus in indice Guelph.1 rubrica est *De maceria*, manifesto errore pro *De materia.* Ceterum Par. 4613, Guelph.2 omittunt *vero.*

materias) Guelph.1 *maceria*, male, tam hic quam in rubrica, qui proprius est hujus codicis error; nam ejusdem familiae codex Epor. recte *materias.* Vide Commentarium Caroli Promis, col. 246, vers. 38—42.

capelaverit) Ita Guelph.1, quam scribendi rationem (per unum *p* et unum *l*) passim confirmat cod. Verc.; similiter *capelaverint* Guelph.2; *capellaverit* habet Epor.; *cappellaverit* Ma., Par. 4613; *cappellaverint* Cav.

majores minores) Solus Guelph.1 *majores aut minores.*

—, 40 *viginti*) Post hanc vocem Cav. addit *vadat*, quod olim receperam, nunc, ob reliquorum quinque codicum consensum, pro glossa habeo; subaudienda scilicet quae mox occurrit vox *ponantur.*

armaturas vero et brachiolas) Ita Guelph.2; *armatura vero et braalas* Par. 4613; *armatura vero et brachiola* Ma.; *cum armatura vero et brachiolo* Cav. In Epor. locus ita se habet *per tremisse cum armaturas. et brachiolas quinque ponantur*; similiter in Guelph.1 *per tremisse cum armaturis et brachiolis. quinque ponantur*: uterque autem omittit *pro uno materio.*

151, 41 *ponantur*) Ma., Par. 4613 *ponatur.*

pro uno materio) Ma. *pro una materias*; deest, ut nuper monuimus, in Epor. et Guelph.1.

III (CLVIIII).

In Epor., Guelph.1 cap. *V*. Rubricam omittunt Par. 4613, Guelph.2; Ma. habet textui conjunctam; in Guelph.1 adest ea tam supra in indice quam hoc loco. Ceterum Guelph.1 *anona*; Ma. *annonas.* In Cav. deest *Comacinorum.* In Epor. a prima manu est *commacinorum*, a secunda *commacenorum.*

—, 45 *Tollat*) Ita codd. qui vetustiori orthographiae adhaerent, Epor., Par. 4613, Guelph.2; rell. *tollant.* Ante hanc vocem Par. 4613, Guelph.2 addunt *Item.*

annonam) Guelph. uterque *anonam.*

152, 1 *uno*) Ita Epor.; *unum* Cav., Guelph.1; *.ı.* Ma.; deest in Par. 4613, Guelph.2.

segale) Ita Epor.; *segala* etiamnum Itali; *secla* Par. 4613; *secale* rell., uti Plinius *Hist. Natur. XVIII*, *xvi*, *40*, apud quem unum e veteribus pauca quaedam, partim etiam prorsus falsa, de hac fruge leguntur.

modia) Ma. *modios*; Guelph. uterque *mod'.*

tria) Cav. *tres*; Ma., Epor., Guelph. uterque *.III.*

lardo) Cav. *lardu.*

decem) Epor., Par. 4613, Guelph. uterque *.x.*

—, 2 *urna una*) Ita Ma., Epor.; *urna .ı.* Guelph. uterque; *orna una* Par. 4613; *ornam unam* Cav.

sextaria) In Epor. per *s* scribitur *sestaria*, et mox *sestario.*

sale) Epor., Guelph. uterque *sal.*

sextario) Cav., Guelph.1 *sextarium.*

—, 3 *uno*) Cav. *unum*; Guelph.1 *.ı.*

in mercedes suas) Cav. et Ma. *in mercede sua*; Guelph.2 omittit *in.*

repotet) Ita Epor.; *reputet* Cav. et Par. 4613; *reputent* rell.

IIII (CLX).

Hoc caput Epor. et Guelph.1, rubrica omissa, superiori conjungunt, quamvis nihil commune habeant cum annona Comacinorum. Rubricam habet Cav.

romanense si fecerit) Desunt haec in Par. 4613; Guelph.2 habet *et romanense*, et omittit *si fecerit.* Pro *romanense* Cav. *romanenses.* Pro *fecerit* Guelph.1 *fecerint.*

repotet) Ita Epor.; *reputet* Cav., Ma., Par. 4613; *reputent* Guelph. uterque.

—, 8 *sicut gallica opora*) Ita Cav., Epor., Guelph. uterque; *si calliga opera* Par. 4613; *sicut alliga opera* Ma. Quattuor optimorum codicum consensus jam per se suadet legendum esse *gallica*, idque certius probat oppositio operis *romanensis.* Quodnam autem operis genus hoc nomine intelligendum sit, docte disputat V. Cl. Carolus Promis in Commentario ad hunc locum (vide supra, col. 245, vers. 36—246, vers. 11, et 247, vers. 14 seqq.), in cujus sententiam prorsus discedo. In cap. I ipsarum tegularum pretium definitur et magnitudo; hoc capite pretium statuitur operae tecti conficiendi, sive tegulis domus sive scindulis sit tecta. Ideo autem utriusque operis idem pretium constituitur, quia scindulae difficilius quidem et majore opera disponuntur, at tecti tegulis obtecti longe fortiora transtra trabesque esse debent. — Hoc autem loco agi de eodem operis genere, de quo sermo est supra cap. II, atque ideo utrobique eamdem lectionem esse recipiendam, apparet tum e simili lectionis varietate, tum ex ipsa collatione pretii operis romanensis cum eo quod supra statutum fuerat pro opere gallico, scilicet mille quingentorum pedum pro uno solido.

quingentos) Cav., Ma., Par. 4613 *quingenti.*

in) Guelph.2 *per.*

solidos uno) Ma. et Par. 4613 *solidos .ı.*; Epor. *sol' uno*; Cav. *sol' unum*; Guelph. uterque *sol' .ı.*

—, 9 *Et scias*) Ita Cav., Epor., Guelph. uterque; *In tertia* Par. 4613; deest in Ma.

quia) Deest in Cav., Par. 4613.

ubi una tegula) Ita Cav., Epor., Guelph. uterque; *ubi una arcula* Ma.; *sub uno arculo* Par. 4613. Unde lectio *arcula* orta sit, haud facile divinaverim; nisi fuit arcula tegulae genus, scilicet testacea quidem tegula, sed non quadrata, ut olim apud Romanos moris fuit, verum curvata in formam arcus, cujusmodi nunc apud nostrates in usu sunt.

—, 10 *quindecim*) Ita Guelph.1, plenis litteris; *viginti et quinque* Cav.; *xxv.* Ma., Epor., Par. 4613; *xxx.* Guelph.2. Lectio

quam recepi magis convenit cum tegularum amplitudine, quarum singulae (cf. supra § 1, et Commentarium Caroli Promis, col. 242, vers. 21—26) superficiem tegunt unius pedis cum triente, ut potuerit eadem superficies tegi scindulis quindecim; vix autem tam parvae scindulae esse potuere, ut earum triginta aut etiam viginti quinque unius tegulae superficiem aequarent. Satis etiam nostra lectio accedit ad rationem eorum quae mox leguntur, *quia centum quinquaginta tegulas duo milia quingentas scindolas lebant*; nam 15×150=2250: ut si accuratam rationem quis requirat, pro *quingentas* legisse sufficiat *cc. quinquaginta* seu *quinquagenta*, uti saepe vocem in hoc Edicto prolatam legimus. Si pro *quindecim* legas e Guelph.2 *XXX*, ad unguem utraque ratio prodiret, mutata modo voce *DUO milia* in *QUATTUOR milia*; nam 30×150=4500; sed obstant ea, quae de magnitudine scindularum nuper monuimus.

152, 10 *scindolas*) Ita Epor. et Guelph.2 mox, Par. 4613 utroque loco, *sindolas* hoc loco Guelph. uterque, posito *o* pro *u*, ex Italica prioris litterae pronunciatione, pro *scindulas*, quod habent Cav. utrobique, Epor. hoc loco. Male autem Ma. *scandulas*, quamvis eamdem lectionem tueantur codd. in Roth. cap. CCLXXXII; sunt enim a *scindendo* dictae, quod e scisso ligno fierent. Superest vox eadem significatione in Germanica lingua *Schindeln*. Similis error plerosque veterum auctorum locos obsidet tam in nonnullis codicibus quam in editionibus. Confundendae autem non sunt cum *scandulis*, de quibus Columella, *De re rustica*, *Lib. V*, *cap. II*.

lebant) Ita Cav.; *lebat* Epor.; *lebent* Par. 4613; *levant* Guelph.2; *levat* Ma., Guelph.1.

quia centum — scindolas lebant) Pro *quingentas* Epor. *quingentis*; pro *lebant* Guelph.2 *levant*. In Cav. locus ita se habet *quia tegulas mille quingenta et sex milia quingenta scindulas lebant*; quae non modo cum superioribus componere sed et intelligere arduum: cf. quae nuper notavimus ad vocem *quindecim*. In Ma., Epor., Guelph.1 integra ῥῆσις ob recurrentes voces *scindolas lebant* errore amanuensis omissa est.

—, 12 *massa*) Cav. *maxas*; Guelph.1 *massam*.

fundederit) Ita optime Epor.; *fundiderit* Guelph.1; *fundiderint* Guelph.2; *funderit* rell.

sexcenti) *centum* Guelph.2; deest in Par. 4613.

solido uno) Epor. *sol' uno*; Ma., Guelph.1 *sol' .ı.*; Cav. *solidum unum*; in Par. 4613 et Guelph.2 deest *uno*, sed pro *solidos* hic *sol'*.

V (CLXI).

In Epor., Guelph.1 est cap. *VI*. Notatu dignum est, rubricam adesse etiam in Ma., quamvis in eo codice Memoratorium non sit in capita distinctum; sicuti adesse supra animadvertimus rubricam capitis III: ex quo apparet, hasce rubricas, tum ipsam capitum divisionem, deberi non amanuensibus, sed ipsi legis latori. Deest rubrica in Par. 4613, Guelph.2; Guelph.1 non exhibet nisi in indice.

—, 15 *magistros*) Cav. et Epor. *quis magistri*; Guelph.1 *quis magister*; deest in Par. 4613, Guelph.2.

caminatam) Ita Epor. et Guelph. uterque; rell. *caminata*.

fecerit) Guelph.2 *fecerint*.

tollat) Ma., Epor., Guelph.2 *tollant*.

per una) Ita Epor., Par. 4613; *pro una* Guelph.2; *per unam* rell.

—, 16 *tremisse uno*) Ita Epor.; *tremisse .ı.* Guelph. uterque; *tremissem unum* Cav.; *tremissem .ı.* Ma.; *tremisse*, et omittit *uno*, Par. 4613.

si) Deest in Par. 4613, Guelph.2.

abietarii) Ita optime Guelph. uterque: cf. Commentarium v. cl. Caroli Promis, col. 248, vers. 57—col. 249, vers. 24. Ma. et Epor. habent *habitarii*; Cav. et Par. 4613 *habitari*.

cancellas) Ita Cav. et Ma.; *cancella* Par. 4613; *cancelles* Epor.; *cancellos* Guelph.1; *de cancello* Guelph.2.

fecerit) Epor., Guelph.1 *fecerint*; deest in Par. 4613, Guelph.2.

—, 17 *solidos uno*) Pro *solidos* Cav., Ma. *solidum*; Epor., Guelph. uterque *sol'*. Pro *uno* Ma., Guelph.1 *.ı.*; Guelph.2 *unum*; deest in Cav. et Par. 4613.

vadat) Ita Epor. et Par. 4613; *vadant* rell.

Si vero) Ita Ma., Par. 4613, Guelph.2; *et si* Guelph.1; *et si vero* Cav.; deest in Epor.

peuma fecerit) Pro *peuma* Cav., Ma. *peumas*; pro *fecerit* Guelph. uterque *fecerint*; pro *peuma fecerit* Par. 4613 *perfecerit*.

—, 18 *habent*) Epor., Guelph.1 *habuerint*.

—, 19 *lebant*) Guelph. uterque *levant*; Ma. *levent*; Par. 4613 *liberent*.

Et si) Par. 4613 omittit *et*.

carolas) Par. 4613 *casulas*.

fecerit) Guelph.2 *fecerint*.

152, 19 *gissò*) Ita Par. 4613; *gypso* Cav., Guelph.1; *gipso* rell.

tremisse) Cav. et Ma. *tremissem*.

—, 20 *carolas*) Ma. *carulas*; Par. 4613 *scolas*.

annonas ei non repotetur) Pro *annonas* Par. 4613 et Epor. *annona*; Guelph.1 *anona*; Guelph.2 *anonam*. Pro *ei* Par. 4613 *vero*; deest in Ma. In Par. 4613 deest *non*. Demum *repotetur* habet Epor.; *reputetur* Cav., Ma., Guelph.1; *reputet* Par. 4613; *reputent* Guelph.2.

VI (CLXII).

In Epor. et Guelph.1 est cap. *VII*; deest in Cav.: qua de re vide quae supra notavimus. In Guelph.1 in indice et in Epor. rubrica est *De marmorariis*; deest in Ma.; in Par. 4613 et in Guelph.2 rubrica, omissa particula *De*, textui adnectitur hoc modo: *Marmorarios* (Guelph.2 *Marmorarii*) *si etc.*

—, 23 *quis*) Deest in Par. 4613 et Guelph.2.

axes marmoreas) Ita recte Ma., Epor.; *axem marmoream* Guelph.2; *axes marmore* Guelph.1; *saxis marmoreas* Par. 4613.

fecerit) Ita Epor., Guelph.1; rell. *fecerint*.

det) Guelph.2 *dent*.

—, 24 *solidos*) Ita Par. 4613; *solidum* Ma.; *sol'* rell.

uno) Ita Epor.; *.ı.* Ma., Guelph. uterque; deest in Par. 4613.

XV) Ita quattuor codd.; solus Par. 4613 *XXV*, quapropter hanc lectionem, quam olim receperam, nunc rejiciendam putavi: praesertim cum minima sit ejus codicis auctoritas ubi dissentit a Guelph.2, et in alterutro scriptura incuriae vel arbitrio amananuensis tribuenda sit.

Et si) Par. 4613, Guelph.2 omittunt *et*.

fecerit) Par. 4613, Guelph.2 *fecerint*.

de pedes quaternos aut quinos) Ita Par. 4613, nisi quod scriptum *quater nos aut qui nos*; similiter Guelph.2 *de pedibus quaternis aut quinis*; Ma. *det pedes quaternos quinos*; Epor. et Guelph.1 *det pedes quinos quaternos*. Tum. Ma., Epor., Guelp.1 omittunt *det*; pro quo Guelph.2 *dent*.

—, 26 *tres*) Ita plenis litteris Ma., Epor., Guelph.1; *.ııı.* Guelph.2; *quatuor* solus Par. 4613. Huc aptanda quae nuper diximus de altera ejusdem codicis lectione *XXV* pro *XV*.

annonas) Guelph.2 *anonas*; Par. 4613 *annona*; Guelph.1 *anona*.

ei non) *vero non* Guelph.2; deest in Par. 4613; Guelph.1 omittit *ei*.

repotetur) Ma., Guelph.1 *reputetur*; Par. 4613 et Epor. *repotet*; Guelph.2 *reputent*.

VII (CLXIII).

Deest hoc caput cum sequente in codicibus secundae familiae, seu Par. 4613 et Guelph.2; in codd. tertiae familiae, omni numero et rubrica omissa, adnectitur capiti *De marmorariis*, quamvis hujus argumentum nihil cum illo habeat commune.

—, 29 *Si vero*) Ma. *Si quis vero*.

furno) Ita Epor.; *furnum* Guelph.1 et Cav.; *furtum* Ma.

in pisile) Ita Cav. et Ma.; *in pensele* Epor.; *impensile* Guelph.1. Cf. Roth. cap. CCXXI. Vide etiam *Glossarium mediae et infimae Latinitatis conditum a* Carolo Dufresne Domino DU-CANGE, *cum supplementis integris monachorum S. Benedicti*, D. P. Carpentierii, *Adelungi*, *aliorum suisque digessit* G. A. L. HENSCHEL; *Parisiis*, *1845*, *T. V*, *pag. 266*, ad vocem *Pisalis*.

caccabos) Epor. *caccabo*; Guelph.1 *cacabis*.

—, 30 *postes*) Ita optime Ma.; *poos* Epor.; *post* Cav. et Guelph.1.

et cum — viginti quinque) Epor. *cum pinea sua levaverit caccabos .xxv.*, omissis vocibus *et* nec non *ducenti—caccabos*. Pro *pineam suam* Guelph.1 *pinea sua*. Pro *caccabos* Guelph.1 utrobique *cacauos*. Pro *pinea ipsa habeat* Ma. *pineam ipsam habeant*.

—, 33 *exinde tollat*) Cav. et Ma. *et inde tollant*.

tremisse uno) Ita Epor.; *tremisse unum* Guelph.1; *tremissem unum* Cav. et Ma.

quingentos) Cav. et Ma. *quingenti*. Tum Guelph.1 *cacauos*.

—, 34 *habuerit*, *habeat*) Cav. *habuerint*, *habeant*.

tremisses) Ma. *tremisse*; Cav. *tremissum*.

—, 35 *mille*) Cav. *milles*.

caccabi, *tollat*) Cav. et Ma. *caccabos tollant*; in Guelph.1 est *cacaui tollat|lat*.

tremisses) Ma. *tremisse*; Cav. *tres missi*.

VIII (CLXIIII).

In Epor. et Guelph.1 item cap. *VIII*; deest in Par. 4613 et Guelph.2: cf. supra notata ad cap. VII. Rubricam dedimus ex Cav.;

in Epor. hoc loco, tum in Guelph.1 in indice, est *De puteo*: omittitur in Ma.—Integrum caput solus habet Cav.; in Ma. enim desunt priora quindecim verba *Si quis—repotetur*; et mox *puteus—solidos tres*; in Epor. et Guelph.1 desunt verba *solidos quattuor—viginti sex*.

152, 40 *Si quis puteum*) Guelph.1 *Si vero puteum*; Epor. *Si vero puteo*.

—, 41 *annonas*) Guelph.1 *anona*.

non repotetur) Epor. omittit *non*. Ceterum hoc loco codd. *reputetur*.

—, 42 *de pedes XXXV*) *de pedes xxv* Ma.; *de pedes xxx* Epor.; *de pedibus xxx* Guelph.1. Lectionem secuti sumus codicis Cav., magis respondentem proportioni inter profunditatem putei et operae pretium: praesertim cum is unus codex legem integram exhibeat, et ex ejus scriptura *XXXV* reliquorum codicum scripturae facile derivari potuerint; nec nisi pro uno codice sit auctoritas codicum Epor. et Guelph.1, qui ex eodem exemplari derivati sunt.

52, 44 *autem*) Deest in Epor. et Guelph.1.

de pedes) Guelph.1 *de pedibus*.

—, 45 *annonas*) Cav. *annona*; Guelph.1 *anona*.

repotetur) Epor. *reputantur*; rell. *reputetur*.

—, 46 *Explicit—rege*) Ita Par. 4613, omissa tamen voce *rege*; *Expliciunt leges domni Liutprandi regis* Guelph.1; Cav. formulam repetit quam supra exhibet ad finem Edicti *Explicit—instituit*; Ma. nihil habet, itemque Epor., in quo scilicet sequitur prologus Liutprandi regis; in Guelph.1 *Finit de Grimoaldo rege Incipit prologus de domno Liutprando rege*; in Epor. et Guelph.1 sequitur Edictum Liutprandi regis; in rell. Edictum Rachis regis.

EDICTUM

RACHIS

REGIS.

Capitulorum indicem, ut ceteri librariis tribuendum, ad Edictum Rachis habent, omissa tamen singularum partium quam damus inscriptione, Cav. et Par. 4614, tum Guelph., quo in subsidium utimur in quattuor priorum capitulorum et prologi textu exhibendo: sed quisque a ceteris dissentit. Nos damus ex Cav., excepta rubrica capituli VIIII, quam, utpote in Parisiensi clariorem, ex eo recepimus.

I—IIII. Sicuti capitula ipsa in contextu, ita eorum rubricae desunt in Par. 4614. In Guelph. sola adest rubrica prioris capituli, conjuncta cum rubrica proxime sequentis, seu primi ex Edicto. In Cav. praeterea deest rubrica capituli III, cum in eo codice capp. II et III in unum conjungantur. Nos eam, et mox duas Capitulorum in brevi, uncis tamen inclusas, supplevimus, eo majore fiducia, quod et ceterae omnes non ipsis legumlatoribus debeantur, sed amanuensium arbitrio. Ceterum de ipso capitulorum ordine vide quae disserimus ad Notitiam, ad prologum Edicti, et ad Capitula in brevi.

XIII—XIIII. Desunt hae duae rubricae in codd.; sed vide quae nuper notavimus.

NOTITIA.

Priora quattuor Rachis regis capitula, seu NOTITIAM, soli exhibent Cav., Ma., Par. 4613, et Guelph.; desunt in Epor., Par. 4614, et ceteris omnibus in hanc diem cognitis codicibus, nec non in editionibus. Capitula II-IIII tamen jamdiu separatim edita sunt a V. Cl. CAROLO TROYA in Ephemeride Neapolitana, cui titulus *Il Progresso delle scienze, delle lettere e delle arti, opera periodica compilata per cura di G. R. Vol. I, Napoli, 1832, pag. 104-108*, atque inde repetita in opere *Troya, Storia d'Italia, Vol. I, Parte IV, pag. 71 e segg. dell'Appendice*, itemque ad calcem Commentationis quae ex eodem opere seorsim edita est sub titulo *Della condizione de' Romani vinti dai Longobardi, Milano, 1844, pag. 485 e segg.* Ex opere ejusdem Clarissimi viri, non autem, quod falso asseritur, ex codice Cavensi, repetita sunt in praelectione M. Petit de Baroncourt, in Regio Borbonico collegio Historiae Professoris, *De regum Langobardorum Ratchidis Aistulfique recentius repertis legibus: Parisiis, 1847*, qua in editione etiam Walteri Corpus Juris Germanici, et textus qui in lucem prodierat hujus meae editionis, in subsidium vocati sunt. Sed harum editionum nullus est usus criticus, cum ex codice Cavensi quo utimur, immo ex valde inaccurato ejus apographo derivatae sint. — De sede horum capitulorum gravis est quaestio et intricata, quam fuse tractavi in Commentatione, cui titulus *Dell'edizione delle leggi Langobarde pubblicata per cura della R. Deputazione di Storia Patria, al sig.* GIOVANNI MERKEL *di Norimberga, lettera di* CARLO BAUDI DI VESME. *Torino 1847, § 64, pag. 64-65.* Hic paucis officio fungar, adnotans quem locum in singulis codicibus teneant haec capitula. In Ma. et Par. 4614 ea capitulorum sedes et ordo est, quam eis in editione tribuimus; aliquis error est in capitulorum numeris, ut ad singula capitula monebimus. In Guelph. capitula Liutprandi statim subsequitur Rachis prologus; post hunc capitulorum index, in quo octo numerantur capitula, nostris quattuor cum Edicti primo seu *de wadia* in unum conjunctis, ut supra notavimus; in textu vero non jam octo, sed novem capitula numerantur, quorum primum ex quattuor nostris conflatum est, reliqua octo sunt capitula ex Edicto. Demum in Cav. primo loco est prologus, hunc sequitur index, indicem imago Rachis regis (in Ma. ea est primo loco, inter leges Liutprandi et Rachis), hanc capitulum primum, post quod capitula ex Edicto, dein capitula *in brevi*, demum capitula nostra II, III, IIII: de cujus rei causa loquemur ad prologum capitulorum in brevi. Jamvero e postremis prologi verbis satis apparet, ei proxime subjiciendum esse capitulum *de wadia*, atque ideo octo universa Edicti capitula; his autem proxime adnectenda sunt capitula *in brevi*, ut suo loco probabimus. Nec etiam primum Notitiae capitulum a reliquis sejungi posse, ipse eorum contextus et argumentum satis probant. Aut igitur quattuor haec capitula universa prologo praeponenda sunt, aut universa subjicienda ipsis capitulis *in brevi*. Universa prologo esse praeponenda docemur primum auctoritate codicum, dein ipso capitulorum argumento. Quae enim in his capitulis statuuntur, eorum pleraque, partim iisdem paene verbis, leguntur in capitulis VI et VII hujus Edicti; inutile autem fuerit hisce capitulis talia decernere, postquam ea jam capitulis in Edictum illatis statuta fuissent. Sunt igitur haec capitula ab Edicto aliena, sola Rachis regis auctoritate edita; cum demum oportunum visum sit de eadem re Edicto statuere, priora illa capitula nullius usus facta sunt: quae causa est cur ea in plerisque codicibus omittantur.

Quaestio superest de tempore, quo haec capitula a Rachi edita sint. De die nulla quaestio, legimus enim in cap. I *Nam qui a presente die kalendarum martiarum*; annus regni Rachis aut primus aut secundus necessario fuit. Sed eodem die publicata fuisse haec capitula, et ea quae de eadem re in Edicto leguntur, nemo facile credat. Accedit, ipsum argumentum capituli I suadere id esse referendum ad primum regni annum Rachis regis, et ad primum gentis concilium sub eo principe mense martio pro more habitum.

Sed jam transeamus ad ipsam lectionis varietatem exhibendam. Ea magni momenti non est in Cav., Ma. et Par. 4613; contra Guelph. nonnumquam etiam in gravioribus a ceteris recedit, uti etiam mox in prologo Rachis regis.

I (I).

In omnibus codd. est primum e capitulis Rachis regis; sed in Cav. et Guelph., ut supra notavimus, ei praeponitur prologus, et capitulorum index. In Guelph. signatur numero *I*; in reliquis numero caret.

155, 8 *In nomine — Christi*) Desunt haec in Guelph.

—, 9 *Dominum*) Guelph. *deum*; Par. 4613 male *domini*.
salutem) Cav. *salvationem*.

—, 10 *omnium nostrorum*) Male Guelph. *omnium fidelium nostrorum*.
rectum) Guelph. *recto*.

—, 11 *nostris judicibus*) Par. 4613 *judicibus nostris*.
ut et) Ma. et Guelph. habent tantum *ut*; Cav. et Par. 4613 habent *et*: nos utramque particulam conjungendam putavimus.
homines) Guelph. *omnes*. Mox *et* Guelph.; rell. *ut*.

—, 12 *qui suam*) Par. 4613 omittit *qui*.

—, 13 *ut unusquisque*) Solus Guelph. *jubemus ut unusquisque*, quod minus probo.

—, 14 *judicium*) Guelph. *judicio*.

—, 15 *exemulationem*) Par. 4613 *eximulationem*; Ma. *simulationem*; in Guelph. est *non adtentat dissimulationem*.
aliam) Ita Guelph.; rell. *hujus*.

—, 16 *resedeat*) Cav. et Guelph. *resideat*; Par. 4613 *redeat*.

—, 17 *conservet*) Cav. *conser*.
de nullo hominem) Guelph. *de nullo homine*; Ma. *a nullo homine*; Par. 4613 *nullum hominem*.

—, 18 *accipiat*) Cav. *tollat aut accipiat*; glossa, quae, ut alibi saepe in eo codice, in textum irrepsit.

155, 18 *manum scriptam*) Guelph. *manus scriptas.*

—, 19 *promiserunt*) Par. 4613 *permiserunt.*

qui aliter) Cav. et Par. 4613 *qualiter*; Guelph. *et qualiter.*

—, 20 *amodo*) Guelph. *modo.*

arimanno suo) Guelph. *ad arimannum suum.*

—, 21 *cuicumque*) Cav. *cunctoque.*

—, 22 *judicatum suum et honorem*) Ma. *suum honorem*; Par. 4613 *honorem suum*; Guelph. *honorem*: omissis scilicet verbis *judicatum* et *et.*

—, 23 *et conponat — suum*) Guelph. *et nobis conponat widrigild suum.* Pro *widrigild* Par. 4613 *widrigildum.*

—, 25 *justitiam*) Par. 4613 *justitia.*

neglexerit) Ma. *neglexit.*

quoniam) Cav. et Guelph. *q̄m*; Par. 4613 *quum.*

—, 26 *teste Deo*) Guelph. *Deo teste.*

dicemus) Ita Guelph.; rell. *dicimus.*

alicubi vel ad orationem) Cav. *alicubi adhortacione*; Guelph. *ubicumque adorationem.*

—, 27 *aut*) Cav. pro more *aud*; Par. 4613 *ut.*

ubicumque) Guelph. *alicubi.*

—, 28 *reclamationem*) Par. 4613 *reclamatione*; Cav. *reclamationes.*

hominum) Cav. *pauperum hominum.* Vocem *pauperum*, utpote quam reliqui codd. omitterent, pro glossemate habuimus.

—, 30 *previamus*) Ita Par. 4613 pro *praebeamus*; inde Ma. *preveniamus*; Cav. *perveniamus.* In Guelph. totus hic locus ita se habet: *Ideo hec statuimus et volumus ut omnes judices hoc faciant. ut in Dei non deveniamus offensam. et volumus ut ipsi judices eo tenore etc.*

—, 32 *a sculdahis*) Pro *ad sculdahis*, quod habet Par. 4613; in Guelph. est *ad sculd'as.* Mox *a* solus habet Cav.; *ad* Ma., Par. 4613 et Guelph.

centenarios) Ita Guelph., prout vocem exhibent alia ejus aetatis monumenta; *centinos* rell.

aut ad) Par. 4613 *ut ad*; Cav. omittit *ad*; Guelph. habet *vel.*

—, 33 *vel quos*) Guelph. omittit *vel*, fortasse recte. Pro *quos* Cav. et Par. 4613 *quod.*

ut et) Ma. et Guelph. omittunt *et.*

—, 34 *promittant*) Cav. et Par. 4613 *promittat.*

ad judicem suum) Par. 4613 *ad judice suo*; Guelph. *judici suo.*

—, 35 *sicut et ipsi*) Par. 4613 *sicut ipse.*

nobis et illis) Cav. et Ma. *illis et nobis.*

—, 36 *mercedes in animam*) Par. 4613 *mercedes in anima*; Ma. *merces animae*; Guelph. *merces in animabus nostris.*

Nam qui) *Quod si* Guelph.

—, 38 *conservaverit — conpleverit*) Cav. et Guelph. *conservaverint — conpleverint.* Pro *aut* Guelph. *et.*

—, 39 *venerint*) Par. 4613 *venerit.*

—, 40 *judiciaria*) Ita rectius Guelph.; *judicaria* Ma.; *judicalia* Cav. et Par. 4613.

—, 41 *habuerit — venerit*) Par. 4613 *habuerint — venerint.*

sciat se) Deest particula *se* in Guelph., sed ea genuina est.

—, 42 *honore*) Par. 4613 *honorem*; Guelph. *honore suo.*

expellimus) Guelph. *expellemus.*

nullos patronos) Par. 4613 *nullo patronos*; Guelph. *nullum patronum nos.*

—, 44 *et nobis*) Par. 4613 *ut nobis.*

illis) Guelph. *illi*, rectius, si grammaticam spectes. Mox Cav. omittit *non.*

justitiam) Guelph. *justiam.*

156, 1 *cognoscimus*) Cav. *cognovimus.*

—, 2 *eum nec*) Cav. *eum quia nec.*

—, 3 *salvatione*) Par. 4613 *salvationem.*

terrae istius) Guelph. *terrestius.*

—, 4 *contra*) Guelph. *quia contra.*

II (II).

In Cav. est cap. *X*; in Ma. et Par. 4613, in quibus numero caret superius capitulum, cui hoc et reliqua proxime subnectuntur, est cap. *I*; in Guelph. superiori capitulo omnino conjungitur.

—, 7 *quislibet*) Guelph. *quilibet.*

—, 8 *prius non — suo prius*) Desunt haec in Par. 4613; Cav. et Guelph. omittunt alterum *prius.*

—, 10 *suam receptam sic*) Ma. et Guelph. omittunt *suam.* Pro *sic* Guelph. *si.*

—, 11 *ad ipsum*) Par. 4613 *ipsum ad.*

solidos quinquaginta) Guelph. *sol' L.*

—, 12 *debeat*) Guelph. *debeant.*

—, 13 *revertere*) Cav. *ire.*

causam habentes) Ma. *causam habentem*; Par. 4613 *causam suam habentes.*

per civitatés) Optimam hanc lectionem exhibet Guelph.; rell. *ad civitatem suam.*

156, 14 *ad judicem suum*) Guelph. *ad judices suos*; Cav. *simulque ad judicem suum.*

debeat causam suam) Guelph. *debeant causas suas.*

—, 15 *ad ipsos — suos*) Par. 4613 *judici suo*; Guelph. omittit *suos.*

Et si) Par. 4613 omittit *et.*

receperit) Guelph. *susceperint.*

—, 16 *nostram presentiam*) Guelph. *praesentiam nostram.*

—, 17 *si quis venire antea*) Guelph. *qui antea venire.*

priusquam) Guelph. *quam.*

—, 18 *habuerit*) Cav. *habuerint*, utroque loco. Verba *conponat — unde* omissa sunt in Par. 4613.

—, 19 *quinquaginta*) Guelph. *L.*

—, 20 *conponere*) Ita recte Par. 4613; *comp.* Cav. (et Ma.?); *compositionem faciat* Guelph.

fustetur) Ita Cav. et Par. 4613, verius, nam a *fusti* ortum; *frustetur* Ma. Pro *juvemus ut eum fustetur* Guelph. *habemus eum fusticare.*

—, 21 *vadat unusquisque*) Guelph. *unusquisque vadat.*

—, 22 *percipiat*) Ma. *recipiat.*

ejus) Recepimus ex Guelph.; deest in Cav., Ma. et Par. 4613.

III (III).

In Cav. tam in textu quam in indice hoc capitulum superiori conjungitur; in Ma. et Par. 4613 signatur numero *II*; in Guelph. superioribus conjungitur.

—, 26 *Et hoc*) Guelph. omittit *hoc.*

—, 27 *causa*) Guelph. *causam.*

ad dicendum) Deest in Guelph.

—, 28 *cum notitia*) Guelph. *per notitiam.*

causa — dicendum) Cav. omittit *de* ante *orphano*, et mox habet *dicendo*; in Ma. deest *dicendum*; Guelph. habet *qui causam de vidua et de orfanis minaverit.*

—, 29 *Nam qui*) Cav. *Neque*; Guelph. transfert *qui* post *diximus.*

—, 30 *conliberto suo causam supprehendere*) Cav. *colibertos suos. Si quis causam supprehenderit.* Pro *causam* Guelph. *causas.*

—, 33 *ante quem—altercatur*) Ita Ma.; *antequam—altercatur* Par. 4613; *antequam — altercaretur* Cav.; *antequam — altercetur* Guelph.

IIII (IIII).

In Cav. *XI*; in Ma. et Par. 4613 signatur numero *III*; in Guelph. hoc item superioribus conjungitur.

—, 39 *Et hoc*) Ita Guelph.; rell. *Haec itaque.*

—, 40 *quando cum*) Cav. *quandocumque.*

judice suo caballicaverit) Guelph. *suo caballicaverit judice.*

—, 41 *unusquisque*) Par. 4613 *ut unusquisque.*

debeat portare) Guelph. *portet.*

—, 42 *scutum et lanceam*) Ita Cav. et Guelph.; *arcum et lanceam* Ma. et Par. 4613. Sed qui *lancea* armati erant, ii *scutum* insuper gestabant, non *arcum et sagittas*, quod inferioris militiae munus fuit: confer Ahistulfi cap. II et III. Huic affines extant plurimae Francorum leges.

caballicet) Guelph. *caballicet judicem.*

—, 43 *si ad—suum*) Par. 4613 *sic ad palatium judicem suum*; Guelph. *si ad palatium cum suo judice.*

157, 1 *ei*) Deest in Par. 4613.

—, 2 *de nos*) Ma. et Epor. *de nobis.*

—, 3 *oportunum fuerit caballicare*) Ita Guelph., quod praeplacet; rell. *oportet fieri caballicatio.*

—, 4 *vero*) Deest in Par. 4613.

—, 5 *viginti*) Ita Cav.; *XX* Par. 4613 et Guelph.; *LXX* Ma., perperam: cf. Roth. cap. XX — XXII.

—, 6 *si non*) Ita recte Par. 4613; Cav. et Ma. *aut non*; Guelph. corrupte habet *cujus arimannus hoc facere neglexerit. non distrinxerit.*

sicut supra — De ferratura quidem) Haec mirum in modum corrupta sunt in Guelph.: habet is *sicut supra diximus ad hoc peragendum. In palatio regi deferantur*, et continuo sequitur *et alia arma vel* etc.

—, 8 *De ferratura — praecepimus*) Haec omittuntur in Par. 4613.

aliam armaturam) Ita Cav.; *aliis armis* Ma.; *alia arma* Guelph. Nescio ex quo errore ortum quod edd. exhibent, *alias arimannias.* Mox *vel* Ma. et Guelph.; *ut* Cav.

—, 9 *ita*) Guelph. *et ita.*

debeat — distringere) Ita Guelph.; *fieri debeat* Ma.; *fieri debeant* Cav.

—, 10 *per anteriorem nostram*) Cav. et Ma. *in antea per nostram.*

—, 13 *Explicit*) Deest vox in codd. In Ma. et Par. 4613 ut apud nos sequitur prologus Rachis regis; in Guelph. primum Edicti capitulum; in Cav. sequitur Edictum Ahistulfi regis.

EDICTUM.

157, 20 *Incipit—regis*) In Epor. nulla inscriptio, sed recentior manus in margine scripsit quae vide supra, col. 220, vers. 43—60. Par. 4614 habet *Leges quas dompnus Ratchis instituit princeps*. Codices Cav., Ma. et Par. 4613 capitulis notitiae, non prologo, inscriptionem praeponunt. In Par. 4613 ea est *Incipit a domno Rachis Rege serenissimus Augustus*; in Cav. *Incipit Prologus Rachisi Regis que Deo juvante addidit*; Ma. habet tantum *Rachis Rex*, tum ipsam regis effigiem, quae, valde tamen discors, extat etiam in Cav. In Guelph. inscriptio est *Incipit prologus domni Ratchesi regis*.

Prologus.

Deest in Epor.; in Cav., Par. 4614 et Guelph. inscriptionem Edicti subsequitur; in Ma. et Par. 4613 ponitur post superius capitulum, quod in iis codd. signatur numero *III*, apud nos *IIII*: in Ma. insignitum nota capitis *IIII*, in Par. 4613 praemissis verbis *Incipit prologus*. Partem hujus prologi, seu verba *Dei omnipotentis—comparuerunt*, primus edidit Sigonius, de Regno Italiae, Lib. III, ad annum 746; apud Heroldum deest; integrum in lucem protulit Muratorius e cod. Estensi, et e Muratorio posteriores editores.

—, 25 *Christi—nostri*) Desunt haec in Guelph., qui mox ante *praecepta* addit *divina*. Ante *Jhesu* Par. 4614 addit *domini*.

—, 26 *conplere*) Par. 4614 *adimplere*.
cujus) Epor. *haec hujus*.

—, 27 *ad*) Par. 4613 *hac*.

—, 28 *ea*) Deest in Par. utroque, et Guelph.
genti) Cav., Par. 4613 *gentis*; Par. 4614 *a gente*.
commissae) Guelph. *commune*.

—, 29 *Deo dilectae*) Par. 4613 *dilette deo*; Guelph. *dilectae Deo*.
Langobardorum) Par. 4614 *Largobardorum*.

—, 30 *statuenda*) Cav. et Par. 4613 *statuendum*.
Quum) Par. 4614 *Quum et*.

—, 31 *ac*) Guelph. *atque*.
precelsus) Par. 4614 *precellentissimus*; Guelph. *praecellens*.
Rotharit rex) Ita Par. 4614; rell. *Rothari* et omittunt *rex*.
gentis Langobardorum) Par. 4613 *Langobardorum gentis*; Guelph. *horum Langobardorum*.

—, 32 *princes*) Guelph. *princeps*; Ma., Par. 4613 *rex*.
divina sibi gratia) Ita Guelph.; rell. *sibi Deo*.

—, 33 *leges*) Cav. et Guelph. *legem*.
inseruit) Guelph. *instituit*.
innovavit) Par. 4614 *novavit*; Par. 4613 *innotavit*.
ut omnes) Guelph. *et omnes*.

—, 34 *hominum*) Adest vox in solo Guelph.
regulari judicio) Ita Par. 4614; *regali studio* Cav., Ma. et Guelph.; *regale studiose* Par. 4613.

—, 35 *resecaret*) Cav., Ma. et Guelph. *resecavit*; deest in Par. 4613.
quidem et) Par. 4613 omittit *et*; Guelph. transfert *quidem* post *statuit*.

—, 36 *que*) Ma., Par. 4613 *ut*; Guelph. *qui*.
Deum inspirantem) Guelph. *Deo inspirante*.

—, 37 *cognosceret—perduceret gratiam*) Ita Par. 4613; *cognosceret—adduceret gratiam* Par. 4614; *cognoscerent—perducerent gratiam* Cav. et Ma. In Guelph. est *cognoverint quae ille instituit emendarent*. Ceterum pro *mollitiem* Par. 4613 *malitiam*.

—, 38 *Grimowald*) Par. 4614 *Grimuald*; rell. *Grimoald*. Cf. notata ad col. 83, vers. 9.
precellentissimus) Par. 4613 *excellentissimus*.

—, 39 *atque vigilanter*) Cav. *atque evigilanter*; Par. 4613 *eaque vigilantem*.

—, 40 *consideraret necessitates*) Cav. et Par. 4613 *consideraret necessitatem*; Par. 4614 *considerantes necessitate*; Guelph. *necessitates consideraret*.
ea quae illi—adauxit) Ita Guelph.; Par. 4614 habet *quae illi melius conplacuerant ad cultum salutis augendo minuendo adduxit*. Similiter Cav., Ma., Par. 4613; sed pro *cultum* Par. 4613 *cunctis*: pro *augendo minuendo adduxit* Cav. *augendum minuendo adjunxit*; Par. 4613 *augendum minuendum adjunxit*; Ma. *augendum minuendumque adjunxit*.

—, 42—50 *Post hunc vero—judicibus*) Haec ita mutata leguntur in Guelph.: *Post hunc vero gloriosus et orthodoxus dei cultor luitprandus sapientissimus nostrae gentis langobardorum rex per multam diligentiae curam et sollicitudinem hujus edicti textum prudenter accumulare curavit. Deinde ego Ratchis excell' rex divina annuente gratia anno regni mei secundo cum judicibus et optimatibus nostris etc.*

—, 43 *orthodoxus*) Par. 4614 *orthodoxe*; si pro *orthodoxae*, non male.

157, 44 *gubernator*) Male Par. 4614 *cultor et gubernator*. Post hanc vocem Par. 4613 omittit *et*.
per—misericordia) Par. 4613 *propter deum omnipotentem*.

—, 45 *Liutprand*) Par. 4614 *Leudprand*.

—, 46 *precelsus*) Cav. *precellentissimus*.
sapientissimus) Ma. *sanctissimus*. Idem post *Dei* addit *omnipotentis*, quod e superioribus repetitum videtur.

de suis personis) Cav. *in suis personibus*; Vat. *de personis suis*.
—, 37 *instituerit*) Cav. *instituit*. Epor. habet *domini eorum instituerint*.
—, 38 *a suis cespitibus*) Vat. *au suis scispidibus*.
ab ipsis) Par. 4614 omittit *ab*; Vat. habet *ad ipso*.
—, 39 *venerabilibus locis*) Vat. *locis venerabilibus*.
—, 40 *voluerint exire*) Vat. *exire voluerint*.
licentiam — exire) Haec desunt in Cav. et Par. 4613. Contra Ma. mox omittit *et vivere*.
—, 41 *ubi*) Deest in Vat.
si ad) Vat. *in*.
—, 42 *properaverit*) Ma. *propinquaverit*.
nec thingare) Vat. *turgare*.
—, 44 *liberum dimittendum*) Cav. et Vat. *ducendum*.
—, 45 *et instituerit*) Cav. *Nam si instituerit*; Vat. *et statuerit*. Tum Cav. et Par. 4613 omittunt *ut*.
obitum ejus) Par. 4613 et Vat. *ejus obitum*.
—, 47 *deduci debeatur*) Ma. et Par. 4613 *duci debeatur*; Vat. *deducebatur*.
causa miserationis) Epor. *causam irationis*.
—, 48 *preceperit*) Cav. *precepit*.
—, 49 *et*) Vat. transfert ante *eum*.
sacerdos quem) Epor. *sacerdotes quam*.
—, 50 *cujuscumque*) Epor. *cujus*.
contradictione) Par. 4613 *conditione*.
—, 51 *mercis nobis esse*) Par. 4613 *nobis mercis esse*; Epor. omittit *mercis* et *esse*; Vat. omittit *mercis*.
—, 52 *ut de*) Vat. *causa de*.
servi) Ita Epor. et Vat.; *servili* Par. 4614; *servos* Cav.; deest in rell.
deducantur) Epor. *ducantur*.
—, 54 *nos*) Cav., Ma., Par. 4613 *nobis*.
Si vero) Par. 4613 *et si vero*.
aliquid ei in ipso) Vat. *in aliquo ipso*.
—, 55 *suo — preceperit*) Par. 4613 omittit *suo* et *aut — preceperit*.
stabilis — permaneat) Vat. *stabiles sit ipsa donacio*.
—, 56 *Apostoli Pauli*) Cav. et Epor. *Apostolus Paulus*; Vat. *Pauli Apostoli*.
—, 57 *praestare jubit*) Ma. *prebere jubet*; Par. 4613 *preberet jubet*; Cav. *prebere oportet*; Vat. *bre ibi jubet*.
—, 58 *launegild*) Epor. *launigild*; Ma. *launechild*; Par. 4614 *launigil*; Vat. *lanieild*.
inputetur ei) Vat. *non inputetur*.
—, 59 *eo quod*) Cav., Ma., Par. 4613 *quia*.
unde aliut) Ma. et Par. 4613 omittunt *aliut*; Cav. habet *aliquid unde aliud*; Vat. omittit *aliut*.
launegild) Epor. *launigild*; Par. 4614 *launigil*; Vat. iterum *lanicild*. Tum Ma., Epor. a prima manu, et Vat. omittunt *ei*.

IIII (XIII).

172, 3 *jam antea*) Epor. *tam antea*; Par. 4613 *in antea*.
—, 4 *habeat*) Par. 4614 et Vat. *haberet*; Par. 4613 *habere*.
—, 5 *sibi bene*) Epor. et Par. 4613 *si bene*; Vat. *bene sibi*. Mox Par. 4613 *serviendum*.
—, 6 *de filiabus*) Ma. *de filiabus autem*.
—, 7 *duas*) Deest in Vat.
reliquerit) Par. 4613 *habuerit*.
potestas) Cav. et Ma. *licentiam*.
—, 8 *ei sit*) Par. 4613 *sit ei*; Vat. omittit *ei*.
suam) Deest in Epor.
—, 9 *meliorare*) Cav. *remeliorare*.
de rebus suis) Epor. et Par. 4614 *rerum suarum*

172, 9 *de rebus — quartam partem*) Pro his Vat. *rerum suarum quarta sit tres fuerint*.
et si tres) Epor. omittit *et*.
—, 10 *partem*) Par. 4613 *portione*; deest in Epor. et Par. 4614.
—, 11 *per hanc*) Vat. *in hanc*.

V (XIIII)

—, 15 *Et iterum*) Soli habent Ma. et Par. 4613.
Langobardus) Deest in Par. 4613. Tum idem *decens*.
—, 16 *usumfructum*) Vat. *usufructuarie*.
—, 17 *et filius vel filias*) Par. 4613 *et filias vel filius*; Cav. *et si filios vel filias*.
ex ea) Vat. *et eas*.
amplius) Cav. *plus*.
—, 18 *ei pro — possit*) Vat. *posset ei judicare per usumfructum*.
—, 19 *super*) Par. 4613 *per*.
ei in — metam) Particulam *in* solus habet Epor. Pro *morgincap* Cav. *morgincaput*; Ma. et Epor. *morgincaph*; Vat. *morginicap*. Pro et Cav. *de*; deest in Par. 4613. Pro *metam* Vat. *meda*.
—, 21 *Et si*) Par. 4613 et Vat. omittunt *si*.
—, 23 *relinquere*) Vat. *reliquerit*.
—, 24 *autem — fuerit*) Verba *autem* et *fuerit* desiderantur in Epor., Par. 4614 et Vat.
per hoc) Par. 4614 *per eum*; Epor. *pro eo*; Par. 4613 *ex eo*.
—, 25 *Morgincap*) Ma. *morgincaph*; Cav. et Par. 4613 *morgincaput*; Vat. *mornicap*. In Epor. deest *meta*, et *habeat* ut *antea*. Pro *meta* Vat. *medam*.
—, 26 *habeat*) Vat. *sit*.
—, 27 *aut mortua*) Vat. *et aut mortua*.
—, 28 *meta*) Iterum Vat. *meda*.
—, 29 *morgincap*) Cav. *morgincaput*; Ma. et Par. 4613 *morgincaph*; Vat. *morginicap*.
fiat) Cav., Ma., Par. 4613 *faciat*. Tum Epor. addit *vero*.

VI (XV).

—, 33 *nos*) Deest in Vat.
—, 34 *paranimpha*) Vat. *pharanimpha*; Par. 4614 *paraninfa*; Ma. *paranimphis*.
—, 35 *troctingis*) Par. 4614 *troc cinctus*; Vat. *trothurgis*.
—, 36 *stercorosam*) Ita Par. 3613, quod verius videtur; *stercora* rell.
jactassit) Heroldus in textu *jectasse*, quod ad Italum *gettare* magis accedit.
—, 37 *malum*) Vat. *mulum*.
—, 38 *ne pro*) Vat. *neque*.
—, 39 *surgant*) Cav. *fiant*.
ut) Deest in Vat.
—, 40 *rem*) Cav. *malum*.
facere temptaverit) Par. 4614 *facere adtemptaverit*; Epor. *fecerit aut temptaverit*; Cav. *facere presumpserit*.
nonientus) Ita Epor.; *nungentos* Ma.; *nongentos* Cav. et Par. 4614; *DCCCC* Par. 4613 et Vat.
—, 42 *fecerint*) Vat. *facerent*.
—, 43 *et se dominus — purificare*) Ita Par. 4614; *et si dominus — purificare* Cav.; *et sit dominus — purificare* Epor.; *et dominus — se purificare* Par. 4613; *et si dominus — se purificare* Ma. Ceterum Cav., Ma., Par. 4614 transferunt *per sacramentum* post *purificare*. In Vat. est *et dominus per sacramentum purificaveret quod ejus consensum non fuisset*.
—, 44 *quod nec cum*) Cav. et Ma. *quod nec cum*. Iidem omittunt *vel consensum*. Pro *nec* iidem *aut*. Pro *vel* Epor. *nec*.
—, 46 *servi*) Cav. et Ma. *tunc servi*. Pro *servi ipsi* Par. 4613 *servus ipsius*.
de mundoald) Ita Cav.; *ad mundoald* Par. 4614, Vat.; *mundoald* rell.
—, 47 *ei placuerit*) Par. 4613 *voluerit*; Vat. omittit *ei*.
—, 48 *et amplius*) Epor. et Par. 4614 omittunt *et*.
patronus — habeat) Par. 4613 *patrono — faciat*; Ma. *patrono — generetur*.
—, 49 *sicut supra legitur*) Vat. *ut supra*.
—, 50 *solidos nungentos*) Ita Ma.; *solidos nongentos* Cav. et Par. 4614; *sol. cccc* Epor.; deest in Par. 4613.

VII (XVI).

—, 55 *abatibus*) Ma. *vel abbatibus*.
seo) Ita Epor.; Par. 4614 *sive*; Vat. *et*; rell. *seu*.
exenedochiorum) Ita Cav. et Epor.; *exenedochorum* Par. 4614; *et xenodochiorum* Ma.; *et sinodochiorum* Par. 4613; Vat. *encteodochorum*.
—, 56 *convenientiam fecerit*) Epor. *convenerit*; Vat. *conventia facerent*.
—, 57 *inter partis*) Vat. *inter se ambe partes*.

172, 57 obligaverit) Epor. se oblicaverint.
et heredes — conligaverint) Desunt haec in Ma. et Par. 4613; Cav. verba et idonei — interfuerint his praeponit; Vat. omittit et ante idonei.
—, 60 ab eodem Langobardo) Ma. ab eisdem Langobardis.
173, 1 obligata) Par. 4613 obligata inter se; Vat. oblegadi.
—, 2 de casis, terris) Vat. eas trinsecus.
—, 3 vel familiis) Ma. atque familiis.
fuerint inter) Ita et alibi in hoc Edicto; Cav., Par. 4613 interfuerit.
—, 4 vel pontificis seo judices) Ita Epor.; vel pontifices seu judices Par. 4614; vel pontificis seu judicis rell., sed Vat. seo. Ego has voces quarto potius plurali quam secundo singulari casu accipiendas censeo; prostant enim exempla hujusmodi chartarum, quibus ipse episcopus vel judex manum adposuerunt.
aut tales — fides ammittitur) Epor. aut aliis — amittitur fides. Pro ammittitur Par. 4614 admittatur.
—, 5 meliorata eis paruerit) Par. 4613 meliorata eis apparuerit; Ma. meliorata — paruerit; Epor. ei meliorata fuerit.
—, 6 fuit) Vat., Epor. et Par. uterque fuerit.
—, 8 removeatur) Vat. removeris.
—, 9 firmis) Ita Epor. et Par. 4613; rell. firma.
et si removere) Par. 4613 sive movere.
—, 10 conligata) Ma. et Par. 4613 statuta; Vat. possita. In fine capituli Epor. et Par. 4614 addunt pars ipsa qui (Par. 4614 quae) removere voluerit. Glossema, quod abest etiam ab edd.

VIII (XVII).

—, 13 talis) Deest in Par. 4613.
—, 14 reliqua loca) Vat. loca reliqua; Epor. omittit reliqua.
—, 15 in defensione) Vat. defensionem.
—, 16 compositione) Vat. posicionem.
dubla) Ita Epor.; duplam, duplas, dupplas rell.
exegessent) Epor. exgessent; Par. 4614 exegissent; Vat. exiebant; rell. exigebant. Tum Par. 4613 omittit ab.
—, 17 venerabilia loca) Vat. loca venerabilia.
devebant) Ita Epor.; debeant Par. 4613 et Vat.; debebant rell.
—, 18 exegere videtur) Par. 4613 exire videtur; Cav. exigere videbantur; Vat. exsergetur.
—, 19 exenodochia) Epor. exenodochiorum; Par. 4614 exenedochia; Cav. exenodochias; Ma. xenodochia; Par. 4613 sinodochia; Vat. axsenedochia.
—, 20 ad palatii defensionem) Vat. in palatii defensione.
esse noscuntur) Epor. omittit esse. Pro noscuntur Cav. (a secunda manu?), Epor., Par. 4614, Vat. videntur. Tum codd. omnes praeter Cav. et Vat. omittunt si. Pro eo Ma. unde. Vat. habet conposicionem siexere deberent.
—, 22 regia) Vat. regis.
dublum) Ita Epor.; rell. duplum, dupplum, dupla.
nisi) Vat. in.

VIIII (XVIII).

—, 28 possederit) Vat. possederent; Cav. possederit per triginta annos.
custodes) Cav., Ma., Par. 4614 transferunt post venerabilium. Pro et custodes Vat. acustodes.
—, 30 de) Vat. et de.
et ejus — possessio) Cav. et probatum fuerit.
—, 31 et in antea) Par. 4614 in antea; Ma. et Par. 4613 et teneat.
Similiter) Deest in Epor.
—, 32 de rebus quae ipsi) Par. 4613 de rebus que de ipsi; Cav. de ipsis quae; Vat. omittit ipsi. Pro possedeunt Cav. possidentur; Vat. possederunt.
—, 33 Quia — contenit) Vat. qui anterius edictus contenit; Cav. qui in anterior aedictus continet; Ma. et Par. 4613 quia in anteriore edicto legitur.
—, 35 ut qui) Vat. atque.
—, 37 rebus) Deest in Epor.
—, 38 quadraginta) Vat., italica prorsus forma, quaranta.
excluditur) Par. 4613 scludat; Cav. claruerit.
—, 39 duximus) Ita unus Par. 4614; dicimus Ma.; diximus codd. rell. et edd.
—, 40 et in antea) Par. 4614 omittit et; Ma. et Par. 4614 habent et in posterum.

X (XVIIII).

—, 43 causam) Deest in Par. 4613.
—, 44 ad defensionem) Vat. ad defensionibus.
sacri) Deest in Epor., Par. utroque, et Vat.
—, 45 noscuntur) Par. 4613 videtur.
si fuerit — procedere) Vat. si fueret sacramentum deducere debeant.

173, 46 si judex) Cav. si dux aut judex: glossa.
—, 47 prepositum) Male Epor. et Vat. propositum.
—, 48 aut prepositus) Vat. omittit aut.
pulsaverit, et) Vat. pulsaveret.
—, 49 datum fieri debuerit) Ita Par. 4614; datum fuerit debeat Epor.; dare debuerit Ma.; debuerit Par. 4613; dandum fuerit Cav.
judex) Post hanc vocem Epor., Par. 4614 et Vat. addunt iterum, sed Vat. omittit ei.
—, 50 Si vero) Par. 4613 et si vero.
—, 51 habuerit) Vat. habere.
similiter) Solus habet Par. 4614; Vat. habet simile.
—, 52 deductum fieri) Ita Par. 4614; deductum fuerit Epor.; deduci Ma. et Par. 4613; procedere Cav. Pro deductum fieri debeat Vat. deductum debeat fieri debet.
anteponatur ipse abas) Epor. anteponere ipsa abas; Cav. anteponatur abbatem ipsum; Vat. antepone abate ipso; Ma. et Par. 4613 omittunt ipse.
174, 1 solus) Vat. a prima manu loco; a secunda solo.
elegerit, quanti secundum) Vat. de re queras sedum (?).
—, 2 debuerint) Epor. devem pro devent.
sacramentum) Vat. sacra circum.
—, 3 ita) Par. 4613 Ipse.
qui) Deest in Vat.
—, 4 Deum) Par. 4613 dominum.
—, 5 quinquaginta) Par. 4613 ad quinquaginta; Vat. ad .l. Pro et Cav. et Ma. seu.
cum) Par. uterque qui cum.
—, 6 alio custodem) Par. 4613 alii custodes; Cav. et Ma. aliis custodibus.
vel prepositus) Epor. vel propositum; Par. 4613 vel propositus; rell. vel prepositis.
—, 7 locis) Vat. lucis.
causam) Vat. et causa.
—, 8 ipse — prepositis) Cav. ipsi custodes vel prepositis; Par. 4614 ipsi custodes vel propositus; Epor. ipsi custodis vel propositis; Vat. ipse custodes vel prepositi.

XI (XX).

—, 12 ut pars curtis regis) Ma., Par. 4613 pars curtis regis ut; Cav. ut curtis regia; Par. 4614 ut pars curtis regiae; Epor. ut pars locis cum curte regia.
deducere) Ma., Par. 4613 deduci.
—, 13 ovescarioni) Ita Par. 4614; ovescarius Epor.; abscarionibus seu ab scarionibus Ma.; ubi scariones rell.
—, 14 actoribus) Ita Epor.; auctores Cav.; auctoribus rell.
finiantur — cum actoribus) Desunt haec in Par. 4613.
—, 15 causam fuerit) Epor. fuerit causam; Vat. fuerit casa.
actor — actoribus) Ita haec duo verba exhibent Epor. et Vat.; auctor — actoribus Par. 4614; auctor — auctoribus Ma.; auctores — auctoribus Cav.; desunt haec, ut monuimus, in Par. 4613.
de loco cum) Vat. de locum.
—, 16 causae) Vat. casa.
persolvant sacramentum) Epor., Par. 4613 et Vat. sacramentum persolvat.

XII (XXI).

In Vat. hoc capitulum continuo contextu superiori conjungitur.
—, 20 Et hoc definimus) Cav. et Par. 4613 Et hoc definivimus; Vat. et hec desitum est.
—, 22 positum) Cav. prepositum; deest in Par. 4613.
movitionem) Cav., Par. 4614 et Vat. monitionem.
—, 23 aut debitorem pro quacumque) Vat. et debitorem aut qua pro cumque.
—, 24 judicaria) Ita Epor. et Ma.; judiciaria Par. 4614 et Vat.; judicalia rell. Pro si de una Par. 4613 sine, et mox omittit ad.
—, 25 ad exercitandum) Vat. ad exercedandum; Cav. in exercitum.
—, 26 a duodecim dies) Particulam a (id est ad) solus habet Epor.; Vat. ad; omittunt reliqui. Cav. omittit duodecim, et Epor. dies. Pro duodecim Vat. xi.
et duodecim) Vat. et xij. dies.
—, 27 postea quam) Par. 4613 postea; Ma. postea cum; Epor. postea postquam; Vat. posquam: num fuit posteus?
—, 28 aliis judicariis) Ita Epor.; alii judiciariis Par. 4614; aliis judicaris Vat.; alia judicaria Cav.; alio judice Ma. et Par. 4613.
similiter — ad) Cav. similiter — per; utraque vox deest in Ma. et Par. 4613; Vat. habet similis spacium sita.
—, 29 viginti) Vat. xxiiij.
—, 30 pignera ipsa) Par. 4613, Vat. ipsa pignera.
sicut qui) Vat. si quis.
—, 31 pignus abstulerit) Ita Epor.; pignus abstulit Par. 4614; pianus obstulit Vat.; pignera alicujus abstulit rell.

XIII (XXII).

In Vat. omittitur capituli numerus.

174, 35 *Si quiscumque*) Par. 4613 *Si quis* ; Cav. omittit *Si*.

—, 36 *de judice — hominem*) Vat. *judici aut alii homini*.

—, 37 *vel ad — aut ad*) Cav. et Ma. *aut* pro *vel*, et vicissim. Vat. a prima manu omittit *aut*. Par. 4614 et Vat. omittunt alterum *ad*.

—, 38 *omnis*) Deerat, sed restitutum a secunda manu, in Vat.

—, 39 *detenere*) Vat. *tenere*.

—, 40 *dicendo*) Vat. *et dicentes ei*.
parentibus) Epor. *parentes*; Par. 4613 *ad parentes*, quod fortasse verius.

—, 41 *ejus*) Vat. *eorum*.
deservisset) Epor. et Par. 4614 *servissent*.
pro) Cav., Ma., Epor. et Vat. *per*.

—, 42 *tenere*) Cav. et Ma. *retinere*.
et contra) Par. 4614 et Vat. omittunt *et*.

—, 43 *dum — sunt*) Vat. *cum — sint*.
omnes ejus) In Cav., Ma., Par. 4613 deest *omnes*; in Epor. deest *ut*.

—, 44 *ut ipse*) Ma. et Par. 4613 omittunt *ut*.
voluntariae) Vat. *voluntate sua*.

174, 44 *deservivit*) Ma. et Epor. *servivit*.

—, 45 *detenea*tur) Vat. *teneat*.
pro furto) Cav. *supra furtum*.

—, 46 *ad deserviendum*) Vat. *ad serviendum*.

—, 47 *datus fuerit*) Vat. *datus fuisset*.

—, 48 *et in antea*) Desideratur in Epor., Par. utroque, et Vat.; sed in hoc legitur *et ante deserviat*.

—, 49 *et ipse*) Deest in Par. 4613.
libertatem) Epor. *in libertatem*.

—, 50 *suam*) Vat. *soa*.
edoniare) Par. 4614 *idoniare* ; Vat. *adoniare*.
per cartola aut per) Par. 4614 *aut per cartola aut*.

—, 51 *per possessionem*) Particulam *per* recepi ex edd. ; deest in codd.

—, 52 *non potuerit*) Male Vat. *etsi non potuerit*.

—, 53 *Explicit — regis*) Pro his Epor., Par. 4614, Vat., Ma. nihil habent; in Par. 4613 est tantum *Explicit*; in Cav. *Explicit cap.*; in Guelph. est *Finit edictus anterior et posterior quod constitutum est a quibusdam regibus Langobardorum*. De codd. Par. 4613 et Guelph. vide notata ad leges Ahistulfi in Appendice III.

APPENDICES

APPENDIX I.

Hoc Chronicon e manuscripto codice Bibliothecae Gothanae primus edidit JOHANNES DANIEL RITTER, in Praefatione Tomi II editionis quam curavit *Codicis Theodosiani cum Commentariis* JACOBI GOTHOFREDI, *Lipsiae*, *1737*, quae editio repetita est *Mantuae*, *1740*. Potissima ejus pars (capp. IIII—X) desumta est e Chronico Rotharis regis; quae habet de Rothari, tum seriem regum post Rotharim (cap. XI), forte depromsit e regum catalogis, quales multis legum codicibus adjunctos videmus; reliqua (cap. XII—XIII) coaevus scriptor ipse testis adjecit. Auctor prorsus in incerto latet; sed Langobardum fuisse satis apparet.—Capitum divisionem, qua carent tum codex tum editiones Ritteri, commodioris usus gratia ipsi adjecimus.—Prior autem narrationis pars, ut monuimus in notis ad Chronicon Rotharis regis, non ex ipso Rotharis Chronico, sed aliunde desumta est, ob defectum, ut videtur, unius folii initio codicis legum Langobardicarum, quo amanuensis Gothanus usus est, quam lacunam ille, vir haud multarum litterarum, ex ingenio suppleverit. Historia Pauli Diaconi ei qui Chronicon scripsit ad manus non fuit; in iis enim quae e Rotharis Chronico desumta non sunt prorsus dissidet a Paulo Diacono. Editiones titulum addunt *Series Regum Langobardorum*, *ex Codice MS. membranaceo seculi IX Bibliothecae Ducalis Gothanae.*

I.

181, 6 *pro quid*) Ritter conjicit *per quam*.
—, 7 *de inter*) Ritter conjicit *deinde*: falso.
—, 8 *breviati*) Ritter conjicit *procreati*.
—, 14 *In primis*) *In* deest a prima manu.
—, 18 *In his est*) Prima manus *nisi*.
—, 23 *eo*) Lege *ea*.
—, 25 *perspicerit*) Secunda manus *perspexerit*.
182, 5 *ait*) Deest a prima manu.

II.

—, 8 *incipiam*) Prima manus *incipiens*.
—, 13 *fluvium in*) Prima manus *fluvio*, et omittit *in*.
—, 16 *quod*) Codex a prima manu *ad*, forte *qd*, pro *quod*, quod recepi; codex a secunda manu *quia*. Ceterum haec, tum quae supra leguntur de Vindelico amni, desumta sunt et corrupta ex *Isidori Originum Lib. VIII*, *cap. II*, § *93*, *96*: « *Langobardos vulgo ferunt nominatos a prolixa barba et* « *numquam tonsa*..... *Vandelicus* (al. *Vandalicus*, *Vindi-* « *licus*, *Vindelicus*) *amnis ab extremis Galliae erumpens*, « *juxta quem fluvium habitasse et ex eo traxisse nomen Van-* « *dali perhibentur*. » Hinc patet auctorem nostrum perperam ad Langobardos traxisse mentionem Vindelici amnis, quae ex Isidoro ad Vandalos erat referenda. Quae mox sequuntur unde depromta sint, mihi prorsus in incerto est; ego nullam iis fidem tribuendam censeo.

III.

182, 30 *clauses*) Secunda manus *classes*.
183, 5 *emiserunt*) Secunda manus *inierunt*.

VII.

In iis quae sequuntur capitibus, e Rothariano Chronico desumtis sed nonnumquam interpolatis, hoc loco adnotavimus ubi Chronicon Gothanum a Rothariano ipsis verbis et sententia prorsus recedit; ubi vero sola lectionis varietas amanuensi tribuenda, eam retulimus in notis ad Chronicon Rotharis regis.
—, 11 *Iste — adduxit*) Chron. Roth. *Ipse Alboin adduxit*.
—, 12—14 *invitatus — perterritus*) Vide quae notavimus ad hunc locum in Chron. Roth.
—, 14—22 *Eo tempore — essent parati*) Desunt haec in Chron. Roth., incertum utrum injuria archetypi unde Cav., Ma., Mutin. derivati sunt. Non omnino convenit Paulus Diaconus, Lib. II, cap. VII.
—, 22 *movit se*) Prima manus *movisse*; Chron. Roth. omittit *se*.
—, 23 *cum — copioso*) Desunt haec in Chron. Roth.: forte tamen hinc restituenda.
—, 25 *incipiente*) Deest in Chron. Roth.
—, 26 *Nam Narsis — subicierunt*) Desunt haec in Chron. Roth., et aliunde, nec tamen e Paulo Diacono, huc illata sunt.
—, 28 *ad Spaniarum*) Secunda manus *Hispaniarum*.
—, 30 *civitates*) Prima manus *cives*, fortasse recte: nam et alibi *civis* pro *civitas* apud illius aevi scriptores.
—, 31 *vacuae*) Secunda manus *vacuas*.
—, 32 *Et cum regnasset — Verona civitate*) Haec, verbis mutatis, e Chron. Roth. iterum desumta.
—, 36 *a Helmechis*) Cod., edd. *abelmechis*, unde faciendum vel *ab elmechis*, vel, facili litterarum *b* et *h* permutatione, *a helmechis*. Secundam lectionem praetuli, nam et infra ubique cum adspiratione *Helmechis*.

VIII.

—, 39 *propter — Albuini*) Verior Chronici Roth. lectio *quia volebant cum Langobardi occidere*.

183, 40—54 *Tunc mandavit—cumque gustasset, intellexit*) Haec item e Chron. Roth. desumta sunt, verbis immutatis, et nonnullis ex ingenio additis.
—, 53 *venenum*) Supple *temperavit*.

VIIII.

184, 1 *Eo tempore*) *Reliqui* Chron. Roth.
—, 3 *et menses sex*) Rectius haec verba desunt in Chron. Roth.
—, 4 *sine—XII.*) Chron. Roth. *annos duodecim, regem non habentes*.
—, 10 *Et regnavit—mortuus est*) Chron. Roth. *et regnavit Autari annos septem*.

X.

—, 10 *Et venit Agilwald*) Chron. Roth. *Et exivit Aquo*.
Thuringorum) Prima manus *Turig*; legendum *Thuringus*.
—, 14 *tres*) Deest in Chron. Roth.
—, 16 *et alios—suos*) Chron. Roth. *et alios qui ei revelles fuerunt*.
—, 17 *Awald*) Pro *Agilwald*; Chron. Roth. *Aquo*, et omittit *rex*.

De lacunis et varietate scripturae ad reliqua hujus capitis vide quae adnotavimus ad Chron. Roth.

XI.

184, 25 *temporibus*) Deest a prima manu.
—, 31 *Canibrt*) Lege *Canibert*.

XII.

—, 43 *ejus*) Post hanc vocem minus recte secunda manus addit *ad*.
—, 52 *in Spaniam*) Prima manus omittit *in*; secunda manus habet *in hispaniam*.
—, 57 *dignitates—accepit*) Id est, factus est *Patricius Romanorum*.

XIII.

185, 7 *semper fuerunt. Per isto*) Verius ita distinguendum *semper fuerunt, per isto*. Ceterum pro *isto* secunda manus *istum*.
186, 4 *sentenciam*) Quae sequuntur, edd. ad imaginem scripturae codicis in aes incisa exhibent.
—, 10 *ubertates*) Prima manus *ubertas*.

APPENDIX II.

Primum editum est hoc fragmentum in libello cui titulus: *Origines Langobardicae. E membrana pervetusta edidit et Commentarium adjecit JOHAN. FRID. CHRISTIUS. Accessit Conradi a Liechtenau Historia Langobardorum, et ex aliis excerpta quaedam. Halae Magdeburgicae. Apud Johannem Christophorum Kresbium. Ab O. R. MDCCXXVIII* (Folia XXXVIII). Edidit Christius membranam, quod eo historiae Langobardicae compendio in vetustiore Historiae suae parte usum fuisse Paulum Warnefridum existimaret. Sed nunc, vero fonte detecto atque edito, ex quo antiquissimae Langobardorum vicissitudines et traditiones a Paulo Diacono depromtae sunt, manifestissime apparet, haec ex Paulo Diacono contracta esse, non ex hac historiola Paulum Diaconum hausisse. Ex ed. Christii repetita est in Annalibus Societatis Historicae Germanicae (*Archiv der Gesellschaft, Bd. IV, S. 465 ff.*); ipsa autem membrana adhuc servatur in Bibliotheca Universitatis Halensis (Ibid., *Bd. V, S. 646*). Ipse eam repetii ex ed. principe, secutus potissimum ipsam membranae scripturam, prout eam in notis exhibet editor. Quamvis autem nihil ea novi exhibeat, ideo, sicut in praedictis Annalibus factum est, denuo repetendam censui, quia et brevissima est, et ejus collatio tum cum Chronico Rotharis tum cum Chronico Gothano, et potissimum cum Paulo Diacono, haud inutilis videri potest.

189, 8 *Langobardorum*) Membrana semper *Longob—*, praeter col. 190, vers. 20, ubi *Langobardi*.

189, 9 *scilicet*) Ita etiam edd.; membrana *scilic&*.

utreque) Ita membrana, seu verius *utreq.*; edd. *utrique*. Christius coniicit *Ibor scilicet et Agio, germani, utrique ex matre etc.*

—, 10 *Sciringa*) « *Sciringa* autem dicebatur a *Sciris*, quorum Plinius et alii meminerunt: ut *Finninga*, a *Finnis*; *Maurininga*, vel *Mauringa* a *Morinis*. » CHRISTIUS.

—, 12 *in Golanda*) Membrana *ingolanda*, ex quo edd. *Ingolanda*, quod immerito tuetur Christius. Cf. *Chron. Rotharis regis*, *cap. III initio.*

—, 18 *Ildeoc [IIII] ejus filius IIII*) Haec ita interpretatur Christius *Ildeoc, quartus ejus filius, quarto loco etc.* Mihi pro certo est prius illud *IIII* deberi incuriae amanuensis, atque idcirco uncis inclusi.

suscepit) Membrana *sucepit*.

190, 10 *quem*) Membrana *quam*.

—, 12 *ex*) Membrana *&*.

—, 26 *regnaverat*) Supple *annos*.

—, 31 *defunctus est.* ***) « In fine membranae nostrae paucissima desunt verba, injuriis temporum sublata: quae in hunc modum e Warnefrido, nisi fallor, restitui poterunt: *Rothari genere Arodus electus est.* » Ita Christius: tum quaerit quam ob causam hic substiterit qui membranam scripsit. Forte ideo factum, quod ille mutilo Pauli Historiarum exemplari uteretur.

APPENDIX III.

Plures extare Langobardicas leges quae ad Edictum non pertinent, cuilibet attente earum naturam et indolem inspicienti certissime constabit. Singulas distinguere, magis in ambiguo est: ferme omnes enim in Edicti codicibus, imo saepe ipso Edicti corpori intermixtae, ad nos pervenerunt. Nos eam viam ut tutiorem et commodiorem secuti sumus, ut quae in Edicti codicibus certam sedem haberent, iisdem locis ederemus; sejuncta quidem ab Edicti corpore, quae ad Edictum non pertinere pro certo constabat, reliqua autem ipsi Edicto conjuncta, de incerta eorum natura monentes in Notis. Duo tamen sunt capitula, quae Ahistulfi Edicto assuta leguntur singula in singulis codicibus, nos tamen inde sejungenda et huc transferenda putavimus: primum quia, cum in diversis codicibus extent, incertum cui ex ipsis prior sedes tribuenda sit; dein, quae potior ratio, quia utrumque capitulum pro spurio habemus. Quae autem Langobardicae leges in Edicti codicibus non extant, quamvis variis argumentis earum aetas et sedes statui possit, tutius duximus ab Edicti corpore sejunctas in Appendicem conjicere; ubi et universarum legum Langobardicarum quae ad Edictum non pertinent catalogum exhibemus et quasi conspectum. — Indicia autem, quibus aliqua lex ab ipso Edicti corpore extranea dicenda sit, accurate inspicienti haec statui posse visum est: 1°, Si ea non in omnibus extat exemplaribus; 2°, Si appendicis loco ad calcem alicujus Edicti adjecta videatur in codicibus qui illam exhibent; 3°, Ipsa indoles et argumentum legis, si nempe vel ea transitoria sit, vel; 4°, in eamdem sententiam alia ejusdem regis lex extet; quam certo constet ad Edictum pertinere: tunc enim eam legem, quam non omnes codices exhibent, praeceptum regium esse dicimus, editum antequam in publico gentis concilio de eadem re statueretur; 5° denique, si leges de quibus quaeritur prologum praefixum habeant aut verba alia, e quibus appareat eas separatim esse editas, non cum ipsis capitulis ad Edictum pertinentibus, quibus nonnumquam in scriptis codicibus conjunguntur. — Hujusmodi autem legum ad Edictum non pertinentium varia natura est; qua de re alibi aptiore loco disseremus. Hoc loco agimus de singularum legum quas recensemus auctore, et ad singulas argumenta expendimus, quibus adducti eas ab Edicto extraneas esse decernimus.

GRIMOWALDI REGIS.

Bina, quae hoc loco repetimus, Grimowaldi capitula primus e codice Cathedralis Mutinensis edidit Muratorius, repetiit Cancianus, in notis ad capitula ex Edicto, quibus haec nostra respondent. Ad prius capitulum, quod edd. exhibent in notis ad cap. II Grimowaldi regis, ita adnotat Muratorius: *Nota, in vetustissimo Cod. MSto Cathedr. Mutin. Legem hanc, uti et praecedentem non semel haberi, quippe alio in loco eaedem conjunctae leguntur, veluti Lex diversa. Accipiat ergo lector eadem, sed sub aliis verbis, repetita.* Alterum capitulum exhibet in notis ad Grimowaldi cap. III, his adnotatis: *In Codice vero Cathedr. Mutin. non levi diversitate verborum ita efferuntur:* e quibus colligi videtur, ipsum genuinum cap. III omissum esse in eo codice. In nullo alio scripto libro leguntur haec capitula (nisi forte adsunt in Gothano, in quo collectio legum Langobardicarum continetur similis Mutinensi), neque in edd. Heroldi, Georgisch, Walteri. In ipsam harum legum naturam et originem nemo ante nos inquisivit; et sane olim vix possibile fuit, Edicti Langobardici forma et ambitu nondum satis cognito. Nos utramque legem genuinam putamus, et ipsarum indolem et originem eamdem esse, quam priorum Rachis regis capitulorum suo loco tradidimus. Et primo, genuinas esse suadet antiquitas et indoles codicis ex quo derivatae sunt; nullae enim in eo glossae, nulla legum summaria, ut hae nostrae haberi non possint pro summario praeposito ipsis capitulis I-III, quae in Edicto Grimowaldi leguntur. Quin et prior ex hisce legibus, teste Muratorio, in cod. Mutin. *alio in loco* legitur, seu sejuncta a duobus capitulis, quorum summarium videri posset; tertium autem Grimowaldi capitulum prorsus omisit scriptor codicis Mutinensis, ne quae in suo exemplari diversis verbis geminata repererat, ipse quoque repeteret. Sane leges prorsus genuinae, non tamen ad singula Edicta pertinentes prout in ipso gentis concilio primitus sunt edita, et quae desunt in multis codicibus, binae aliae adsunt in codice Cathedr. Mutin., seu Liutpr. cap. XXVIIII et LXIIII. Capitulorum de quibus agimus scriptura seu orthographia, ut caeterorum in codice Mutinensi, ad recentiorem rationem exacta est; sed ipse verborum contextus, et indoles legis, genuina maxime produnt. Esse autem Grimowaldi leges, editas antequam de eadem re in gentis concilio ipsa capitula ederentur in Edictum inferenda, tum ex eo apparet, quod nulla alia ratio geminatarum hujusmodi legum adduci posset, tum certius evincitur e simili exemplo Rachis regis. Duplici autem argumento hoc potissimum loco haec capitula edenda visa sunt: primum quia reapse ad Edictum non pertinent; tum quia, cum desint in omnibus codicibus qui leges chronologico ordine exhibent, nonnisi e conjectura, quamvis satis probabili, sedem ipsis, scilicet sub Grimowaldo ante ejus Edictum, statuere licuisset; necessario enim adscribenda annis DCLXII—DLXVIII. — Legum contextum accurate repetivimus ex Muratorio. Initio prioris capituli supplenda formula, incuria amanuensium, ut alibi, omissa, *In nomine Domini Notitia etc.*

Memoratorium de Magistris Comacinis bini codices tribuunt Grimowaldo, reliqui quattuor Liutprando. Nos edidimus post Liutprandi Edictum; quo etiam loco disseruimus de probabili causa hujus dissensus manuscriptorum codicum in harum legum auctore tradendo.

LIUTPRANDI REGIS.

NOTITIA.

Hanc Notitiam, seu quattuor quae sequuntur capitula, inter Langobardicas leges primi edimus, et Liutprando vindicamus: inter Capitularia Pippini Italiae regis jam ab anno MDCCCXXXV edita erant a Pertzio (*Monum. Germ. Hist.*, *Legum T. I*, *pag. 153*, *157*), et repetita inter Capitularia Hlotharii I imperatoris (*ibid.*, *pag. 364*). Extant scilicet haec capitula in codice saec. VIIII ineuntis, Sancti Pauli in Karinthia, in congerie XCII capitulorum Karoli Magni et Pippini, cujus constituunt cap. LXXXIII—LXXXVII; quapropter Pertzius Pippino adscribenda censuit, et tribuenda annis DCCCVIII et DCCCVIIII. In codice autem Chisiano, post subscriptionem Constitutionis Pavensis Hlotharii I, praeposita inscriptione *Item alia capitula*, legitur series XXXVII capitulorum excerptorum e congerie qualem habet codex Sancti Pauli, inter quae sub numeris XXXIII—XXXVII prostant haec ipsa capitula; quae ideo Pertzius ut appendicem Constitutioni Papiensi Hlotharii I denuo adjunxit. — Haec capitula Liutprando esse tribuenda constat multis iisque certissimis argumentis. Primo enim, Liutprandum harum legum auctorem prodit ipsa scribendi ratio, ab ea quam exhibent Karolingiorum leges prorsus aliena. E multis quae adduci possunt exemplis duo afferimus, locum editionis nostrae column. 145, vers. 31, collatum cum 146, vers. 42; tum vocem *unusquis* pro *unusquisque*, Liutprando

frequentatam. 2°, Accedit ipsum harum legum argumentum, beneficia populo indulta; quod, Liutprando usitatum, a Francorum regum constitutionibus prorsus alienum est. 3°, Duo priora ex his capitulis fuere in cod. Vercellensi, qui Liutprando ferme coaevus; alterum in codice, quo usus est glossator Eporediensis: cf. notata ad Liutpr. capp. CXXXVIIII et CXL. 4°, In duobus ex his capitulis Liutprandus provocat ad suas ipsius leges jamdiu cognitas ex Edicto, scilicet in cap. I ad cap. VIIII *De anno XIIII*, et in IIII ad capp. I, II *De anno I.* Ergo e quattuor hisce capitulis, duo priora esse Liutprando tribuenda procul dubio probat auctoritas antiquissimi codicis Vercellensis; quin et pro primo capitulo accedit testimonium Liutprandi ad suam ipsius legem provocantis; pro altero testimonium codicis Eporediensis. Tertium capitulum ita secundo adhaeret, ut necessario eidem auctori adscribendum sit, et quodammodo nonnisi pars est secundi capituli, cui forte conjungendum. Quartum denique et ipsum certissimo Liutprandum auctorem habere probat et universus ejus contextus, et potissimum verba, quibus *relaxatum* a se memorat jus fisci in successionibus mulierum. Denique haec capitula ita arcto inter se vinculo conjuncta sunt, ut manifesto partem constituant ejusdem Notitiae seu praecepti de rebus fisci a Liutprando dati *ad omnes actores suos.*

Nec etiam, quamvis hae leges in cod. Paulino legibus Karoli Magni et Pippini intermixtae legantur, ab ipsis repetitae dici possunt. Primo enim, nulla Langobardica lex ita a Francorum regibus confirmata est, ut ipsa ejus verba repeterentur, sed veteris legis sententiam aliis verbis confirmantes, multa etiam passim de Francico jure inseruerunt. Secundo, si haec a duobus Francorum regibus in Italia repetita fuissent, intelligi vix posset quomodo nullum ex his capitulis extra eam capitulorum congeriem ad nos pervenerit, cum cetera omnia capitula quae in ea farragine leguntur, et quae revera Francos reges auctores habent, in pluribus extent codicibus. Tertio, quae in his capitulis leguntur, nullomodo Pippino, nedum Hlothario, aptari possunt, a quibus sive primitus effata sive postmodum repetita absurdam prorsus sententiam exhiberent. Quo enim pacto Francorum rex scribere ausus fuisset *unde antea jussemus, per sexagenta annus inquirire possessio de picunia puplicam?* Aut in lege Karolingica quis sensus verborum *Hoc autem in diebus nostris et in tempore regni nostri statuimus, quamvis l e x n o s t r a n o n s i t?* Praecipue autem, qua fronte Francorum reges suam animi magnitudinem praedicantes scripsissent, *se modo propter Deum et ejus misericordiam relaxasse* quod in successionibus, deficientibus filiis et solis superstitibus filiabus, *nobis in curtis nostras secundum antiquo Edicto legibus pertinebat?* Series autem ea capitulorum, quae in Chisiano codice subsequitur constitutionem Hlotharii Papiensem anni DCCCXXXII, quominus pro parte ejusdem capitularis habeatur obstat etiam praeceptum quod ibi (*cap. 13, loc. cit., pag. 363, vers. 9-10*) repetitum legimus, res quae Hildegardae reginae traditae fuerant per breves esse describendas; quippe ea jam ante XLVIIII annos e vivis cesserat. Farraginem XCII capitulorum, quam exhibet codex Paulinus, non exhibere sincera Karoli Magni et Pippini Capitularia, sed esse confusam congeriem capitulorum circa annum DCCCVIII undique excerptorum, ipse Pertzius animadvertit, et fusius demonstravi in Commentatione quam his ipsis diebus (ineunte anno MDCCCXLVIII) edidi, cui titulus *Dell' edizione delle leggi Langobardiche pubblicata per cura della R. Deputazione sopra gli Studi di Storia Patria, ed osservazioni e schiarimenti sull' articolo del Sig.* GIOVANNI MERKEL *nell' Archivio storico di Firenze (Appendice, vol. III, pag. 692 e seguenti) intorno la predetta edizione: Al Sig.* GIOVANNI MERKEL di Norimberga *Lettera di* CARLO BAUDI DI VESME; § *52—54.* Qua autem ratione auctor ejus farraginis haec capitula legibus Francorum regum inseruerit, haud difficile divinatu est. Quum scilicet bono fato in ejus manus incidisset scheda, in qua ea Notitia, nullo adposito legislatoris nomine, descripta erat, pro lege sui temporis habuit, et inter Francicas descripsit: quo factum ut posteriora duo capitula, tum etiam prioris postrema pars, salva ad nos pervenerint, quae secus jamdiu periissent, ut pleraque Langobardica ad Edictum non pertinentia. Nec mirari quis debet, schedam eam, fortasse unum ex archetypis exemplaribus, nomine legislatoris destitutam fuisse; eadem enim ratio est et ceterarum membranarum id genus, quarum paucae quidem, aliquae tamen, ad nos pervenerunt. Appendix autem, quam exhibet codex Chisianus post constitutionem Hlotharii Papiensem, decerpta est, ut jam animadvertit Pertzius (*pag. 359, vers. 37 seqq.*), ex ipsa collectione capitulorum, quam habet codex Paulinus. Cum scilicet qui codicem Chisianum scripsit, post descripta capitularia Karoli Magni, Pippini, Hludowici, Hlotharii, incidisset in exemplar Paulinae collectionis, qua continebantur aliquae leges, quas scriptor Chisiani codicis (seu verius scriptor ejus codicis nunc deperditi, unde Cavensis, hoc tamen in loco mutilus, et Chisianus derivati sunt) aut nondum descripserat, aut se descripsisse non meminerat: eas leges seu capitula post leges Hlotharii ad finem codicis appendicis loco adjecit, ex ampliore collectione excerpens. — Id unum monendum superest, codicem Paulinum et antiquiorem et melioris notae esse quam Chisianum, nec tamen hunc ex illo descriptum, sed utrumque ex communi antiquiore fonte derivatos, ut probant loca, in quibus Chisianus contra Paulinum manifesto sinceram lectionem tuetur. — Inscriptionem *Notitia* tum his, tum duobus Grimowaldi et quattuor Rachis regis capitulis, praeposui ducibus primis ipsis hujus praecepti verbis; qua de re fusius disseremus aptiore loco. Annum autem et diem, cui Notitia adscribenda sit, indicant codices Vercellensis et Eporediensis, priora duo ex hisce capitulis exhibentes adnexa Edicto Liutprandi regis de anno XXI. — In referenda varietate lectionis iisdem utimur scripturae compendiis, quibus usi sumus ad Liutprandi capp. CXXXVIIII et CXL.

I.

Hoc capitulum cum varietate lectionis exhibuimus in Liutprandi Edicto, cap. CXXXVIIII. In codd. Paulino et Chisiano, contra Vercellensis fidem, hoc capitulum, ut suo loco monnimus, in duo discerptum est, et ceteris postpositum, in Pau. sub numeris *LXXXVI, LXXXVII*, in Chi. sub numeris *XXXVI, XXXVII.*

II.

Hoc item capitulum cum varietate lectionis edidimus in Liutprandi Edicto, cap. CXL. In Pau. signatur numero *LXXXIII*, in Chi. numero *XXXIII.*

III.

In Pau. cap. *LXXXIIII*; in Chi. *XXXIIII.*
194, 21 *ejus misericordia*) Chi., Ptz2 *misericordia ejus.*
—, 22 *statuimus*) Chi., Ptz2 *constatuimus.*
aldio) Chi., Ptz2 *aldius.*
—, 23 *ipsa*) Chi., Ptz2 *ipsam.*
—, 25 *patrem*) Chi., Ptz2 *patre.*
—, 26 *sibe — sibe — sibe*) Ita Pau., Ptz1, ut saepe Verc.; *sive — sive — sive* Chi., Ptz2.

IIII.

In Pau. *LXXXV*; in Chi. *XXXV.*
—, 29 *Hoc*) Pau., Ptz1 *Oc.*
nullus) Pau. *nullut.*
da — da) Deest vox utroque loco in Pau., Ptz1: male.
—, 30 *cautella*) Chi., Ptz2 *cautela.*
—, 31 *et pro futuris temporibus*) Pau., Ptz1 *et futuris temporis.*
195, 1 *breves — territuria*) Chi., Ptz2 *breves facimus de omnes territorias.*
—, 3 *aldione*) Pau., Ptz1 *aldionem*; Chi. *aldine.*
abthis) Chi., Ptz2 *abtim.* Deest vox in Lexicis et Glossariis; sed libertum procul dubio significat.
—, 4 *de*) Deest in Pau., Ptz1.
ipsum) Pau., Ptz1 *per ipsum.*
—, 7 *debet*) Deest in Chi.
—, 8 *considerare*) Deest in Chi.
—, 9 *a livero*) Chi. *alii vero.*
eremannos) Chi., Ptz2 *eremmanos.*
—, 10 *curtis*) Chi., Ptz2 *curtes.*
nostras) Pau., Ptz1 *nostres set.*
—, 11 *pertinebat*) Chi., Ptz2 *pertinebant.*
quoniam — relinquebat) Desunt haec in Chi.; Ptz2 supplevit diverso charactere.
—, 12 *tertiam pars*) Chi. *tertia pras*; Ptz2 *tertia pars.*
substantiae patri suo) Pau., Ptz1 *substantia patris sui.*
—, 14 *revertebant*) Post hanc vocem Chi. geminat verba *Tantum — revertebat*; sed hoc loco recte habet *pars*, non *pras.*
propinquus) Chi., Ptz2 *propinquos.*
habebat) Chi., Ptz2 *habet.*
—, 15 *medietatem*) Chi., Ptz2 *medictate.*
—, 16 *tantum*) Pau., Ptz1 *tanto.*
succedebant) Chi., Ptz2 *succedebat.*

196, 17 *medietatem*) Chi., Ptz2 *media*.
nos) Male Pau., Ptz1 *nox*.
—, 18 *et ejus misericordiam*) Pau., Ptz1 *et mercedem anime mee*, quod eodem recidit; lectionem quam recepi veriorem existimo.
—, 19 *relaxavimus*) Chi. *relavimus*.
—, 22 *abthin*) Chi., Ptz2 *abtin*.
—, 26 *judicis aut actorem*) Chi., Ptz2 *judices auctorem*.
—, 27 *facit*) Chi., Ptz2 *fecit*.
—, 28 *invadit*) Chi., Ptz2 *invadat*.
—, 30 *servo*) Pau., Ptz1 *serbo*.
—, 31 *quale*) Chi., Ptz2 *qualem*.
unusquis) Male Chi., Ptz1, Ptz2 *unusquisque*: cf. col. 50, vers. 25; col. 125, vers. 26, 45, 52; col. 128, vers. 4.
Langobardus) Pau., Ptz1 *Langubardus*.
sibi) Deest in Chi., Ptz2.
—, 32 *ad*) Deest in Pau., Ptz1.
—, 33 *modo—infiduciavit*) Chi., Ptz2 *amodo conparaverit aut infiduciaverit*. Pro *infiduciavit* Pau., Ptz1 *infiduciabit*.
—, 34 *tinore*) Chi., Ptz2 *tenore*.
—, 36 *nesciente*) Pau., Ptz1 *nessciente*.
—, 37 *amittat*) Pau., Ptz1 *admittat*.

De Liutprandi regis capitulis XXVIIII, LXIIII, CLVI, CLVII—CLXIIII, quae e codicibus edidimus in ipso Edicti corpore, vide quae suis locis notavimus.

RACHIS REGIS.

De Rachis regis capitulis ad Edictum non pertinentibus, seu de *Notitia*, et *Capitulis in brevi*, cf. notata ad Rachis cap. I et XIII.

AHISTULFI REGIS.

I.

Hoc capitulum solus habet codex Guelpherbytanus, inter Blancoburgenses 130, fol. 63b, adjunctum legibus Ahistulfi regis, sub numero *XIIII*. Nos legem pro spuria habemus, tum ob hoc ipsum quod tanti momenti lex in uno eoque recentiore extet codice, tum quod haec e romano jure desumta sunt, et saepius e romanis legibus, numquam autem ex hac langobardica, hujusmodi praescriptum clerici in rem suam converterunt. Quia et verba *in rebus eclesiarum*, *sacerdotum*, *sive clericorum* recentiorem omnino aetatem sapiunt; nec cum langobardica judiciorum forma consentiunt verba *absque judicio calculorum*. Diligentius inspicienti etiam totus legis contextus maxime dissentit ab eo scribendi genere, quod exhibent reliquae Langobardorum leges. Hinc non modo eam in Edictum non recepimus, sed hoc ipso loco, ut incertae fidei, uncis includendam putavimus.

196, 31 *presumpserit*) Codex *presumpserit*. — Ceterum vide notata ad finem Edicti Ahistulfi regis.

II.

Hoc item capitulum unus habet codex, Par. 4613, adjunctum Edicto Ahistulfi regis. Nullum ibi praefert numerum, ac satis ex ipso contextu apparet, non legem esse langobardicam, verum glossam seu adnotationem a scriptore codicis eo loco insertam.
—, 38 *sepibus*) Cod. *sepius*.
etiam) Cod. *et iam*.
—, 40 *inmunitate*) Cod. *in munitate*. Item mox.

APPENDIX IIII.

Extat ineditum hoc Capitulare in eodem illo codice Eporediensi, quem adhibuimus in Edicto Langobardico; deest in altero, quamvis plerumque affini, item Eporediensi, de quo Peyronus in Commentatione cui titulus *Legum Barbarorum fragmenta inedita et variantes lectiones ex codice Eporediensi*, in Actis Academiae Taurinensis, *Seriei II Vol. VIII*, *Par. II*, *pag. 129 seqq.* Quamvis autem ipsum Capitulare ineditum sit, postremum tamen ejus capitulum a Pertzio publici juris factum fuerat e codice Florentino, ad calcem Capitularium Karoli Magni, inter capitula servata in codicibus Edicti Langobardici inter Karoli et Pippini capitula legibus Langobardorum addita quae certo alicui tempori et capitulari adsignari nequeunt. Annum, quo editum est capitulare, non adnotat codex, in quo scilicet nullam subscriptionem, et hanc unam inscriptionem praefert *Secretiores*; quae inscriptio etiam causam prodit, cur absit a plerisque Capitularium codicibus. Editum esse antequam Karolus adipisceretur imperium, manifestum est; ex capitulo primo autem facile arguitur esse conscriptum anno DCCXC vel paulo post. Incipit autem Capitulare in Epor. a fol. 26b medio.

Cap. I.

Codex *I. cap.*; reliquis capitulis numerus tantum praescribitur.
197, 15 *consolatione*) Cod. a prima manu *consolatio*.

II.

—, 20 *ut illi*) A prima manu *utili*.

IIII.

—, 35 *ut nulli — sive clerico*) Cod. a prima manu *ut nullus episcopus vel presbiter atque diaconus sive clericus*.
198, 7 *aut aldiam*) Hinc incipit codicis fol. 27a.
—, 8 *difamatur*) Secunda manus *diffamatur*.
—, 10 *non*) Hanc particulam erasit secunda manus.

V.

—, 18 *commendatum*) Prima manus *conmedatum*.
—, 20 *nostra jussione*) Prima manus *nostram jussionem*.
—, 21 *parte nostra*) Prima manus *partem nostram*.
—, 25 *ad*) Adjectum est supra lineam a secunda manu.

VI.

Editum, ut monuimus, a Pertzio, *Monum. German. Hist.*, *Legum T. I*, *pag. 193*, *vers. 20-28*, e codice Florentino, fol. 104a: cf. quae supra notavimus. Codicis Florentini lectiones hac nota distinguimus *Flor.* Editionis Pertzii cum Flor. consensum non adnotamus.

198, 32 *De illis*) Pertzius ex Flor. haec praemittit, a loco nostro manifesto aliena: *Si quis pro alterius debito se pecuniam suam promiserit reddituram*, *in ipsa promissione est retinendus*.
vel quibuslibet) Flor. *aut quibuslibet*.
—, 33 *qui*) Deest in Flor.; recte supplevit Pertzius.
vel parentellas) Flor. *aut parentelam*.
—, 35 *vicia*) Male Flor. *justitiam*.
ofuscare) Epor. a secunda manu *offuscare*; Flor. *obfuscare*.
199, 1 *ut se — mittant*) Flor. *et se — mittunt*.
—, 2 *suspitio*) Flor. *suspectio*.
quod perjurassent) Flor. *quod homo perjurasset*.
—, 3 *ad campum vel ad crucem*) Flor. *sive campo vel cruce*.
—, 4 *fiant declarata*) Flor. *fiat declaratum*.
—, 5 *Et si*) Hinc incipit codicis Epor. fol. 27b.
Domini) Flor. *Dei*; Epor. *dni*.
per ipsa judicia) Flor. *in ipso juditio*.
—, 9 *superius*) Flor. *supra*.
sanctos) Deest. in Flor.
—, 10 *et si*) Flor. *si autem*.
—, 11 *ad partem nostram*) Epor. a prima manu *a parte nostra*.

Deest capitulum in codicibus Chisiano et Cavensi, e quibus hoc Capitulare edidit Pertzius, tum in altero codice Eporediensi, quo hoc ipsum Capitulare exhibetur: vide Peyroni Commentationem in Actis Academiae Taurinensis, *Seriei II Tom. VIII*, *Par. II*, *pag. 165*. — Editum tamen jamdiu est inter capitula a Hludowico addita Edicto Regum Langobardorum, inter quae est cap. LVIII apud Muratorium; extat etiam in Libro Legis Longobardorum, Lib. II, Tit. XXXV, cap. XIII. Denuo edidit Pertzius inter capitula Hludowici Langobardica, quae certo alicui anno locove adscribi nequeunt. Pertzius adsignandum censet annis DCCCXVIII — DCCCXXII; verum dubitat utrum omnino Hludowicum auctorem agnoscat. — Nos et Hludowico jam certo vindicamus, et suo Capitulari restituimus, non sine aliqua varietate lectionis.

200, 8 *hominibus*) scil. *liberis*: glossa codicis Vindobonensis.
—, 9 *volumus adque instituimus*) Ita Epor.; desunt haec in rell.
—, 10 *probationem*) Ita Epor.; rell. *possessionem*: utramque recte; codicis tamen Eporediensis lectionem veriorem existimo.
—, 11 *vel*) Ita Epor.; codd. rell. et Pertzius *et*; edd. rell. *aut*.
sint — ostendant) Ita Epor.; rell. *sunt — ostendunt*.

APPENDIX V.

